This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OPERA
Q. HORATII FLACCI
IN TRES TOMOS TRIBUTA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. HORATIUS FLACCUS

Selectis fere omnium Interpretum, ac praecipue Dacierii, & Sanadonis notis, & argumentis illustratus

OPERA ET INDUSTRIA

FRANCISCI DORIGHELLO.

EDITIO SECUNDA

Auctior, & accuratior.

TOMUS PRIMUS.

PATAVII, MDCCLXXX.

Typis Seminarii.

Superiorum Permissu, & Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS

TOMI PRIMI.

I. Præfatio ad Lectorem. pag. 1
II. Poetæ Vita cum ejus ætatis hiſtoria, ab anno ſcilicet Urbis conditæ 689. uſque ad 746. quo Horatius obiit, Sanadone duce & Magiſtro conſcripta. pag. xv
III. Variæ Lectiones quotquot ubique ſunt, in Carminibus, Satiris, Epiſtolis, & Arte Poetica. pag. xxxvii
IV. Præfatio de Lyrica Poeſi, in qua ſummatim de præcipuis ejus virtutibus differitur. De ſublimi genere. De Poetico furore, ſive Œſtro. De vacuis inter duas ſententias intervallis. De Digreſſionibus. De perturbato rerum ordine ac verborum. De quatuor Odarum generibus de earumdem forma. De Poetis Lyricis. pag. xlvii

Digitized by Google

V. Carminum Q. Horatii Flacci libri V. cum notis & animadverſionibus. pag. 1
VI. Carmen Seculare a P. Sanadone ordinatum. pag. 311
VII. Tabula Chronologica Carminum Horatii a P. Sanadone inſtituta. pag. 317

ELENCHUS

TOMI SECUNDI.

I. PRæfatio de Satyris & Satira Romana, deque utriuſque generis origine, comparatione, diſcrimine, ac natura. De Horatii, Perſii, & Juvenalis ingenio in hujuſmodi poematis ſcribendi genere, & præcipue de Satiræ Horatianæ præſtantia. pag. 3
II. Sermonum ſeu Satirarum Q. Horatii Flacci libri VI. cum notis & animadverſionibus. pag. 13
III. Præfatio de Epiſtola tum pedibus ſoluta, tum ligata, & de ejus natura, ac ratione. pag. 155
IV. Epiſtolarum Q. Horatii Flacci Libri II. cum notis & animadverſionibus. pag. 169

Digitized by Google

ELENCHUS
TOMI TERTII.

I. Præfatio de Poesi didactica, ejusque cultoribus tam Græcis quam Latinis. De Poematibus historicis, & Philosophicis. De Epistola ad Pisones, sive de Arte poetica, ubi nonnulla de ejus titulo, & ordine, & de Auctoris mente in ea componenda. pag. 3

II. Antonii Riccoboni Opusculum sane rarum de emendanda Horatiana Epistola ad Pisones de Arte poetica. pag. 13

III. Danielis Heinsii sententia de ordinandis epistola 2. libri I. & epistola 2. libri II. & epist. ad Pisones de Arte poetica. pag. 34

IV. Q. Horatii Flacci epistola ad Pisones de Arte Poetica cum notis & animadversionibus. pag. 44

V. Mantissa Commentarii de Arte poetica, sive poeticæ doctrinæ ex Horatiano penu depromtæ. De Pulchro poetico. De Stilo. De Armonia. De Epopœja, de Actione, de Episodiis, de Nexu, & solutione Actionis. De Epici Poematis structura, de Actoribus, eorumque naturalibus notis & moribus, de Epico stilo, de Epicis Poetis. De Poemate Cyclio. De Dramate, Id quod est unum in Dramate, de Stilo Dramatis, de Dialogis. De Tragœdia, de Catastrophe,

Digitized by Google

ſeu eventuum tragicorum ſolutione, de Tragœdiæ origine apud Græcos & Romanos. De Comœdia, de Actionis ſolutione, de Stilo Comico, de Origine Comœdiæ, de Comicis Poetis, de Comœdia Latina. De Apologo. De Bucolicis. De Elegia. De Epigrammate.

VI. Index locupletiſſimus rerum memorabilium.

VII. Paſſim multæ & novæ animadverſiones reperiuntur cum ad difficiles Horatii locos expianandos mentemque eliciendam, & ad certa Poematum tempora definienda, tum ad Poeſeos genus omne accuratius perdiſcendum ſpectantes.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

HOratium Flaccum Lyricorum Satiricorumque Poetarum Principem tibi perlegendum, examinandum, admirandumque propono. Passim legenti occurrent ejus laudes præclaræ, quibus ad imitandum accendaris. Eas tanto Vate dignissimas senserunt ex omni ætate, & gente cordatissimi Viri, qui propterea eum in deliciis, amoribusque habuerunt, mendis aliena insscitia inductis expurgarunt, diligentissime interpretati sunt. Sed non peræque singulis res cessit. Quamplurimi enim prisci Exscriptores ignavi, aut indocti genuinam autographi libri lectionem innumeris erratis deturparunt, ac prope divexarunt, veteresque Grammatici audacissimi viri dictatoriam auctoritatem præseferentes plurima pro lubitu immutarunt, multa e sua in alienam sedem conjecerunt, non pauca margine olim scripta ad loci explicationem ipsis Poetæ versibus immiscuerunt. Hinc densissimæ offusæ tenebræ, hinc ea adscripta, quæ non modo ipse nunquam cogitavit, sed etiam sibi probrosa esse duxisset. Mutata germana ejus verba sunt, mutatæ sententiæ, novæ interpunctiones, & clausulæ injectæ, insolitæque inversiones per istorum nebulonum stultitiam, aut impudentiam. Quare nil mirum, si tanta tamque incredibilis inhorruit variarum Lectionum seges ita operibus hisce circumfusa, ut Horatius in Horatio quærendus fuerit.

Tam fœda & confusa exemplaria cum vidissent eruditissimi Critici Pulmanus, Cruquius, Muretus, Salmasius, Turnebus; Tanaquillus, Perizonius, Torrentius, Chabotius, Rodellius, seu Rodilius, Cuninganus, Bentlejus, Dacierius, Rosellus, Sanado miserti sunt tam pessime habiti Poetæ, ac repente errata corrigere, a falsis lectionibus varas fecer-

Digitized by Google

cernere, & in suam sedem restituere unanimiter certarunt. Dissident tamen multum inter se in hoc genere Dacierius hinc, & illinc Sanado. Ille Vulgares lectiones pleraſque adhibuit, hic Bentlejum ſecutus ſere omnes rejecit, novaſque plurimas admiſit. In hac ſententiarum diſcrepantia modum ſervandum ratus, eas amplexus ſum, quas res ipſa, quas recta ratio, quas Auctoris ingenium, quas temporis ratio poſtularet. Ne tibi fucum facere videar, eas omnes, quotquot maxime potui, in unum coactas ſeposui, ut tibi eſſent in promptu.

Verumtamen tot labores ſuſcepti in emendandis lectionibus non ſatis valere viſi ad plane intelligenda Poetæ opera, niſi alii multo improbioras acceſſerint ad diſcutiendam ingenii ac judicii luce caliginem, nodoſque rerum extricandos. Eo ſcilicet animi ingenique nervos intenderunt Itali, Germani, Batavi, Angli, Galli, Hiſpani, quorum alii in Scholiis texendis toti fuerunt, alii præterea Horatium vel totum vel ex parte in vernaculam quiſque linguam verterunt. Quoad primos tamen attinet, plurimi in difficilibus locis hærent, oſcitantur, vel obgarriunt; fuſius agunt de rebus exigui momenti, & cuique obviis, verba tantum graviter penſitant, & eruditionem in nugis venditant, complicatas ſententias minime enucleant, de ſtili varietate, & pulchritudine, de figurarum audacia, de ſpiritu poetico, ac furore, de cujuſque Poematis indole, ac ratione, de Poetæ dexteritate, atque arte, de Poematum die ne verbum quidem, & quod maxime dolendum eſt, multa nobis obtrudunt, vel dum intimas rerum fibras acutiſſimo obtutu rimari volunt, ne faciem quidem vident, & in meridiana luce cæcutiunt. Nil mirum igitur, ſi faſtidioſe, & oſcitanter legantur ea opera, quæ valde prodeſſe ſtudioſæ juventuti deberent. Quoad alterius vero generis homines laudandus quidem eorum conatus, timendus tamen exitus. Et

ſane

Digitized by Google

fane infinita prope præſidia, & adminicula in eo requiritur, qui opus aliquod præſtantis ſcriptoris ex altera in alteram linguam transferendum ſuſcipit. Callere nempe debet doctas linguas, & ſcire, quid ſingulis conveniat, quomodo in optimo lumine ſententias collocet, ubi verbum pro verbo reddat fidus interpres, ubi non ad verbum, ſed ad ſententias integras locum interpretetur, quid eleganter, quid leviter, quid graviter, quid proprie, vel improprie enunciandum, & alia ſexcenta, quæ perſpicue docet Alambertus, quorum vel pars ſi abſit, inanis profecto futurus eſt interpretis labor.

Si qui tamen ſunt, qui in utroque genere magnam laudem ſibi comparârint, ii profecto unus & alter, Dacierius ſcilicet, & Sanado. Non omnia tamen in utroque probanda. Quantum enim ille lucis addidit Horatio doctiſſimis animadverſionibus, tantum abſtulit ſpiritus, coloriſque poetici verſione illa ſua Gallica. Hic vero ſuam, quam integram noluit, ſpiritu quidem poetico animavit, ſed animadverſionibus Dacierium exagitando, fidem & auctoritatem derogavit invidiæ ſuſpicio.

Quocirca utriuſque viri doctiſſimi diſſenſio eam mihi curam injecit, ut cognoſcere quærerem, uter vera diceret, vel probabiliora. In perpendendis itaque Horatii operibus diu multumque verſatus ſum, ejus ingenium, animumque introſpicere ſtudui, eorum temporum hiſtoriam omnem pervolutavi, interpretes fere omnes conſului, plurimas & multiplices litterarias ephemeridas tum veteres, tum recentes legendo percurri; ſi quid mihi ſubolverat novi, atque inauditi, quod ad Horatium quodammodo pertineret, undique conquiſivi, quidquid vero propius, & accommodatius temporibus viſum fuerat, præoptavi, eamque ſupellectilem rerum comperi, quam prorſus contemnere nemo unus audebit. Enimvero ab aliis copioſa meſſis in horrea aſportata eſt, & ſpica tantum

ali-

Digitized by Google

aliqua peritorum oculatorumque Messorum falcem effugerunt, quas ego in studiosorum Adolescentum usum sedulo patienterque collegi.

Non pauca itaque pluribus in locis signo hoc * notata videbis, quæ quid senserim, cur dissentiam ab aliis, aperte indicant, sive quoad Poematis cujusque diem, sive Poetæ mentem, sive scribendi rationem. Præferentibus itaque facem, & opitulantibus Dacierio, Rosello, Sanadone, & celebri Battorem aggressus sum, quo vero successu, judicium alienum fuerit.

Horatii vitam leges, in qua Historiam quoque ejus ætatis cognosces ad compendium redactam. Alia addidi, alia demsi iis quæ Sanado retulerat. In hoc veluti speculo Poetæ ingenium, atque animum clare contemplaberis, facilius que ejus amore capieris.

Quoniam vero ipse in Lyricis, in Satiris, & Epistolis, & præsertim in Præceptis de arte Poetica tradendis venam exercuit, operæ pretium duxi nonnulla præfanda de singulis hisce generibus, ut videlicet. Multi Encyclopediæ articuli mihi materiem præbuere. Copiosius tamen de extremo genere disserui, in quo ille plurima, ac varia modo aperte, modo latenter, modo universim, modo singillatim protulit.

In Tom. III., in quo ars Poetica locum præcipuum est habitura, novum aliquod, & eruditis auribus dignum a nobis afferetur de nova junctura, & Methodo ejusdem artis Poeticæ, de qua in utramque partem acta lis est, ac nondum definita.

Quem vero ordinem, collocationemque Poematum vides, non eamdem esse censeas, quam ipse Poeta primum voluit, atque eorum ætas poposcit. Mæcenatis & Amicorum aliorum impulsu tres Lyricorum carminum libros prima vice in lucem emisit Horatius. Longo post tempore, Augusto jubente, quæ poetica scripserat, editis adjiecit: En quartus Carminum Liber. Tandem eidem principi Viro petenti re-

ve alia, Carminum, Satirarum, & Epistolarum ineditarum fasciculum misit. Hæ tres συναγωγαὶ non omnia Horatii poemata continebant, quæ ad nos usque pervenerunt. Multa enim post obitum in ejus scriniis, multa in Amicorum reperta sunt, quæ nondum lucis usura fruebantur. Ea quoque paulatim exemplaribus conjuncta sunt, prout fors ferebat. Duobus vel tribus post Seculis Grammatici diversas illas Poematum collectiones in unum veluti corpus coegerunt; Poemata libroſque disposuerunt; ea tantum lege, ut Odæ Satiris, Satiræ Epistolis præcederent, nulla habita ratione temporis, quod cuique Poematî adscribendum fuerat. Præposiera hac dispositio fortuito constituta, temporisque progressu, multiplicique exemplarium exscriptorum vi confirmata ad nostram usque ætatem permansit. Gravissimum hunc Grammaticorum errorem senserunt optime nonnulli litteratî viri, in primis vero Dacierius, & Sanado, qui propterea singulis Poematibus diem adposuere. Idcirco Tabulam Chronologicam in calce utriusque Voluminis ponendam curavi, in qua quid certi affirmet in hoc genere Sanado, quid etiam Bentlejus seorsum, plane intelliges; si tamen pauca Poemata excipias, quibus diversam ætatem tribuendam arbitror.

In fine libri quinti Carminum Carmen seculare posui, quod Sanado ex diversis Odis, vel Odarum partibus in unum coagmentatis concinnavit, putavitque esse tale, quale a Poeta olim conscriptum fuerat. Vereor, ne Sanado nimis acutum videat, inaniterque hoc suo invento glorietur. Hanc licentiam sibi quoque arrogaverat multo ante Daniel Heinsius, qui suum commentarium evulgans in Horatium ordinandas instituit pro abitratu suo Epistolas primam & secundam libri primi, & secundam secundi, & Epistolam ad Pisones, de quibus uberius loco suo in Tom. III.

Rerum porro memorabilium ad Historiam, Mythologi-

labiam, Chronologiam pertinentium Indicem composui, ne cogerer in Scholiis eamdem crambem recoquere. Sicubi leges in Horatio nomina propria virorum, locorum, vel rerum alicujus momenti, consule statim ultro Indicem, quem nisi ubi opus est, idque raro, expressis verbis innuo.

Ubi annos numero, nisi aliter notatum fuerit, subaudiri volo ab Urbe condita. Brevitatis causa ita citare soleo Horatii Poemata. O. Odas S. Satiras, E. Epistolas; numerus Romanus librum, Arabicus Odas, Satiras, Epistolas sequente comate; sequente vero puncto versum designat V. g. O. IV. 8, 11. significat Odarum quartum Librum, Odem octavam, versiculum undecimum. Vale.

Digitized by Google

DE
Q. HORATII FLACCI
VITA,
EJUSQUE ÆTATIS HISTORIA.

ANtiqua extat Horatii vita quæ Suetonio adscribitur. Scholia Porphirionis nomine in vulgus edita ad Epist. *Cum tot sustineas* ab hoc Historico scriptam fuisse tradunt. Idem asserunt multi cum Dacierio stili convenientia ducti. Quamvis hac super re Critici omnes dissentiant, tamen id fieri potuisse fatebuntur. Sed præstat ex nostri Poetæ operibus singulos vitæ ejus eventus excerpere, & eo quo acciderunt, temporum ordine disponere. Rerum quoque historiam, quæ Horatii ætate acciderunt, leviter attactam leges; plura collliges ex Animadversionibus & Notis, & ex Indice. Varronis Chronologiam sequimur.

Anno ab *Urbe Condita 689*, ante Jesum Christum Natum 65, Horatii nati I. Consl. L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus II.

Q. Horatius flaccus 4. idus Dec. natus est. Patriam habuit Venusiam: Ejus familia in servitute vixit; Pater libertus fuit. Hoc pluribus in locis affirmat: *Ego paupertum sanguis Parentum: Libertino Patre natus*. De ortu suo loquitur Od. I. 21. *O Natæ mecum*. Quo nomine ejus Pater fuerit nuncupatus, latet. Prope Venusiam prædium & Villulam possidebat, cujus fructus satis ei suppetebant ad commode honesteque vitam sustentandam.

An. ab U. C. 690. Ante J. C. N. 64. Hor. Nat. 1. 2. Consl. L. Julius Cæsar, Frater Juliæ Matris M. Antoni, & C. Martius Figulus.

Tibullus hoc anno vel sequenti natus est.

Anno ab U. C. 691. Ante J. C. N. 64. H. N. 2. 3. Consl. M. Tullius Cic. & C. Antonius Nepos.

Octavianus Romæ natus est 4 Idus Jul. Alii volunt 9. Cal. Oct. aut prid. Cal. Oct. Julia Julii Cæsaris soror fuit

fuit Octaviani proavia. C. *Cæsar major Octaviani avunculus*. (Vell.) Orbilius Pupillus Romam venit.

Anno ab U. C. 692. Ante J. C. N. 52. H. N. 3. 4. Conss. D. Junius Silanus, & L. Licinius Murena. Sequenti Conss. Calpurnius Piso, M. Valerius Messala.

Anno ab U. C. 694. Ante J. C. N. 60. H. N. 5. 6. Conss. Q. Cæcilius Metellus Celer, & L. Afranius.

Cæsaris Crassi, & Pompej triumviratus. Pollio bellorum civilium historiam inchoat.

Anno ab U. C. 695. Ante J. C. N. 59. H. N. 6. 7. Conss. C. Julius Cæsar, M. Calpurnius Bibulus. Sequenti Conss. L. Calpurnius Piso, & Aulus Gabinius.

Sub hoc ferme tempus ejus Pater suam Venusinam Villam vendidit, cum Filio Romam concessit, Grammaticam, linguam Græcam, & humaniores litteras deinceps docendum tradidit puerum Orbilio, emitque munus cogendarum exactionum, nempe Publicanorum minister præpositus fuit colligendis pecuniis publice pensitari solitis. De sua infantia loquitur Poeta. O III. 4. *Me fabulosæ* usque ad *humilis Ferenti*. De Orbilio vero, deque sui Patris munere. S. I. 6. *Non equidem insector* usque ad *mercedes sequerer*. Romæ supra Ortus sui conditionem educatus est. Honeste & decenter vestiebatur, additis etiam servulis, qui sequerentur, doctrinis omnibus erudiebatur, advigilante interim, & cunctis fere locis præsente optimo patre, ne quid accideret, quo puerilis ætatis integritas corrumperetur. Quod quidem vere Paternum beneficium perenni & aureo grati animi monumento Filius memor consignatum voluit. S. I. 6. *sed puerum est ausus* usque ad *opprobrio quoque turpi*. C. Licinius Calvus Poeta & Orator insignis 30 annos natus obiit.

Anno ab U. C. 697. Ante J. C. N. 57. H. N. 8. 9. Conss. P. Corn. Lentulus Rphinther, & Q. Cæcilius Metellus Nepos.

Propertius oritur Mevaniæ in Umbria prope lacum Abissum.

Tribus sequentibus: 1. Consul Cn. Corn. Lentulus Marcellinus, & L. Marcius Philippus. 2. Cn. Pompejus Magnus II. & M. Claudius Crassus II. 3. L. Domitius Ahenobarbus, & Appius Pulcher.

Crassus bellatum abit cum Filio in Parthos.

Anno ab U. C. 701. Ante J. C. N. 53. H. N. 12. 13. conss.

Digitized by Google

Conſſ. Cn. Domitius Calvus, *aut* Calvinus, & M. Valerius Meſſala.

Septem vel octo circiter menſes ſine Conſulibus contentionum cauſa effluxere. Craſſus ab Orode cæſus. Moneſes poſt Victoriam necari juſſus. Pacorus Parthis præficitur.

Quatuor ſequentibus annis 1. Conſſ. Cn. Pompejus Magnus III. ſolus, & Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio quinque extremis menſibus. 2. Conſſ. M. Claudius Marcellus, & Ser. Sulpitius Rufus Lemonia. 3. Conſſ. L. Æmilius Lepidus, & C. Marcellus Frater patruelis Marcelli, Maritus Octaviæ. 4. Conſſ. C. Claudius Marcellus Frater M. Marcelli, & L. Cornel. Lentulus Crus.

Bellum Civile Cæſarem inter, & Pompejum exarſit. Cæſar dictator juſſus eſt. Fortaſſe hujus anni initio Horatius civilem togam induit. Ciceronis filius ejus ferme æqualis eam ſumſit ineunte Aprile. Ea tempeſtate ſumi ſolebat anno 15. ætatis exacto, ſub Imperatoribus vero anno 14.

Anno ab U. C. 706. Ante J. C. N. 48. H. N. 17. 18. Conſſ. C. Julius Cæſar Dictator II., & P. Servilius Vatia Iſauricus.

Pharſalica pugna. Pompeji 58 annos nati Mors. Sextus Pompejus ejus Filius in Hiſpaniam, Labienus ad Parthos ivit.

Anno ſequenti Conſſ. Q. Fuſius, *vel* Fabius Calenus, & P. Vatinius.

Cæſar Dictator iterum & Conſul nuncupatus eſt per annos 10. Ptolemæus Dionyſius Ægypti Rex a Cæſare fugatus, & Nilo merſus periit. Cleopatra ejus ſoror Regnum conſequitur, favente Cæſare. Catullus e vita excedit.

Anno ab U. C. 708. Ante J. C. N. 46. H. N. 19. 20. Conſſ. C. Julius Cæſar III, & M. Æmil. Lepidus.

Cato Uticæ ſibi mortem conſcivit.

Anno ſequenti Dictat. C. Julius Cæſar IV. Conſſ. Q. Fabius Maximus, & C. Trebonius Aſper.

Extincto Fabio extrema conſulatus ſui die, C. Licinius creatus eſt Conſul per aliquot horas. Cæſar Calendarium vitio Pontificum per intercalandi licentiam turbatum corrigit. Ciceronis Filius ineunte vere Roma Athenas profectus eſt, quo Nonis Apr. pervenit. Credibile eſt,

Digitized by Google

Horatium idem iter feciſſe eodem ferme tempore. Conſtat, utrumque Athenis Philoſophiæ vacaſſe cum Adoleſcente Meſſala, Varo, Bibulo, Acidamo, & aliis, atque illuc commigraſſe ante bellum civile, quod poſt Cæſaris mortem ſuſceptum eſt.

Anno ab U. C. 710. Ante J. C. N. 44. H. N. 21. 22. Dict. C. Julius Cæſar V. Conſſ. M. Antonius, P. Corn. Dolabella in locum Cæſaris ſuffectus.

Dictator Corinthum reparari jubet, & illuc Coloniam mittit. Carthaginem quoque e ruinis excitare incipit, & erigere. In Senatu cæſus eſt, Idibus Mart. Ejus interfectores Caſſius, duo Bruti, Trebonius, Minucius, Bal filus, Cimber, Caſca, aliique. Octavianus Apollonia Romam venit, hereditatem adoptivi Patris aditurus. Agrippa & Salvidienus ad eum acceſſere. M. Lepidus in locum Cæſaris inauguratus eſt Pontifex Max., Meſſala menſe Junio Athenis diſcedit, & ſe Bruto jungit, qui poſtea Athenas cum Caſſio petit, Auguſto menſe. Varus, Junior Pompejus, Ciceronis Filius, Horatius, aliique, qui tunc ea in urbe ſtudiis operam impendebant partes utriuſque Ducis complexi ſunt. Cum Conſſ. contra Antonium Sept. menſe copias ducit Octavianus.

Anno ab U. C. 711. Ante J. C. N. 43. H. N. 22. 23. Conſſ. C. Vibius Panſa, & Aulus Hirtius.

Octavianus Mutinam obſidione liberat. Conſſ. in prælio occiſi. In eorum locum ſubſtituti Octavianus, & Q. Pedius. Octavianus, Antonius, & Lepidus una ſocietatem ineunt, provincias ſibi invicem partiti, 5 Cal. Novembris apud Mutinam in Inſula fluminis Lavini inter Bononiam & Mutinam. Lepido obtigit Hiſpania, & Gallia Narbonenſis, M. Antonio Gallia a Jul. Cæſare debellata, & Ciſalpina, Octavio Africa & Sardinia. Italia Communis juris fuit, cujus ſe illi patronos autumabant: Cicero & Meſſala proſcripti: Ille 64 annos natus 7 idus Dec. cum Fratre Quinto, Fratriſque Filio occiſus eſt, Meſſala vero incolumis evaſit. M. Brutus in Macedoniam proficiſcitur, ſecumque ducit Horatium, & Tribunum Legionis nullo prius tyrocinio functum conſtituit. Hic honor multorum invidiam Poetæ conflavit. S. I. 6. *Nunc ad me redeo* uſque ad *Legio Romana Tribuno*. Antonius Galliarum imperium ſumit ad devinciendos ſibi Lepidum, Plancum, & Aſinium Pollionem. Ovidius 13. Cal. Apri-

les

les natus est. Octavius Imperator primum vocatus est.

Anno ab U. C. 712. Ante J. C. N. 42. H. N. 23. 24. Conss. M. Æmilius Lepidus II., & L. Munacius Plancus.

Parthi Syriam diripiunt, L. Ælius Lamia Prætor creatus. Cassius Syriam occupat, Rhodum capit. Brutus Lycia potitur. Lis Rupilium inter & Persium coram Bruto. Philippense prælium in Thessalia Autumno pene confecto. Horatius non paucis prius, nec parvis defunctus belli periculis fugam arripuit, armis abjectis turpiter, ipso fatente, neque usitatum ingenui candoris specimen dedit, est enim altera magnanimitas ignaviæ confessio. O. II. 7. O *sæpe mecum tempus* usque ad *non bene parmata*. Pericula, quæ ille subiit sub Bruto fuere certamen initum circa Apolloniam, contra aliquot cohortes C. Antonii, alterum contra Lycios, & plures ante Philippensem pugnam. Catonis Filius in acie cecidit, nec non Lucullus, Hortensiusque. Antonius Varronem letho dedit. Corvinus Messala ab Octavio veniam impetravit. Drusus Livius Liviæ pater se ipse interemit in tabernaculo, Varus autem Liberti, quem id facere coegerat, manu, cum se insignibus honorum velasset, jugulatus est. Peracto prælio, & oblata iis, qui Victori se dederent, libertate usus Horatius militiam deseruit, ad quam parum proclivis sibi videbatur. Eodem tempore, quo Octavius Cassii, Brutique exercitum profligabat, Classis, quæ duas ad se Legiones imperante Domitio Calvino vehebat, eversa est in mari Jonio a Stajo, *vel* Statio Murco, & Ahenobarbo, qui tum eos omnes in suas naves receperunt, qui venia concessa uti noluerunt. Antonius & Octavius copias sibi invicem dispertierunt. Ille in Orientem, hic in Italiam se contulit. Claudius Tiberius Nero 3. Cal. Dec. ortus est. Fuit posthac secundus Romanorum Imperator.

Anno ab U. C. 713. Ante J. C. N. 41. H. N. 24. 25. Conss. L. Ant. Frater M. Antonii, & P. Servilius Vatia Isauricus II.

Lucii Ant. Fulviæque arbitrio res gerebantur Romæ. Octavius Romam reversus Fulviæ socrus insolentiam repressurus ejus filiam repudiat, & in matrimonium accipit Scriboniam Scribonii Libonis Sororem, & Socrum Sexti Pompej. Per Mæcenatem hoc conjugium contractum est.

Digitized by Google

Virgilio Romam tunc profecto Mæcenas ad Octavium aditum aperuit. Horatius Philippenſi diſcrimini ſubtractus apud Ceraunia, Dyrrhachium, Apolloniam, aut Velonam navi impoſitus Brunduſium, aut Tarentum, aut Hydruntem petiit, inde Romam, urgente rerum inopia, quippe orbatus patre, domo paterna, boniſque ceteris, in ſuorum Amicorum liberalitate perfugium ſibi quærendum ratus, ad facitandos verſus ſe contulit, quibus amicitias, & opes ſibi pararet. Abſurdum eſt dicere Sicula maria tunc eum navigaſſe longiſſimo emenſo ſpatio, & periculum ſubiiſſe incurrendi in junioris Pompej manus, & naufragaſſe; præcipue cum Domitius & Murcus mare Siculum & Ægæum percurrerent, qui magnum ei negotium facere poterant. Acro deceptus eſt, quoad tempus & locum naufragii Horatiani, Dacierius ſecutus eſt Acronis errorem, quoad primam partem: Poeta produxit Odas: *Vides ut alta* &c. *ſolvitur acris hyems* &c. *& Sat. Quæ virtus, & Quanta boni* &c.

Peruſinum bellum initum. Conſul L. Antonius totius Senatus ſuffragiis hoſtis judicatus intra illius civitatis muros redactus eſt, quæ tandem a tribus exercitibus obſidione cincta Ducibus Octavio, Agrippa & Salvidieno, & ad deditionem fame compulſa eſt, deinde incendio conſumta.

Anno ab U. C. 714. Ante J. C. N. 40. H. N. 25. 26. Conſſ. Cn. Domitius Calvinus II., & C. Aſinius Pollio.

Ab anno uſque 715 Conſulem deſignaverunt Pollionem in hunc annum Triumviri. Bellum quod ingruit Octavianos inter & Antonianos a provincia ante Sept. ineunda eum prohibuit; attamen paucorum dierum ſpatio eam obivit mutatis Conſſ., Prætoribuſque elapſo prope jam anno. C. Claudi Marcelli mors, qui prægnantem reliquit Octaviam. Fuerat Conſul anno 704. Domitius Ahenobarbus impulſore Pollione ſe M. Antonio cum claſſe & copiis junxit. Livia Druſi Livii Claudiani Filia in Italiam cum Tiberio Claudio Nerone conjuge, & adoleſcente Tiberio filio ſuo commigrat. Labienus Sexti Pompej fautor Parthorum auxiliis adjutus in Syriam irruit. Parthis imperabat Pacorus Orodis Regis filius. Peruſia incenſa idibus ferme Maji, 400 Equites, Senatoreſque ante aram J. Cæſaris hoſtiarum more mactati ſunt. M.

Clau-

Claudius Marcellus C. Claudii Marcelli Filius & Octaviæ ortus eſt. M. Antonius ex Ægypto in Italiam menſe Junio abſoluto copias egit ſocietate inita cum Pompejo, quem poſtea perfide deſeruit. Pax Brunduſii compoſita per Coccejum duarum partium ſtudioſum, & Pollionem pro Antonio, & Mæcenatem pro Octaviano. Sancitum eſt hoc pacis fœdere, ut Octavianus in Sardinia, Hiſpania, Gallia, & Dalmatia dominaretur, & quantum terrarum eſſet trans Jonium mare, Orientem verſus ſub M. Antonii poteſtate foret. Extincta Fulvia conjuge M. Antonius uxorem duxit Octaviam Octavii ſororem ſed ex Ancharia natam.

Anno ab U. C. 715. Ante J. C. N. 39. H. N. 26. 27. Conſſ. L. Marcius Cenſorinus, C. Calviſius *vel* Claudius Sabinus.

Multiplicari Conſulum numerus, deſigari annus eorum nomine, qui primi munere fungebantur. Alii, qui annī decurſu provinciam inibant, minores Conſules vocari. Scribonia eadem, qua Juliam enixa eſt, die, ab Octavio repudiata eſt, ſive propter ſuam vivendi licentiam, ſive animum Principis ad Liviam amplectendam magis proclivum, ſive inutilem ea tempeſtate Scribonii Libonis amicitiam. Pacis fœdera icta ineunte hoc anno circa Miſenum cum Sexto Pompejo, & Triumviris. Sicilia, Sardinia, Corſica, & Acaja per annos quinque ei traditæ. Venia conceſſa fuit iis, qui Pompejum ſecuti ſunt. Hæc pax reddidit Reip. Claudium Neronem, Silanum, Saturninum, Aruntium, & Titium Patrem, qui proſcripti fuerant. Per hæc tempora Rufi Salvidieni ſceleſta conſilia patefacta ſunt, qui idcirco ab Octavio necari juſſus eſt. Præfuerat iſte olim claſſi contra Pompejum, & tunc imperium habebat in Gallia Narbonenſi. Pompejus Groſphus, qui per quinque annos arma tulerat pro Sexto Pompejo, pacis commodis uſus Romam rediit. Horatius ejus amicus tuno Odem ei dicavit: *O ſæpe mecum tempus* &c. Magna rerum pars, quas de Poetæ vita retulimus, his verſibus continetur: E. II. 2. *Romæ nutriri* uſque ad *Ut verſus facerem*. 8. Cal. Oct. Pollio de Parthinis Illyrii populis triumphavit. Horatii verſus mirifice comprobarunt Varius & Virgilius Poetarum in urbe tunc Principes, atque ita laudarunt apud Mæcenatem virum in primis nobilem, & litteratorum patronum, ut is no-

Digitized by Google

vi, nec adhuc latinis cogniti amatorem Carminis videre & alloqui percuperet. Ductum igitur Vatem a familiaribus viris Vario ac Virgilio interrogavit ille, more suo, paucis, cujas esset: quo natus patre: aliaque id genus, quæ omnia, ut erant, ingenue confessus est. Sed nonnisi nono post mense (quænam tantæ intercapedinis causa fuerit, incertum) Poetam rursus arcessitum in suorum numerum Mæcenas cooptavit. S. I. 6. *Optimus olim* &c.

Anno ab U. C. 716. Ante J. C. N. 38. H. N. 27. 28. Conss. Appius Claudius Pulcher, & Norbanus Flaccus.

Octavius sibi uxorem adjunxit Liviam, quæ Livii Drusi filia erat, & Tiberii Claudii Neronis conjux, qui eam prægnantem conceſſit. Ipsa tribus post mensibus Claudium Drusum Neronem genuit. Calvisii Classis tempestate pessumdata est in Siculo mari. Eximiam Agrippa victoriam de Aquitanis, qui jam defecerant, retulit. P. Ventidius, qui anno superiore ab Antonio legatus missus in Syriam Labienum occiderat, a Syria Parthos expulerat, & provincias, quas Barbari occuparant, receperat, hoc anno occidit Pacorum, & de Parthis triumphavit Romæ. Pacis fœdera sancita præcedenti anno cum Sexto Pompejo fracta sunt Menæ perfidi causa. Circa Cumas prælium inter Octavii Classem, Duce Calvisio Sabino, & inter Sexti Duce Menecrate. Sextus Pompejus victus in fugam se dedit. Menas, qui in Octavii Classe erat, Menecratem occidit. Nemini data venia. Omnes Senatores, & equites Pompejani morte multati sunt, exceptis paucis. Legiones ad Octavii copias accessere, mancipia in manus Dominorum tradita ad pœnam, alia cruci adfixa. Nunc certe Pompejus Grosphus nullam impetrasset veniam. Horatius sequestro suo ingenio, Musa conciliatrice in Mæcenatis primum, & subinde Octavii gratiam admissus villam in Sabinis dono datam accepit, cujus situm, formam, & commoda cum alibi, in locis bene multis, tum præcipue in fragmento Carminis: *Laudabunt alii* &c. & in E. I. 16. graphice descripsit: *Continui montes* usque ad *ambiet Hebrus*. Fundus hic & Villa appellabatur Ustica. Duas concinnavit Odas: *Laudabunt alii* &c. *Lupis & Agnis* &c.

Anno ab U. C. 717. Ante J. C. N. 37. H. N. 28. 29. Conss. M. Vipsanius Agrippa, L. Caninius Gallus, Statilius Taurus in locum Caninii extincti subrogatus.

Pacorus filius natu major Orodis in Syria occisus est

cum

Digitized by Google

cum Labieno pugnans in Romanos, quibus præerat Ventidius Antonii legatus. Orodes jam senio confectus, & tristitia fractus ex morte Pacori regnum in manus Phraatis minoris natu Filii tradit. Horatius Brundusium petit comes Mæcenatis, qui rursus cum Coccejo conniti debebat, ut iterum Octavium & Antonium in concordiam redigeret. Pax composita Tarenti. Illud iter peractum est Autumni tempestate. hinc Satira *Egressum magna* &c. Octavius & Antonius ad quinque annos sibi prorogant summam in imperio auctoritatem. Agrippa mari præfectus ad Bajas portum construit. Messala creatus est Propræfectus classis sub Agrippa. Hoc inter cetera fœdera Tarentina fuit, Octavium Antonio præbiturum fuisse 20000 militum contra Parthos, & Antonium Octavio daturum 130 naves. Cal. Juliis Statilius Taurus Tarento discessit cum hac classe, Octavius a sinu Puteolorum cum sua, & Lepidus ex Africa cum aliquot navibus invadendi causa Siciliam tripartito. Magna vis Africi naves laceravit ac distulit. Calvisius dignitate Tribuni militum spoliatus est, quod Menam ad Pompejum iterum defciscere temere passus fuerit. Molestе tulerat transfuga sibi præpositum Sabinum. Horatius qui fere semper Mæcenatem comitabatur, Octavii classe vehebatur, quæ naufragium fecit circa Veliam, Palinuriique promontorium, ubi putavit sibi pereundum esse, ut ipse profitetur O. III. 14. *Non me Philippis* usque ad *Palinurus unda*.

Anno ab U. C. 718, Ante J. C. N. 36. H. N. 29. 30. Conss. L. Gellius Poplicola, M. Coccejus Nerva.

Octavius refecta classe in Siciliam cum Mæcenate & Agrippa navigat. Menas ad Cæsarem iterum accessit, ita tamen, ut propter defertam toties fidem nulli posthac præficeretur imperio, sed tamen unus eo honore decoraretur, ut cum Octavio cenaret, & jure ferendi annuli aurei eques utoretur. Agrippæ ductu pugnatum prospere apud Mylas, victusque est Democares Pompejanæ Classis Dux. Sed inopinato Pompej aggressu circa Tauromenium sub ipsis Cæsaris oculis accepta clades, neque ab ipso periculum abfuit. Legiones, quæ cum Cornificio erant legato Cæsaris expositæ in terram pene a Pompejo oppressæ sunt. Mæcenas Romam missus ad sedandos motus. Agrippa Octavii jussu opem tulit Cornificio exercitus Duci, Pompejusque fuga Asiam petere coegit. Mæcenas

Digitized by Google

Roma reverſus ſecundæ navali pugnæ interfuit, quæ circa Pelorum commiſſa eſt. Octavius oppidatim, teſte Appiano lib. 5, inter Deos tutèlares conſecratus eſt. Phraates Patrem, a quo Regnum acceperat, jam decrepitum de medio ſuſtulit. Moneſes Surenæ filius & alii Principes viri ejus immanitatem peroſi ad Antonium transfugerunt. Statiani exercitus a Parthis conciſus eſt, quia ſero ei Antonius auxilium tulit.

Anno ab U. C. 719. Ante J. C. N. 35. H. N. 30. 31. Conſſ. L. Cornificius Nepos, Sextus Pompejus Sexti Pompei filius Nepos.

Sextus Pompejus in Aſia ſocietatem inivit cum Parthis. Ahenobarbum capere volebat, & copias corrumpere, quas Octavius Antonio mittebat. Cyzicum terra marique obſedit, claſſem Furnii perculit, potituſque eſt Lampſaco, Nicæa, & Nicomedia. 40. annos natus Antonii juſſu vel Planci jugulatus eſt a Titio illo, quem ipſe paulo ante ceperat, & liberum dimiſerat. Phraates regno pulſus eſt a Parthis, qui Tiridatem ſtatim in ejus locum ſuffecerunt. Octavius, teſte Appiano, Tribunus Plebis perpetuus vocatur, quam dignitatem idem deprecatus eſt. Bellum inferre Britannicis inſulis ſtatuit. Conſpiratio Pannoniorum, quos pariter Dalmatæ ſecuti, ab eo conſilio eum dimovit. Invaſit igitur in Pannoniam, ubi in prælio Menas interfectus eſt a Barbaris. Horatius domum ſuam in Sabinis primum ædificabat, & Mæcenas ſuam in Eſquiliis. Poeta Satiram edidit: *Sic vero ſcribis.* &c.

Anno ab U. C. 720. Ante J. C. N. 34. H. N. 31. 32. Conſſ. M. Antonius, qui eadem die ultro Magiſtratu abiit, L. Sempronius Atratinus, L. Scribonius Libo.

Octavius inceptum bellum contra Dalmatas peragendum curavit Statilio Tauro, qui ex Africa victor redibat. Antonius Artavaſdem Armeniorum regem in triumphum egit Alexandriam. Statilius Taurus de Africa triumphum habet pridie Cal. Jul. Lepidum ad defectionem Siciliam concitantem Octavius exercitu orbat & dignitate. Sed pietate motus ſtupido homini vitam conceſſit, & ſummum Pontificatum, quo frui eum otioſe reliquo vitæ ſpatio paſſus eſt. Creavit Augurem Valerium Meſſalam, Mæce, natem præfecit Italiæ gubernandæ. Agrippa magnificentiſſimam geſſit ædilitatem. Licet Conſul fuerit anno 717.

demi-

demisit tamen ultro animum ad hoc munus suscipiendum. Horatius Epistolam scribit: *Albi nostrorum* &c.

Anno ab U. C. 721. Ante J. C. N. 33. H. N. 32. 33. Consl. C. Cæsar Octavius II., L. Volcatius Tullus.

Ex præda de Dalmatis relata Octavius porticum, & bibliothecam a nomine Sororis Octaviæ vocatam, & alteram porticum nomine Uxoris Liviæ ædificari jussit. Primo die se Consulatu abdicavit. Hujus anni Fastis adscribendus est tertius Antonii Consulatus numismatis consignatus, & hæc Ode: *Quo quo scelesti* &c.

Anno ab U. C. 722. Ante J. C. N. 32. H. N. 33. 34. Consl. C. *vel* Cn. Domitius Ahenobarbus, C. Sosius Nepos.

Octavius & Antonius repente societatem dirumpere. Consules, multique Patres in Ægyptum confluere ad Antonium, qui Octaviæ nuncium remisit. Plancus & Titius ejus nepos ab Antonio ad Octavium desciscere. Octavius frustra conatus Corcyram expugnare, classem suam cernere procella vexatam. Antonius Patras hyematum recedere. Horatius Odas perficit: *O Natæ mecum* &c. *Pastor cum traheret* &c.

Anno ab U. C. 723. Ante J. C. N. 31. H. N. 34. 35. Consl. C. Cæsar Octavius III. M. Valerius Messala Corvinus.

Octavius verno tempore cum copiis Antonio occursum discedit Brundusio. Mæcenas secum Horatium ducere noluit. Solandi causa mœstum Poetæ animum, eidem ab Octavio jus ferendi equestris annuli & angusticlavi impetravit. Hujus beneficii argumentum patet ex verbis Devi servi. *Tu cum projectis* usque ad *non es, quod simulas?* S. II. 10. Actiaca pugna. Cleopatram metu correptam, & fugientem secutus Antonius. Victoriam reportavit Octavius. Cn. Domitius Ahenobarbus & Sosius ad Victorem se contulere, quorum alter per Agrippam, alter vero per Aruntium gratiam impetravit. Tibullus Messala duce in hoc certamine meruit. Pollio ultro abfuit. Fortasse hoc anno Historiæ bellorum civilium, quæ 30 annos perdurarunt, finem imposuit. Varus Cassium, Parmensem Athenis interimi jubet, quo post Antonii cladem ille Verificator fecesserat. Dionysius Halicarnass. Romam venit. Mæcenas domum suam & hortos tandem construxit. Horatius hæc cecinit: *Albus ut obscura* &c.

Ibis

Ibis Liburnis &c. Altera jam teritur &c. Quando repoſtum &c. Olim truncus eram &c. Hoc erat in votis &c. Ambubajarum &c.

Anno ab U. C. 724. Ante J. C. N. 30, H. N. 35. 36. Conſſ. C. Cæſar Octavius IV., M. Licinius Craſſus, & in ejus locum ſubſtitutus Cicero filius.

Octavius Romæ Italiæque regimen Mæcenati & Agrippæ permittit, & in Ægyptum curſum dirigit. Antonius Cal. Auguſti, & Cleopatra 4. Cal. Sept. ſeſe interfecerunt. Tota Ægyptus in ditionem victoris, & in Provinciæ formam redacta, gubernanda datur Cornelio Gallo. In Epiſtola, quam Octavius Senatui ſcripſit de rebus ſuis geſtis Filium Ciceronis in locum Craſſi ſublegendum curavit. Senatus libenter id comprobavit. Octavius in Syriam perrexit. Phraates a Scythis adjutus regnum recepit, legatos miſit ad Auguſtum, ad quem jam profugerat imploratum auxilium Tiridates ſolio depulſus, Phraatis filio ſecum ducto. Ex Syria in Aſiam procedere Octavius. Craſſus Dacos, Baſternas, & Miſios fundere & cædere. Horatius Odem lucubravit: *Nunc eſt bibendum* &c.

Anno ab U. C. 725. Ante J. C. N. 29. H. N. 36. 37. Conſſ. C. Cæſar Octavius V, Sextus Apulejus Nepos, cui ſucceſſit Valerius Potitus.

Senatus Templum Jani claudendum decernit. Octavius in Aſia hyemat, & in Samo quintum init Conſulatum. Meſſala in Syria Q. Didio ſuccedit. Statilius Taurus Dalmatas devincit. Craſſus rurſum populos Dannubii accolas Dacos ſcilicet & Baſternas, & Thracas internecione delet. Templum Jani clauſum eſt primo ab Octavio, qui menſe Auguſto triduo triumphavit; prima die de victis Pannoniis, & Dalmatis, ſecunda propter victoriam Actiacam, & tertia de Ægypto devicta, ac ſubacta. eumdem deponere cogitantem imperium Mæcenas dehortatur. Nomen ſumit Imperatoris. Cenſum agit Populi R. Senatus honores ei divinos ſtatuit. Hæc Horatii prodiere: *Motum ex Metello* &c. *Scriberis Vario* &c. *Quo me, Bacche, rapis* &c. *Quid tibi viſa Chios* &c.

Anno ab U. C. 726. Ante J. C. N. 28. H. N. 37. 38. Conſſ. C. Ceſar Octavius VI, M. Vipſanius Agrippa II.

Octavius claudit luſtrum, Princeps Senatus renunciatur, Templum, bibliothecamque Palatini Apollinis dedicat.

Cele-

Digitized by Google

Celebrantur primum Actiaci ludi, quorum cura committitur 4 Pontificum collegiis, nempe Pontificibus, Auguribus, Septemviris, & Quindecemviris. Ad finem vergente anno Meſſala ex Syria ad Aquitaniam regendam mittitur. Tibullus eum ſecutus eſt. Horatius hæc in lucem emiſit: *Delicta Majorum* &c. *O navis, referent* &c. *Quid dedicatum* &c. *Trojani belli* &c.

Anno ab U. C. 727. Ante J. C. N. 27. H. N. 38. 39. Conſſ. C. Cæſar Octavius VII., M. Vipſanius Agrippa III.

Primis Januarii diebus Octavius frequenti in Senatu declarat, ſe imperii habenas ei velle tradere: ſed unanimi conſenſu id conſilii rejectum eſt. 7 Idus ejuſdem menſis appellatus eſt Princeps per annos decem, & ſummam imperii aſſumere juſſus. 3. Idus provincias Senatoribus diſtribuit, & 16 Cal. Feb. rogante Munacio Planco Auguſti cognomen accepit. Nocte ſequenti Tibris aquarum alluvione late loca operire. Cœlum tonare, ningere, grandinare. Auguſtus menſe Majo ægrotat. ſequenti menſe jam aperit Templum Jani, & Roma cum exercitu ad arma inferenda in Inſulas Britannicas proficiſcitur, ſed eum legati illinc miſſi Arimini nanciſcuntur, ubi pacta, legeſque impoſuit, pacemque fecit. Sextus Apulejus bello Cantabros perſecutus eſt, & Meſſala Aquitanos, de quibus triumphavit 7. Cal. Octob., quo die ortum duxit. Conſilium Romæ initur de traducendo in Arabas exercitu. Ælius Gallus in Ægypto in locum Cornelii Galli ſubſtitutus eſt, qui de maledictis in Auguſtum conjectis accuſatus a Valerio Largo exilio damnatus eſt, ſed ignominiæ impatiens gladio ſibi vitam præripuit. Imperator compoſitis Gallorum rebus in Hiſpaniam iter facit ſub hujuſce anni finem, ut eam in officio contineret, ibique tres annos moratur. Horatius hæc conſcripſit: *Jam ſatis terris* &c. *O diva, gratum* &c. *Ieci beatis* &c.

Anno ab U. C. 728. Ante J. C. N. 26. H. N. 39. 40. Conſſ. C. Cæſar Auguſtus VIII., T. Statilius Taurus II.

Sextus Apulejus triumphum de Hiſpania deportat 7. Cal. Feb. Rurſum rebellant Cantabri & Aſturii elapſo prope anno. Horatius Epiſtolam exarat: *Ne porcorteris* &c.

Anno ab U. C. 729. Ante J. C. N. 25. H. N. 40. 41. Conſſ. C. Cæſar Auguſtus IX., & M. Junius Silanus.

Agrippa Pantheon, & porticum Neptuni aut Argonautarum

Digitized by Google

tarum absolvit. Ælius Largus in Arabiam felicem, Petronius in Æthiopiam exercitum egit. Juliam duxit uxorem Marcellus. Tarracone Augustus legationem Scytharum & Indorum accipit. Ad eum confugit Tiridates vitæ suæ metuens in Syria. Post Regis Amyntæ obitum Galatia, Livonia, Isauria, & Pisidia in Populi R. provincias evasere. M. Lollius Proprætor, homo pecuniæ avidissimus, & in summa vitiorum dissimulatione vitiosissimus illic imperium habuit. Salassos concidit Terentius Varro Murena, Cantabros, & Asturios sibi submisit Augustus. Marcellus, Tiberius, & Junior Lollius in hac primum acie meruere. Anno prope decurso Augustus ex morbo in summum vitæ discrimen incidit, sed mense Junio sequentis anni ad pristinam valetudinem restitutus est ab Antonio Musa, qui propterea magna pecuniæ vi, & equestri annulo donatus est. Poeta cecinit Odas: *Non ustata* &c. *Quantum distat* &c.

Anno ab U. C. 730. Ante J. C. N. 24. H. N. 41. 42. Consl. C. Cæsar Augustus X., C. Norbanus Flaccus.

Mors Terentii Varronis Murenæ designati Consulis ad sequentem annum. Finis expeditionis Galli, & Petronii. Augusti reditus ex Hispania peracto Junio mense, comes in itinere erat Tiridates. Clauditur iterum Jani Templum. Quintilius Virgilii & Horatii amicus obit. Cantabri post Augusti discessum cum hostiliter in Romanos egissent a L. Æmilio Hispaniæ Prætore ad officium redacti sunt. Ante Augusti in urbem reditionem hæc omnia gesta sunt. Horatius hæc protulit: *Quis desiderio* &c. *Et thure, & fidibus* &c. *Herculis ritu* &c. *Nil admirari* &c.

Anno ab U. C. 731. Ante J. C. N. 23. H. N. 42. 43. Consl. C. Cæsar Augustus XI., qui in sui locum subrogavit L. Sestium Nepotem, & Cn. Calpurnius Piso.

Phraates Romam Principes viros delegat, ut sibi Filius, & Tiridates mittatur, & se Romana signa redditurum promittit. Rem Patres detulere Augusto, qui Phraati Filium reddidit, & Tiridatem retinuit, quem Romæ morari passus est. Ægrotat, & convalescit Augusto mense. Testamenti sui certiorem facit Senatum, ubi Marcellum sibi successorem delegerat. Id Agrippæ & Tiberio offensioni fuit. Ne quid accideret incommodi, aliquandiu eos procul abesse coegit. Primus in Syriam cum imperio

Digitized by Google

perio missus in Lesbo substitit, suosque legatos copiis præfecit, Tiberius Orientis provincias invisere ac regere jussus. Mors Marcelli. Culpa in Liviam collata est. Horatius frigida se proluit. Augustus intimum a secretis eum sibi eligit. Sed Poeta gratiis actis minime offenso Principi id muneris recusavit. Cantabri & Asturii denuo deserta fide a C. Furnio, & P. Carisio fusi sunt. Hæc defectio initium habuit & finem eodem ferme tempore. Augusto Tribunicia perpetua potentia tradita est, quam rejecerat an. 719. Hæc Horatius composuit: *Musis Amicus* &c. *Quem virum, aut heroa* &c. *Quæ sit hyems Veliæ* &c. *Septimius Claudi* &c. *Quinque dies tibi pollicitus* &c.

Anno ab U. C. 732. Ante J. C. N. 22. H. N. 43. 44. Consl. M. Claudius Marcellus Æserninus, L. Aruntius Nepos.

Conspiratio Licinii Murenæ, & Fannii Cepionis, qui exilio damnati, & inde vita privati sunt. Nec Murenæ suppetias tulere Proculejus Frater, & Mæcenas levir. Magnæ Armeniæ populi Regem suum Artabazum odio habentes reposcunt Tigranem, qui Romæ degebat. Jani Templum iterum apertum est. Augustus in Siciliam concedit attingente jam finem anno, ut hinc in Orientem iret, & a Phraate Parthorum rege vexilla acciperet, captivosque. Bellatum in Getas, aliasque Danubii gentes. Pestis & fames Italia tota grassari. Horatius hæc concinnavit. *Vixi puellis* &c. *Te maris & terræ* &c. *Flore bono, claroque* &c.

Anno ab U. C. 733. Ante J. C. N. 21. H. N. 44. 45. Consl. M. Lollius, M. *vel* Q. Æmilius Lepidus filius M.

Cum esset adhuc in Sicilia Augustus, Consulatu abiit, qui postea Lepido datus est. Effusæ Lepidi, & Silani largitiones, & acerrimæ contentiones multas turbas Romæ excitarunt. Necessaria videbatur esse Principis præsentia ad seditionem compescendam, quæ maxima portendebat incommoda. Verum in eo semper consilio ille perstitit, ut in Asiam ad ulciscendam Crassi Antoniique cladem gradum faceret. Ambo consulatus competitores eum in Siciliam profecti adierunt. Ille eos dictis acriter carpsit, & Romam ad comitia redire vetuit. Lollius, qui Collega fuerat Augusti pro suo jure Collegam sibi elegit Lepidum. Romæ regimen Agrippæ delegat, eidemque conjugii fœdere obligat filiam suam nuper Marcelli viduatam,

repu-

repudiata Marcella majore natu filia Octaviæ. Postrema Petronii Missio contra Candacem Æthiopiæ Reginam. Augustus ex Sicilia Græciam, & inde Samum petit, ubi totam duxit hyemem. L. Sempronius Atratinus de Africa triumphat 4 Idus Octob. Decurso prope anno Romam deserere cogitur Agrippa, & imperium Galliæ sumere, ubi populi Germanorum incursionibus obnoxii inibi erant, ut desciscerent. Horatius hæc concinit: *Justum ac tenacem* &c. *Tyrrhena regum* &c. *Impios parræ* &c. *Sunt quibus in Satira* &c. *Juli Flore, quibus*, &c.

Anno ab U. C. 734. Ante J. C. N. 20. H. N. 45. 46. Consl. M. Apulejus F. Sexti Nepos, P. Sillius Nerva.

Tiberius Augustum adit in Samo hibernantem ineunte anno, unde adventante vere vocatur in Armeniam. Alteram ab Indis legationem Augustus accipit. Legatis Reginæ Candacis Vectigalium remissionem concedit, quæ Resp. ab Æthiopiæ gentibus colligebat. Verno tempore in Asiam iter facit & Bithyniam, inde in Syriam. Rufi Egnatii conjuratio in Augustum. Ejus furor erupit, & statim extinctus est. Ortum habuit Cajus ex Agrippa & Julia. Parthi Artaxiæ Armeniorum regis, qui Artabazo successerat, causæ armis patrocinantur. Hos motus Tiberius sedat; & Tigranem in Armeniæ solium revehit. Phraates se submittit Augusto, reddit insignia, & captivos, Filios 4 dat obsides. Jamblicum Augustus principatu donat Arabiæ, Tarcondimotem Ciliciæ, Archelaum Armeniæ minoris, Herodem Tetrarchiæ Zenodori, & Comagenis Mithridatem. Agrippa relicto Galliæ regimine in Hispaniam irruit, ubi Cantabros rursum imperium Principis detrectantes ita ad obsequium compulit, ut ad alias seditiones concitandas vires iis imposterum defuerint. Anni decursu Augustus in Samum revertitur, ubi hiberna egit. Vellej. Paterc. hoc anno, simulatque reddita sunt insignia a Parthis, ait erupisse Conjurationes Cepionis, Murenæ, & Egnatii Rufi. Horatius hæc in lucem emisit: *Ille & nefasto* &c. *Non semper imbres* &c. *Calso gaudere & bene* &c. *Si bene te novi* &c. *Si potes Archiacis* &c. *Fructibus Agrippæ* &c.

Anno ab U. C. 735. Ante J. C. N. 19. H. N. 46. 47. Consl. C. Sentius Saturninus, Q. Lucretius Cinna Vespillo, M. Vinicius.

Indi Augustum in Samo conveniunt, pacemque impetrant,

Digitized by Google

trant, quam anno præcedente poposcerant per legatos. M. Vinicius in locum demortui alterius Consulis subrogatus est. Agrippa detrectato triumphi honore bellum suscipit Pannoniæ, quod plures annos continuatum est. Virgilii in Græciam itio, & nulla hinc reditio. 52 annos natus 10 Cal. Sept. excedit e vita. Tibullus 44 circiter annum agens obit. Romam regreditur noctu Augustus 4 Idus Octob. Postridie Senatus ad comprimendos populi motus ex Consulum ambitu concitatos absente Principe, eum moribus conformandis per quinquennium præponit, & insuper perpetua insignit Consulari dignitate, & ferendarum, quas ipse vellet, legum potestate. Horatius his venam exercuit: *Mortiis cælebs* &c. *Sic te, Diva potens* &c. *Cælo Tonantem* &c. *O Venus regina* &c. *Nos quis Mæcenas* &c.

Anno ab U. C. 736. Ante J. C. N. 18. H. N. 47. 48. Conss. Cn. *vel* L. Cornelius F. L. Lentulus, P. Corn. F. P. Lentulus Marcellinus.

Lex Julia de maritandis ordinibus ab Augusto lata. Tiberius Galliam Comatam administrandam suscipit. Anno fere elapso Augustus titulum auctoritatemque Principis sibi in quinquennium prorogari jubet. Per totidem annos Tribunitia dignitate Agrippam condecoravit.

Anno ab U. C. 737. Ance J. C. N. 17. H. N. 48. 49. Conss. C. Furnius, C. Junius Silanus.

Augustus ludos Seculares celebrat, Horatiumque deligit ad concinnandos hymnos, qui his diebus festis cani solebant. Cajum & Lucium adoptat Agrippæ Juliæque filios. Lucius nuperrime genitus erat, Cajus autem trimulus. Horatius Odas modulatus est: *Poscimur. si quid* &c. *Odi profanum*. &c. *Descende cælo* &c. *Nempe incomposito* &c.

Anno ab U. C. 738. Ante J. C. N. 16. H. N. 49. 50. Conss. L. Domitius F. Cn. Ahenobarbus, P. Cornelius Scipio.

Hujusce anni initio Lollius Pater in Thraciam abit auxiliatum Rimetalci avunculo & tutori filiorum Cotis; Bessos profligat, inde cito in Germaniam pergit. A Sicambris percellitur, quos paulo post ipse fundit, aut potius cogit recedere, & pacis fœdera accipere. Augustus Sept. Mense in Galliam iter facit, audito Lollianæ cladis nuncio. In Syriam ivit Agrippa, Tiberius Augustum comi-

Digitized by Google

comitatur. Taurus ad Romæ gubernaculum ſedet, & Italiæ. Horatius Odem texit: *O crudelis adhuc* &c.

Anno ab U. C. 739. Ante J. C. N. 15. H. N. 50. 51. Conſſ. M. Livius Druſus Libo, L. Calfurnius Piſo Ceſoninus.

Rhetorum & Vindelicorum ſtrages per Tiberium & Druſum Auguſto menſe. In prima pugna ſolus erat Druſus. Tiberius miſſus, ut in loco obſecundaret. Auguſtus totum annum in Gallia conterit. Propertius unum & quadraginta annos natus occumbit. Ejus tumulus anno 1722 Hiſpelli in Umbria inventus eſt ſex millibus paſſuum procul Mevania, ubi genitus eſt, ſub ruinis domus, quæ Poetæ hodie domicilium vocatur.

Anno ab U. C. 740. Ante J. C. N. 14. H. N. 51. 52. Conſſ. Cn. *vel* M. Craſſus F. M., Cn. Corn. Lentulus Augur.

Bellum Pannoniis, Liguribus, & Boſphoris infertur. Auguſtus Roma abſens Galliæ res dirigit, Germaniæque, & Rhetiæ, & plures colonias in Gallias, Hiſpaniamque deducit. Horatius Odem facit: *Pindarum quiſquis* &c.

Anno ab U. C. 741. Ante J. C. N. 13. H. N. 52. 53. Conſſ. Tiberius Claudius Nero, Q. Quintilius Varro Fil. Sex.

Agrippa ex Syria reverſus per quinquennium Tribunitia poteſtate fungitur; & exeunte anno in Pannonios bellum importavit, qui jam arma receperant. Auguſtus elabente Feb. e Gallia in urbem remigrat. Summum Pontificatum demortuo Lepido ſuſcipit. Druſus in Germania remanet. Horatius has Odas ſcribit: *Divis orte bonis* &c. *Qualem miniſtrum* &c. *Quæ cura Patrum* &c.

Anno ab U. C. 742. Ante J. C. N. 12. H. N. 53. 54. Conſſ. Cn. Valerius Meſſala Barbatus Æmilianus, P. Sulpitius Quirinus.

Auguſtus per aliud quinquennium in ſummo rerum principatu conſtituitur. Agrippa Pannonia relicta in Campania occumbit morte 13 Cal. April. 51 annum agens. Moles ejus belli in Tiberium translata, cujus belli cauſa conſtiterat Aquilejæ Auguſtus, ubi Herodes eum adiit cum duobus ſuis filiis officii gratia. In aliud quinquennium Auguſtus Magiſter & Cenſor morum renunciatur. Druſus in Sicambros, Uſipetas, & Friſios primum mittitur. Cenſus Gallorum conficitur.

Anno

Digitized by Google

Anno ab U. C. 743. Ante J. C. N. 11. H. N. 54. 55. Conſſ. Q. Ælius Tubero, Q. *vel* P. Fabius Maximus.

Cenſum Romæ Auguſtus habet, & alterum condit luſtrum. Theatrum Marcelli dicat teſte Plinio. falſo hoc ad annum 741 refert Dio. Nuptum Tiberio dedit Juliam viduatam morte Junioris Marcelli, & Agrippæ, divortio ægre facto cum Vipſania Agrippina ſibi cariſſima, Agrippæ filia ex primo thalamo, & jamjam alterum Filium enixura. Octavia Soror Auguſti viduata morte Marcelli Senioris, & inde M. Antonii obit. Druſus ineunte vere in Germaniam redit, Rhenum tranſit, Uſipetas domat, in Sicambros impetum facit, & Cheruſcos, & ad Viſurgim uſque procedit. Auguſtus ut proxime ad Druſi exercitum accederet, in Galliam remeat cum Tiberio medio anni curſu. Dum res ſuas geſtas novis auget in Germania Druſus, Tiberius in Pannonios & Dalmatas mittitur, quos denuo perdomuit. L. Piſo Thracas ſuperavit. Sub anni finem propter Druſi, Tiberiique victorias fit S. C. de claudendo Jani Templo. Dacorum & Dalmatarum, qui tunc inſurrexere, turbulenti motus illud decretum exequendum in ſequentem annum diſtulere. Tiberius bellum adornat ad eas gentes imperio ſubigendas.

Anno ab U. C. 744. Ante J. C. N. 10. H. N. 55. 56. Conſſ. Julius Antonius Triumviri Filius, Q. Fabius Maximus Africanus.

Tiberius & Druſus bello occupati hiberno quoque tempore, alter contra Dacos, aut Getas, alter vero contra Germanos, primis anni menſibus in ditionem ſuam eos redigunt. Auguſtus cum utroque Romam remigrat, tertio & extremo Jani templum claudit, & ad exitum perducit, quidquid præcedenti anno Senatus decreverat. Anno prope completo renovatur bellum in Germania, cujus cura Druſo demandata. Tiberius ad cohibendos novos Dalmatarum & Pannoniorum conatus diſcedit. Horatius hæc in lucem edidit: *Phœbus volentem* &c. *Quum tot ſuſtineas* &c. *Ut proficiſcentem* &c.

Anno ab U. C. 745. Ante J. C. N. 9. H. N. 56. 57. Conſſ. Claudius Druſus Nero, T. Quintius Criſpinus Sulpitianus.

Druſus Conſul in Germania coram exercitu renunciatur. Tiberius in Pannonia, & propter Dannubium victoriam conſecutus Papiam ſe confert apud Auguſtum ante men-

Digitized by Google

ſem Julium. Druſus fracto ſibi crure propter præcipitem ex equo lapſum, devictis jam Germanis, in æſtivis 5 Idus Julias e vivis exceſſit 30 annos natus, 30 dies ante obitum graviter ægrotavit, teſte Livio. Hujuſce caſus accepto nuncio Papiæ Auguſtus Tiberium ſtatim diſcedere juſſit, qui adeo citatis equis curſum præcipitavit, ut morienti Druſo adfuerit. Hic jam Viſurgim trajecerat, & ad Albim uſque progreſſus fuerat. Propter Victoriam decretus ei fuerat triumphus, & ludi, ſicut etiam Tiberio. Uxorem habuit Antoniam Octaviæ, & M. Antonii Filiam, ex qua Filium ſuſcepit nomine Germanicum. Dionyſius Halicar. antiquitates Romanas in publicum edit.

Anno ab U. C. 746. Ante J. C. N. 8, H. N. 57. Conſſ. C. Marcius Cenſorinus, C. Aſinius Gallus Pollionis Filius.

Auguſtus urbem repetit, Laurum in Jovis templum detulit propter Tiberii, Druſique Victorias. Titulum Principis poſuit, quem viginti annos tulerat. Calendarium Pontificum incuria turbatum corrigit, nomenque ſuum indit menſi, qui antea Sextilis dicebatur. Bellum Germanorum Tiberio tranſmiſſum eſt. Auguſtus, ut ei propior eſſet, in Galliam procedit. Sicambri Tiberio ſe dedunt, quos ipſe ad alteram Rheni partem transfert propter lævam ripam. Poeta noſter 3 Cal. Dec. 7 & 50 annos natus minus undecim diebus, triginta circiter diebus ante Mæcenatis obitum vitam cum morte commutavit.

Antiquus Auctor Horatianæ vitæ iis verbis, quibus Mæcenas Horatium Auguſto commendat: *Horatii Flacci ut mei eſto memor*, hoc ſibi videtur velle, nempe Poetæ mortem ſucceſſiſſe Mæcenatis. Sed præterquamquod plura in ea vita narrantur valde dubia fide, præjudicata opinio, quæ hominum animis diu hæſerat, hac ſuper re, fortaſſe illis verbis alium, quam par fuerat, ſenſum adſtruxit. Is Auctor ait, Mæcenatem plura Horatio conſtantis amicitiæ argumenta dediſſe, præcipue vero in teſtamento, quod Auguſto inſcripſit, ubi maximam erga Poetam benevolentiam ſignificabat. Illud teſtamentum, quod poſt mortem dumtaxat Mæcenatis apertum fuit, diu ante ejus obitum peractum fuerat, & quamvis Horatius jam interierit, ejus tamen nomen exhinc expunctum non fuit, quia Mæcenas aut non potuit, aut abs re eſſe judicavit teſtamentum mutare tam levi de cauſa. En verba Auctoris: „ Mæcenas quantopere eum dilexerit ſatis demonſtra-

„ ſtratur illo Epigrammate. &c. Sed multo magis extre-
„ mis, tali ad Auguſtum elogio: Horatii Flacci ut mei
„ eſto memor. „ Teſtamentum quodque extrema hominis verba continere ſolet, & manſura animi ſenſa. *Extremis* idem eſt ac *extremis verbis*, *tabulis*. Præterea Iſidorus lib. 19 Originum cap. 23 ait, Endecaſyllabos illos, quibus Mæcenas Horatii mortem deplorat, Mæcenati tribuendos eſſe. Stilo certe illius conſoni ſunt. En verſus.

„ Lugens te, mea vita, nec ſmaragdos,
„ Berillos neque, Flacce mi, nitentes,
„ Nec percandida margarita quæro,
„ Nec, quos Thinica lima perpolivit,
„ Annellos, neque Iaſpios lapillos.

ex quibus patet Poetam prius obiiſſe. Tandem plurimi docti viri, inter ceteros Turnebus, Torrentius, Joan. Douza, & Andreas Scotus idem ſentiunt, communemque illam ſententiam tanquam nullo nixam fundamento rejiciunt. Fruſtra igitur Dacierius, qui præconcepta illa opinione ferebatur, tantopere in excuſando Horatio elaboravit, quod nullum nobis carmen reliquerit Poeta, veluti doloris ſui argumentum in Mæcenatis obitum.

Jam vero ſi quæras, in quanam hæreſi Philoſophica ille fuerit, nihil æque certum eſt, ac nullius fuiſſe, idque apparet ex E. I, 1, ubi provecta tunc ætate maturus, poſtquam ſignificavit, ſe nugis omnibus tandem omiſſis vacare velle Philoſophiæ, ſubjungit: *Ac ne forte roges* uſque ad *deferor hoſpes*. Et bene ait *hoſpes*. neque enim ſi quidpiam ex aliqua ſecta ſemel probaſſet, idem ſemper probabat, ſed more hoſpitum apud ſingulos tamdiu divertebatur, quamdiu libebat. Jam poſtquam initio cum Stoicis & Academicis ſenſerat de divina in res humanas providentia, eamdem viſus eſt negare cum Epicuro S. I, 5, quam ſcripſit juvenis; iterumque in Carmine Seculari errorem iſtum ejuravit, & ea, qua par erat, religione de diis judicavit, utpote quos & invocaret, & precaretur pro ſe, pro Mæcenate, pro Auguſto, Populoque R. Unde ſatis liquet, Horatium nihil minus, quam Epicureum fuiſſe. Neque obeſt iis, quæ diximus, quod E. I. 4. ſe vocat *Epicuri de grege porcum*: nihil enim aliud, quam cum ſuo Tibullo ridere voluit, ac ſignificare, ſe pinguem eſſe, & nitidum, quales erant Epicureæ doctrinæ Sectatores. Vetus Auctor vitæ Virgilii ait: *eos*

Digitized by Google

vos omnes Poetas sibi adjunctos habuit Maro, ut, quum inter se plurimum invidierent, illum una omnes colerent, Varius, Tucca, Horatius, Gallus, Propertius. Ecce invidos homines etiam Horatium & Propertium. Hinc nec Horatium Propertius, nec Propertium Horatius ullo loco poematum suorum, mutuo benevolentiæ pignore nominavit. Ex his permotus celeber Antonius Vulpius non infirma prorsus argumenta affert, quibus probet ab Horatio Propertium pluribus in locis tacite notatum fuisse: ut in Sat. 9. lib. 1. v. 3. 7. 22. 24. 28. 45. & Sat. 10. ejusdem libri, v. 18. 81. & ep. 2. lib. 2. v. 99. (vide Vulpii prolegomena ad Propert.) quid nos de ejus conjecturis dicturi sumus, videbis in notis loco suo. Verum ut coronidem imponam huic Opellæ, summatim dicam, eum illustrium virorum amicitias susceptisse, nempe Augusti, Agrippæ, Mæcenatis, Messalæ, Pollionis, Valgii, Viscorum Fratrum, Varii, Virgilii, Julii Antonii, Munatii Planci, Pisonum, Titii, aliorumque; invidiam Rupilii, Pantilii, Mævii, Fannii, Demetrii, aliorumque subiisse, quia legionis Tribunus electus fuit a Bruto, deinde quia Augusti, Agrippæ, Mæcenatis familiaritate utebatur, quia præposterum horum nebulonum de Poesi judicium improbabat, turpesque mores increpabat. Mitto eum fuisse ingentem & subtilem ingenio, Latinorum primum & unum forsan carmina fidibus modulatum fuisse, magno spiritu, dulci sono, felici audacia, curiosa felicitate, vitia Satiris infectatum fuisse, Virtutes Epistolis commendasse, in illis acriorem, in his amœniorem, in utrisque tersum, elegantem, sermone purum, sed numero durum interdum, & ordine verborum inverso subobscurum; mitto eum fuisse paullo jucundiorem, brevem, & obesum corpore, valetudine infirmiorem, frigoris maxime impatientem; mitto eum ante tempus canescere cœpisse, lippitudine, & pituita oculorum laborasse, ruris quietem in deliciis, urbis strepitum odio habuisse; pudore aliquo suffundi, & pauca loqui præ timore, ubi primum in viri cujusque eximii conspectum venerat; pictura delectari, liberaliter convivari, amoribus puellarum, & puerorum dedi consuevisse. Hæc enim & alia plura liquido & diffuse in Notis loco suo. Multa præclare de Horatio Comes Algarottius in aureo suo libello, qui inscribitur *Saggio sopra Orazio T. 3.* protulit.

VA-

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES.

O. I. 1, 29. me. 30. inſeres. 2, 10 columbis. 15. dejectum. 31. candenti. 39. Mauri. 3, 18. ſiccis. *vel* ſtrictis. 26. vetitum nefas. 37. ardui. 4, 12. agnam.... hœdum. 5, 1. Qui. 6, 1. diceris. 2. alite. 3. quam. *vel* qua. 14. Troico. 18. ſtrictis. 19. quod. 7, 5. urbem. 7. decerptam fronti. 8, 31. perpetuos. *vel* perpetuum. 13. obſide. 9, 3. properes. 8. equitet. 10. temperet. 10, 6. benignior. 15. nec. 11, 14. relicto. 12, 3. nec. 6. qui. 13, 2. ſumes. 8. ſylvæ. 31. quod ſic. *vel* ſic di. 33. an. 35. Tarquini faſces dubito, an. 38. Paulum ſuperante Pœno. 43. arcto. 55. oris. 14, 3. næ. 16. quinta. 15, 6. gemant. 16, 19. Servus. 24. Sthenelus. 17, 5. Non Dindymene. 7. Non Liber æque. 8. ſic geminant. 14. coactus. 18, 8. Colubros. 9. hæduliæ. 14. hinc tibi. 20, 2. jubet. 11. &. 21, 5. Chare. 19. Cœcubum. 22, 8. Cragi. 13. hic. 23, 11. expeditus. 14. Daunia in. *vel* Daunias. 24, 1. vitat. 5. vepris. 6. ad ventum. 25, 8, inveniet. 9. quidem. 11. Tu fruſtra. 13. Quid? ſi. 15. num. 26, 5. facilis. 18. myrto. 20. Euro. 27, 3. quis. 9. Pymplea. 10. proſunt. 28, 3. verecundumque. *vel* inverecundumque. 24. expediet. 29, 2. Archyta. 30, 16. templis. 31. forſit. *vel* forſque. 32, 3. opimæ. 4. feraces. 9. Calena. 33, 1. Poſcimus; ſi. 34, 4. pœniteat. 35, 25. relectos. 36, 10. frequens. 16. liquidumque. 17. ſerva. 32. manus. 39. diſtringas recuſum. 37, 25. tacentem. 38, 9. congrege. 25. tacentem. 39, 6. curo. *vel* cura.

O. II. 1, 5. tincta. 16. Dalmatico. 21. audire. 33. aut quæ. 2, 2. abditæ. 7. metuente. 3, 2. ac bonis. 14. brevis. 15. amœnos. 21. priſco & natus. 4, 2. Xanthiæ. 6, 3. Malva. 7, 19. nec. 10, 9. Sæpius. 10. & celſæ. 13. adverſis. 19. cithara, 11, 23. incomtum. 24. nodum. 12, 2. nec dirum. 5. nec. 25. fragrantia. 13, 8. Colchica. 14. Boſphorum. 17. reducem. 23. inſcriptas. *vel* deſcriptas. 38. laborum. 14, 27. ſuperbo. *vel* ſuperbum. 16, 1. in patenti. 18. terras. 26. læto. *vel* lento. 17, 6. altera. 26. lætum. 29. dextra. 18, 3. Hymettiæ. 4. reciſas. 7. laconicas. 22. ſum-

Digitized by Google

movere, 30. fine. 19, 9. eſt. 15, levi. 23. Rhœcum. 20, 1. nec, 6. quem vocant. 11. ſuperna. 13. ocyor.

O. III. 1, 19. elaborarunt. 2, 16. timidoque. 18. intaminatis, 3, 10. innixus. 23. damnatum. 32. Troica. 33. Mundi. 4, 1. & dic age. 4. citharave. 16. Ferenti. 38. abdidit. 44. coruſco. 46. & urbes. *vel* Orbes. 55. Rhœcus. 69. Gyges. 5, 7. Curia. 8. armis, 15. trahentis. 37. hinc..... inſcius. 39. pacem duello. 6, 20. inque patres, populumque. 21. Ionicos. 22. artubus. 23. jam nunc. 7, 4. conſtanti. 20. fallax.... monet. 8, 15. profer. 18. Cotiſontis. 26. privatus. 27. cape. 9, 5. alia. 9. Creſſa. 16. parcent. 20. rejectæque. 10, 3. projectum. 6. ſatum. 8. puro lumine. 11, 9. lætis. 17. quamvis. 18. muniant.... caput ejus, atque. 19. manet. 51. ſepulchro. 52. ſculpe. 12, 10. catus. 11. celer. 13, 1. Blanduſiæ. 14, 5. unico. 10. pueri, & puellæ. 11. virum expertæ male ominatis. *vel* male nominatis. 22. cohibere. 15, 2. pone. 16. ſed poti. *vel* nec poti vetula. 25. contentæ. 40. porrigam. 41. Allyattici. 17, 2. quando & priores hinc Lamias ferunt. 3. denominatos, & nepotum. 4. per memores genus omne faſtos. 5. Auctore ab illo ducis originem. 7. demiſſa. 18, 10. dum. 19, 7. quotus, 12. miſcentur.... commodis. 27. Chloe. 24, 3. Pontiçum. *vel* Publicum. *vel* Punicum. 5. ſi. 6. dira. 24. eſt mori. 25. o quiſquis. 30. Charus. 39. duratæque gelu. 54. formandæ. 60. conſortem ſocium. 25, 2. quæ in. 9. Edonis. 26, 7. arcus. 27, 2. ducat, &. 4. fœtaque. 5. rumpat. 14. at. 15. neque te. *vel* teque nec. 17. trepidet. 22. hœdi. 24. ripas. *vel* trementis verbera ripæ, *vel* trementis verbera ripas. 26. &. 34. oppidis Creten: o pater o. 39. vitiis. 41. quæ. 48. tauri. 61. lædere. 28, 2. faciam. 29, 6. ne. 17. Andromedes. 26. & urbis. 27. &. 42. deget. 60. Tyriæque. 62. tunc. 63. tutum. 64. feret.

O. IV. 1, 9. in domum. 18. largis. 20. cypria. 22. lyræque, & Berecynthiæ. 23. tibiæ. 37. nocturnis te ego. 2, 23. deducit. 31. ripas. 49. tuque dum procedis, 3, 3. Achaico. 10. perfluunt. 16. mordeor. 4, 7. vernique. 15. jam lacte. 17. Rhœti. 18. & Vindelici (quibus. 19. Mos unde deductus per omnes. 20. Tempus Amazonia ſecuri. 21. dextras obarmet. quærere diſtuli. 22. Nec ſcire fas eſt omnia) ſed diu. 20. revictæ. 32. de-

deco-

decorant. 62. proruet. 63. geretque. 69. efficient. 5, 17. rura. 18. farra. 31. redit. 6, 6. quamvis. 25. argutæ. *vel* argivæ. 7, 4. præterunt. 8, 17. incendia. 31. infimis. 9, 7. Cejæque. 31. fileri. 41. utili, &. 10, 1. crudelis. 2. Bruma. 4. puniceæ. 5. Ligurinum. 21, 35. minuentur. 12, 11. nigri. 13, 5. libidinem. 9. amor. 14. clari. 13. referunt. 17. quoque color decens? 14, 11. Brennos. 35. portas Alexandrea. 15, 13. ne. 11. amovitque. 15. ortum. 18. eximet.

O. V. 1, 15. laborem. 21. meis. 23. pascua. 29. nec ut. 2, 11. inutilesque. 18. arvis. 21. qua. 35. pavidumque. 37. malorum. 39. juvet. 54. Ionicus. 3, 3. edit. 21. opponat. 4, 8. ter. 17. ora. 18. rostrata. 5, 1. quisquis.... regis. 3. aut quid. 11. trementi. 18. Laurens. *vel* frendens. 33. longo.... terque. 37. exsucta. *vel* exerta. *vel* exsecta. 60. laborarunt. 61. nec. 81. meo. 7, 1. aut cur. 12. unquam. 13. cæcus. 15. & ora pallor albus. 8, 2. quid. 9, 17. At huc. *vel* ad hunc. 19. in portu. 20. sitæ. 25. Africano. 10, 19. sinu. 20. notus. 11, 1. Pecti. 2. percussum, 8. & pœnitet. 11. contraque lucrum. 12, 13. quum.... fastidia. 13, 4. amica. 12. Achemenia. 14. diris. 22. certo. 25. (*deest* ac.) 25, 15. Offensi. 16, 6. novisque. 8. parentibusque. 15. quid. 19. proprios. 26. ne. 30. novaque. 32. milvio. 33. fulvos. *vel* flavos. 34. amarque. 50. amictus. 52. nec. 65. ære. 17, 11. unxere. 18. relatus. 30. & terra. 33. urens. *vel* vibrans. *vel* furens. 36. aut quod. 39. inventos. 42. vice. 47. nec. 50. venter Pactumejus. *vel* venter Partumejus. *vel* venter partum ejus. *vel* venter: partum ejus. 18, 8. ditasse. 10. si..... manent? 12. doloribus. 13. infidus. 26. 27. possum. 28. poculum. 29. egentis.

Carm. Secul. versu 5. quod. 16. Genitalis. 21. ut denos. *vel* & denos. 18. &.

S. I. 1, 4. annis, 7. concurritur. 23. præterea. 25. ut. 38. patiens. 39. dimoveat.... neque. 46. capiet plusquam. 50. viventi. 51. tantulo eget, quanto. 63. miserum. 68. a labris. 72. congeris, aut pictis. 87. alius casus lecto. 83. ac reddat natis. 88. ac, si. 92. quoque. 94. nec. 95. Numidius, vel Uvidius. 100. Tyndaridarum. 101. Nævius? aut. 111. majori. 118. vitæ.

S. I. 2, 6. depellere, 7. hinc. 14. exigit. 18. exclamat...

Digitized by Google

mat.... ipſe. 27. Garconius. *vel* Gorgonius. *vel* Gargennius. *vel* Gargilius. 38. mœchis. 45. quidam. 46. ſero. 50. munificum. 54. hæc amat. *vel* hoc amat & laudat. 61. deperdere. 63. pecceſne. 65. Syllæ. 68. videnti. 74. ſitu. 80. hinc inter niveos. 81. tuum. *vel* tuo. 86. apertos. 90. recte; ne corporis optima lynceis. 91. contemplere. 92. ſpectes. 106. ſectatur. 107. captat. 109. dolores. 110. pelli? 111. ſtatuit natura modum? quem. 102. quid latura ſibi. 121. Gallis hanc, Philodemus. 131. deprehenſa. 133. pyga.

S. I. 3, 7. citaret. 20. haud fortaſſe. 25. pervideas. *vel* prævideas.... mala. 40. Agnæ. 88. pravis.... talis. 57. nobiſcum vivit? multum eſt demiſſus homo: illi. Tardo cognomen pinguis damus. 63. ſi quis. *vel* quid at eſt. 65. impellat. 70. compenſet. 74. ignoſcat. 76. quatinus. 82. Labieno. 86. Druſonem. 94. ſi furtum. 109. quid. 117. divum ſacra. 126. inquit. 128. quo? 132. ſutor.... optimus. 133. eſt opifex, ſic rex ſolus. 141. peccavero.

S. I. 4, 3. aut. 18. loquentem. 25. eme. 26. ob avaritiam, aut miſera. 30. tepet. 33. Poetas. 39. Poetas. 50 recuſet. 51. ambulet. 68. & ruris vivat. 70. Caprj. 73. non recito cuiquam. 79. inquis. 80. qui. 87. avet. 89. Liber. 92. Gorgonius. 101. abfore. 102. & ſi. 105. inſevit..... mi. 109. utque. 110. Barrus inops? 112. Sectani. 115. quidque. 116. reddet. 119. poſſim. 133. concilium. 140. ex vitiis.

S. I. 5, 7. deterrima. 12. appelle. 15. abſentem cantant. 20. quum nil. 25. repſimus. 40. Plautius. 51. Claudi. 52. Cicerri. 54. genus Oſci. 60. minitaris. 65. Cicerrus. 67. Nihilo deterius. 72. digne. 79. Trevici. 83. ad mediam noctem expecto. 79. ultro. (*poſt verſum 91 hic ſequens expungendus*. Qui locus a forti Diomede eſt conditus olim.) 92. hinc. 96. Dehinc. 98. flamma.

S. I. 6, 4. imperitarint. *vel* imperitarunt. 13. fuit. 15. quem. 18. Nos.... longe lateque. 24. Tulli. 25. tribunum. 28. & latum. 29. quis homo hic eſt. quo. 39. Camo. 47. quia, Mæcenas, tibi ſum. 53. me poſſum. 54. mihi te. 68. nec mala. 71. qui macro. 87. ab hoc nunc. 96. onuſtos. 97. & ſellis nolim. 102. ne ſolus. 107. Tulli. 111. multis. 115. Lachanique. 123. Naca. 125. rabioſi tempora ſigni. 130. victurus. 131. fuiſſent.

S. I.

Digitized by Google

S. I. 7, 2. Hybrida. 6. qui poſſet. 8. Varros. *vel* Varos. 15. vexet. 10. compoſitus. 28. multumque. 34. conſueris.

S. I. 8, 12. agrum. 17. quomodo. 32. utque. 38. veniant. 41. reſonarent. 45. & facta.

S. I. 9, 2. & totus. 3. occurrit. 16. perſequar. 30. divina mota. 36. vadato. 42. durum eſt. 46. non iſto vivimus. 50. officit unquam. 55. poſcit. 64. preſſare. 69. vin tu? 76. exclamat.

S. I. 10, 18. neque. 24. Patriſque Latini. 32. me tali. 33. poſt mediam noctem. 35. Græcorum. 37. defingit. 44. Varius ducit.... molle. 53. Atti. 59. At ſi. 78. crucior. 88. ſint. 91. diſcipulorum.

S. II. 1, 1. videar. 2. tendere. 8. tranſnanto. 14. nec. 15. deſcribet. 16. ſcribere. 20. recalcitrat. 22. Nomentanumque. 24. Milonius. 31. geſſerat. 37. qua. 41. diſtringere. 42. & rex. 47. Servius. 48. Albuti. 49. Si quis ſe judice certet. 51. imperet hoc. 55. neque. 56. mala. 66. aut qui. 68. famoſiſque. 69. tributum. 79. huic diffindere. *vel* diffingere. 84. laudatur. 85. laceraverit.

S. II. 2, 2. quem. 6. acclivis. 21. nec. 28. coctove. 29. nihil hæc magis illa. (*poſt verſum* 36 *expungendus eſt hic*: Jejunus venter *vel* ſtomachus raro *vel* jejunus raro ſtomachus vulgaria temnit.) 40. quamvis. 46. præconis. 47. æquor alebat. 54. pravum. 55. dictum. 65. hac canis angit. 64. qui non. 66. Albuti. 67. neque, ſic ut. 78. affigit humi. 82. adduxerit. 83. ubique. 98. æs, laquei pretium. jure, inquit Thraſius. 106. æternam. 115. tibi recte. 117. at.... longum poſt tempus. 122. cupa. 123. ut culmo. 126. imminuet. 131. poſtremo. 135. fortiaque.

S. II. 3, 1. Si raro ſcribes. 4. ab ipſis. 12. educere tantos. 25. Mercuriale. 27. morbi miror. 29. capitiſque. 39. urget. 43. quæcumque. 50. utrique. 60. Fuſius. 62. vulgum. 67. Tunc. 72. in jura. 75. cerebrum eſt.... Perilli. 86. Arri. 89. juſſiſſe. *vel* voluiſſe. 91. deducere. 93. periret. 97. ſapiens etiam? 102. onus. 106. & formas. 108. quid. 122. etiam libertus. 129. ſervoſque tuos. 133. occidit. 135. an. 139. auſuſque ſororem. 151. jam hæc. 152. ago. 154. ingens accedat. 155. quid ceſſas? 156. emtæ? octo aſſibus. 157. pereamque. 163.

ten-

tententur. 165. porcum. 166. Barathrone. 170. hæc. 172. ludere. 180. fueritve. 183. lætus..... aut æneus. 188. quære. 190. quæ ſentit. 191. deducere. 194. puteſcit. 211. immeritos dum. 216. Puſam & puſillam. *vel* putam & puſillam. *vel* putam & putillam. *vel* puppam & pupillam. *vel* pupam aut puſinam. *vel* Rufam aut Rufillam. 222. quam cepit. 224. luxuriam. 230. quid tum? 234. in nive. 235. vellis. 238. currat. 239. vocata. 246. exſorberet. 244. Nequitia. 246. abeant ſani? 259. optat. 260. ait. 261. accerſitus. 262. nec nunc..... vocet. 263. dolores. 273. es? 282. lautis. 283. quidnam. 288. das, adimiſque. 301. qui me ſtultitia. 303. demens quum. 313. tanto. 317. num tandem, ſe inflans, ſic. 318. num tanto?

S. II. 4, 3. Pythagoram. 10. an Romanus. 13. alba. 19. miſto. 28. Mitulus. 33. Circæis. 35. quiſquam. 36. ni. 37. avertere. 41. curvet. 44. fœcundi. 45. & foret. 46. nulli patuit. 48. ſatis in re. 51. ſupponas. 52. ſi quid. 55. fæce. 61. in morſus.... malit, 62. in mundis. 65. quod pingui. 66. putruit. 73. fæcem.... & alec. 78. movent. 79. liguris. 81. in mappis. 83. parios. 87. nequeunt. 89. quocumque. 90. referas memori.

S. II. 5, 3. doloſo. 6. redeam. 18. vis ne. 19. miſto. 38. ſis. *vel* ſi. 41. conſpuet. 68. tandem, & tacitus. 79. magnum. *vel* venit enim, indignum. 90. offendet.... ultra. 93. increbuit. 95. deſtringe. 100. ſit. 104. prudentem vultum. 105. commiſſum.

S. II. 6, 4. deformat. 10. qua mihi. 16. ab urbe. 24. urges. 29. quid vis, inſane? & quas res agis. *vel* quid tibi vis inſane, & quas res agis? *vel* & quam rem agis? *vel* quæ agis rerum. 30. obſtat. 40. ſuggerit. 44. Thrax. 47. non quia, Mæcenas, tibi ſum. 48. ſpectaverat. 49. luſerat. 50. a roſtris manat. 57. mirantur. 69. cupit. 70. humeſcit. 73. &. 78. nam ſi quis. 83. neque illi. 92. vin' tu. 108. verhalitet. 109. prælambens. 116. valeat.

S. II. 7, 9. læna. 17. pyrgum. 19. illo. *vel* acriot illo. 23. & mores. 31. dicis. 34. nemon' oleum feret. 35. furiſque. 36. Milvius. 42. ipſo. 48. lucerna. 67. omnem, vitam. 69. quæres. 71. priva. 76. ſupra dictis. 82. lignum. 83. ſibique. 84. neque. 93. dominus mentem. 102. ſi ducor libo. 109. uva. 110. furtivam.... ſtrigilem. 113. ut erro. 118. accedes.

S. II.

Digitized by Google

S. II. 8, 4. da. 9. alec. 11. pertexit. 20. Turinus. 23. ſuper. 24. ſimul. 29. paſſeris, atque. *vel* paſſeris aſſi, &. 30. porrexerit. 31. poſt hoc. 35. poſcunt. 39. Alliphanis. 51. inulis.... amaris. 52. Cotillus. 53. remittit. 88. albi. 89. edat.

E. I. 1, 16. verſor. 17. nunc mihi res, non me rebus ſubjungere. *vel* ſubmittere conor. 18. Virtutis veræ cuſtos, rigiduſque ſatelles. 19. Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor. 28. oculos. 30. nec. 32. quodam. 33. miſeraque. 54. &.... dolorem. 52. argentum eſt. 53. primum eſt. 55. perdocet. 57. ſi quadringentis ſex ſeptem millia deſunt. 58. eſt animus tibi, ſunt mores, eſt lingua, fideſque. 59. Plebs eris. 66. Puppi. 69. optat. 72. ac fugiam. 76. es. 77. fruſtis, &c. 93. occurri. 99. & vitæ. 101. neque.

E. I. 2, 4. planius. 8. & populorum. 10. Quod Paris? 12. Peleidem..... Atreidem. 17. rurſus. 18. Ulyſſem. 23. Circes. 28. Penelopes. 31. ceſſatum ducere curam. *vel* ceſſantem ducere ſomnum. 32. homines. 34. ſi non is.... cures. 34. noles.... cures. 36. & rebus. 38. oculos. 46. cui contigit. hic nihil. 51. aut res. 52. podagram. 60. & mens. 65. quam monſtrat. 67. adhibe.

E. I. 3, 4. turres. 6. hæc. 16. & tangere. 22. ingenium eſt, non incultum, nec. 30. ſi tibi curæ eſt. *vel* ſi tibi curæ. 32. & reſcinditur? at vos.

E. I. 4, 2. te dicam juvenem. 7. dederant. 9. quam ſapere, & fari ut poſſit. 11. crumena.

E. I. 5, 1. Archaicis. 6. fin. 11. extendere. 17. in prælia.... inermem. 18. onus. 31. Brutum tibi Septimiumque.

E. I. 6, 5. ſpectent. 10. utrique. 22. Mucinus. *vel* Mucius, indignum, quod ſit. 30. hæc una. 31. puras. 42. poſſim. 51. fodiat. 53. cuilibet hic. 59. populumque.

E. I. 7, 3. ſi me vivere vis, rectèque videre valentem. 19. relinques. 20. Et ſtultus. 21. Et feret. 22. paratum. 23. non. 29. per anguſtam tenuis nitedula. 30. cumeram.... rurſus. 34. compellat. 38. nec. 41. Ithacæ. 43. Atreide. 46. & fortis. 52. læve. 54. quove. 55. & narrat. 60. quæcumque. 63. negat ille mihi.... & ſe. 66. & ſalvere prior jubet. 73. ſic ubi ſæpe. 84. & vineta. 90. ſemel. 93. dicere. 96. ſimul adſpexit.

E. I.

E. I. 8, 3. & pulchra. oleamque. 6. arvis.

E. I. 9, 2. nam me.

E. I. 10, 3. ad cætera. 18. depellat. 24. expellas. 35 & regum. 37. victor victo. *vel* violens victor. *vel* violens victo. 40. vehet. 41. quia parvo nesciat. 49. post fanum.

E. I. 11, 20. & vultum fervet. 23. nec dulcia. 25. accredere.

E. I. 12, 1. Ici. 4. cui rerum. 15. nil parvum. 20. Empedocles, an Stertinium. 24. quid des. 25. quo sit Romana loco res. 29. diffudit.

E. I. 13, 2. Vinni. 14. globos. *vel* glomos. 15. e vulgo. 17. possunt.

E. I. 14, 3. Barium. 16. & discedere. 21. voces. *vel* putas. 23. & thus. 39. & saxa. 43. optat ephippia.

E. I. 15, 8. & stomachum. 9. Clusinis. 13. sed equi. 15. puteosne. 16. jugis. 17. quidvis. 30. fingere. 31. & tempestas. 32. donabat. 33. & timidis. 35. agnini. 37. correctus. *vel* correptus Menius. *vel* urendos correctus. Menius idem. 38. quidquid. 39. & cinerem. 41. nil vulva. 42. tuta, & parvula. 44. quid melius contingit.

E. I. 16, 3. pomisne, &. 7. discedens. 8. benigne. 5. ferant. 10. juvet. 40. quem nisi mendosum & mendacem? 43. responsore. 46. nec fugi.... Dicat. 49. negat usque. *vel* renuitque, negatque. 56. mihi pacto. 61. justum, sanctumque. 63. quo.... quo. 60. vivet. 72. penusque.

E. I. 17, 7. delectet. 21. vilia. verum es. 30. angue. 41. & perfert. 43. suo. 44. ferent. 51. rixæ multo minus. 54. aut subducta.

E. I. 18, 5. vitium & prope. 7. quæ se commendet tonsa. 8. mera dici. 15. rixatur. 19. an docilis. *vel* dolicis. 20. Numici. 28. mihi. 33. & spes. 36. Thrax. 37. scrutaberis ullius. 46. Ætolis. 53. qui tractet. 54. sustineas. 56. refixit. 57. & nunc, si. 58. ut penitus. 82. fidentem. 91. bibuli media de nocte. 92. quamvis. 93. vapores. 107. ut mihi. 111. sed.... qui donat. 112. sed, 113. æquum mi animum ipse.

E. I. 19, 10. edixti. 12. & pede. 13. unctus. 15. Hyarbitam.... lingua. 17. quod si. 18. palleres. 19. ut

mihi

mihi ſæpe. 20. bilem ſæpe. 22. fidet. 23. regit. 32. latinus. 38. & tritæ. 39. adjutor & actor. 47. & diludia. 49. & funebre. 48. genuit trepidum.

E. I. 20, 5. diſcedere. 7. quis te. 8. quum plenus. 10. deſerat.

E. II. 1, 1. & tanta. 8. condunt. 16. nomen. 18. hic populus.... & 28. Græcorum. 31. oleam, nil. 35. pretium chartis. 41. vetereſne Poetas. 42. reſpuet. *vel* reſpuit. 46. demo etiam unum. 48. ad faſtos. 52. & ſomnia. 53. Novius.... nunc eſt, & mentibus. 67. credit, *vel* credat nos. 69. delendaque.... Livi. 75. venditque. 78. & præmia. 85. imberbes. 90. Græcis. 108. mentem populus. 109. pueri, patreſque. 115. medicorum. 116. medici. 122. puero non cogitat. 124. & malus. 137. locupletat. 142. & pueris. 143. porca. 145. inventa. 149. verti cœpit. 153. pœnaque lata. 164. ſi digne. 163. in ſcriptis. *vel* in libris. *vel* inſcitiæ. 168. ex medio. 173. Dorſennus. 180. aut reficit. 188. ingratos. *vel* inceſtos. 216. reddere. 222. reprendere. 240. cederet. 259. quam vires.

E. II. 2, 6. lædat. 22. rediret. 32. factum. 40. qui zonam. 46. amovere. 53. expurgare Sicyiæ. 60. & ſale. 63. renuis tu quod. 77. & fugit. 80. contracta. 82. & ſtudiis. 83. taciturnius. 87. Pactus erat Romæ conſultus. 89. Mutius. 95. vacat. 120. vemens. 124. & torquebitur. 128. Argis. 152. donarent. 156. minus te. 161. daturus. 158. mercatus, & ære eſt. 169. gelidam. 171. refugit. 172. cuiquam. 173. ſorte. 175. ſic quia. 196. neque plura. 199. immunda domus procul. 201. non agimur tumidis. 211. & melior. 212. extenta juvat. 215. ne potum. 216. & pulſet.

Ad Piſones de Arte Poetica.

E. III. 1, 2. formas. 3. aut turpiter. 21. qui. 23. quidvis. 26. lenia. 32. unus. 36. naſo vivere pravo. 38. materiam. 45. in verbis. &c. 46. hoc amet. &c. 52. fictaque. 54. dedit. 59. procudere nummum. 65. palus dudum. 72. & vis. 74. poſſunt. 114. Davuſne.... Heruſve. *vel* divus.... an heros. *vel* divus.... an Irus. 92. decentem. 101. adſient. *vel* adſint. *vel* adſiant. 116. an matrona. 120. Homeræum. 133. verbo verbum. 135. proferre. 136. cyclius. 139. parturient. 157. decor, maturis dandus & annis. 161. imberbus. 172. lentus,

Digitized by Google

tus, iners, avidusque. 185. ne. 189. quinto nèu sit. 196. concilietur amice. *vel* amicis. 197. pacare tumentes. 202. victa. 237. & audax. 249. fracti. 260. missos. 265. ut omnes. 266. putem mea, tutus & extra. 267. cautus? 270. vestri. 271. utrosque. 272. ne. 277. quæ. 294. præfectum. 302. jocis. 324. propter. 328. superet? poterat dixisse, triens: eu! 330. ad hæc, *vel* at hæc. 340. nec. 352. aut. 353. aut natura.... quid ergo est? 358. terque. 359. quandoque. 360. operi. 351. erit: quæ. 373. Non Di, non homines. 378. a summo discessit. 385. facies, diceve. 410. possit. 414. & mulso qui. 415. nunc satis. *vel* non. 422. recte qui. 423. arctis. 429. pallesset. super his etiam. 435. laborent. 441. formatos: 442. nil ultra verbi, aut operæ insumebat inanis. 461. si curet quis. 462. projecerit. 470. cur versus dictitet. 471. ac triste.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

De Lyrica Poesi.

LYrica Poesis a lyra dicta est, vel quia cantatu facilis, vel quia canentis Poetæ voci sonus lyræ admiscebatur, grato concentu. Igitur arctissima cognatione devincitur Musicæ arti. A Mundi prope incunabulis ex lætitiæ effusione duxisse originem videtur, ubi primum homines Naturæ pulchritudinem admirati sunt, & maximis bonis D. O. M. beneficio cumulati sunt. Ejus munia sunt instruere, & delectare, quæ duo raro inveniuntur in Dramate. Sive illa sensim ac tractim illabatur animis, taciteque ignem accendat, sive sese extollat velut flammæ frementis tractus, sive sit Aquilæ, Papilioni, Api similis, semper ducitur aut fertur animi sensibus, ut Musice.

Ode

Ode ſublimis ſit, poetico furore ac ſpiritu incaleſcat, ſententias interdum quodammodo diſſectas exhibeat, a re propoſita callide & apte alio abeat, perturbato rerum, verborumque ordine aliquando utatur. De ſingulis dicendum.

Quid ſit ſublime genus.

Quod ſublime dicitur in Lyrico Carmine eſt velut ignitum telum, quod illuſtrat aut urit pro lubitu rem. Bipartito dividitur, in imagines nempe, & in ſententias. Sublimes ſunt rerum imagines, cum ἡ φαντασία editiſſimam Magnitudinis regionem pervolitans nobiliſſimas quaſque ejuſdem partes expingit. Sententiæ vero ſublimes, cum videntur humanæ conditionis fines tranſcendere, & in animi imbecillitate conſtantiam Numinis oſtendere.

„ Si totus illabatur Orbis,
„ Impavidum ferient ruinæ. O. III. 3, 7. 8.

Hujus tranquillitatis imago cum tota orbis ruina comparata dicitur ſublimis imago, Tranquillitas vero juſti Viri eſt ſublimis animi ſenſus. Ingens animus ſane eſt is, qui probe comprehendit, quidquid mediocria pectora afficit, idque totum ſentit immotus. Regulus pacato corde redit Carthaginem, crudeliſſima ſupplicia ſubiturus quæ ſibi parata eſſe intelligit, O. III. 5, 50. &c. Hic animi ſenſus ſublimis eſt, non vividus.

Hoc

Digitized by Google

Hoc ferme pacto gignitur ſublime imaginum genus. H' φαντασία magnæ rei ſubjectæ impulſione percellitur, accenditur, erigitur. Viva hinc animi ſenſa producuntur, quæ in ipſam reflexa agunt, augentque incendii vim. Hinc magni illi niſus, quibus animi ſtatus affabre exprimitur, hinc illæ voces vivæ, luculentæ, audaces, ſautæ, illæ figuræ ſplendidæ; ſingulares & inuſitati dicendi modi. Tunc Prophetæ vident colles æternitatis pedibus deprimi, mare fugere, montes exultare. Tunc Homerus Jovem Thetidi annuentem contuetur, moventemque frontem, qua totus Orbis concutitur.

Sublimia vero animi ſenſa τῶν παθῶν impetu, ingenti imaginum vi, & vocum audacia carent. Tranquilla ſunt, & ſimplicia. Animus ſibimet imperans res cernit, ſicuti ſunt, & ne minimum quidem immutat, duce Rationis lumine incedit, nec uſquam labat, ſimpliciter ſemper loquitur, nunquam tranſverſus agitur. Arria ferrum ſtrinxit, perfodit pectus, extraxit pugionem, ad obeundam mortem hortata conjugem his verbis: *Pœte, non dolet*. Sublimis animus ſimilis eſt immotæ rupi, quam undæ ita verberant, ut ipſæ frangantur. Ut ſenſus animi ſit vere ſublimis, virtute fultus debet eſſe, aliter ferocitatis, aut ſtupiditatis index foret. Catilina heros eſſe nequit, quamvis ingeneratam animo quamdam vim habeat. Veritatis etiam lux adſit, qua deficiente pueriliter agit Lucanus, ubi dicit:

Digitized by Google

„ Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.

De Poetico furore, sive æstro.

Poeticus furor est vehemens animi motus, v. g. amor, ira, lætitia, admiratio, tristitia. Duplex est, vel enim rem creat, vel admiratur. Utrumque autem facit scite, vel inscite. Si primum, verus vocatur; ex perfecta enim rei objectæ comprehensione erumpit, & Rationem ducem sectatur. Si alterum, falsus; nam rei naturam minime perspectam habet, misera ingenii facilitate abripitur, & a Ratione abhorret. Qui œstro impellitur, non modo præstans Philosophus, quam Poeta esse debet, nempe duo ferme contraria conjungere, rationem, furorisque afflatum, ita ut ne nimis sapere, ac desipere eodem tempore videatur. Hinc difficile est lyricum carmen concinnare, aut de eo recte judicare. Hæc virtus in Poetis modo sublimis est, modo dulcis, prout rei propositæ indoles fert. Sublimi & dulci intermicat is, qui stilum sublimem parit. Sublimis furor impetum amat, libertatem, æstum, tela; dulcis vero jocos, risus, hilaritatem, mollem desidiam, indolentiam. Ex duplicis hujusce generis permixtione vis quædam effluit venustate & gratia præstabilis, quæ tertiam poetici furoris speciem constituit. Œstrum est etiam penes Cantores, Pictores, ceteroſque artifices.

De

De vacuis inter duas sententias intervallis.

Inter duas sententias sibi invicem minime cohærentes relinquitur necessario locus vacuus. Cum animus perturbatione aliqua efferveſcit, celeriter volvitur, ſententias urget, easque in præceps trudit. Quoniam vero Poeta ita furens omnes ad unum planas facere, ac disponere nequit, præoptat optimas quasque, eoque ordine collocat, quo ipsæ menti sese offerunt, ommissis iis, quæ maxime inserviunt earum conjunctioni constituendæ. Ideoque illæ videntur diffutæ, & a se invicem alienæ. Sed remoto quodam sensu eas coalescere videbis & vacua illa spatiola facile implebis, ubi Poetæ mentem assecutus fueris. * V. g. in Ode 4. lib. 3. Horatius ait:

„ Vos lene consilium & datis, & dato
„ Gaudetis almæ. Scimus ut impios
„ Titanas &c.
Fulmine sustulerit (*Jupiter*) caduco.

Vides duas sententias, quarum altera est: *Vos lene* &c. altera vero: *Scimus ut*. Sed quo vinculo colligantur? Interpretes silent. Poeta postquam dixit, se versibus suis clementem & mitem reddidisse Cæsarem, repente novo animi incendio æstuat, dum meminit eumdem Cæsarem esse justum scelerum ultorem, quem statim irato Jovi comparat. Si tranquillus Poe-

Digitized by Google

tæ animus fuiſſet, planius ſententias ſuas expromſiſſet, hoc ferme modo. Vos muſæ lenem feciſtis Cæſarem, ſed tamen caviſtis, ne a juſtitia illum averteretis. Sicut enim Jupiter impiam Titanum vim refregit, ita ille conjuratorum nefarios conatus repreſſit. Quæ igitur inter duas has ſententias explanandas interjicienda erant, ultro miſſa fecit Poeta, vacuumque ita intervallum interjacere juſſit. *

De Digreſſionibus.

Digreditur aliquando Poeta ad proxima rei præcipuæ, quam præ manibus habet, iiſque immoratur, vel eorum ſpecie ductus, vel rei ipſius inopia, quam idcirco ditare alienis opibus ſtudet. Duo digreſſionum genera agnoſcimus. Aliæ ſunt loci quidam communes, ſententiæ generatim ſumtæ, vario poeſeos decore exornatæ; aliæ vero ad hiſtoriam, aut mythologiam pertinent, ex qua aliqua petit Poeta, ut, quod animo intendit, luculentius comprobet.

De perturbato Odarum ordine.

Perturbato rerum, verborumque ordine utitur aliquando Poeta. Hinc illi dicendi modi minime vulgares, inſoliti, novi, qui videntur inconditi, & abnormes.

Magna affinitas intercedit inter animi ſenſum, & ſonorum armoniam. Utraque res eo-

dem

Digitized by Google

dem fere pacto generatur, graduſque ex ordine naturæ exiſtunt. Animo velut auri ſuus eſt tactus, ſua methodus, velut rationi. Quilibet ſonus ab alio generatur. Quodlibet conſequens ab antecedenti manat. Haud aliter cuique animi motui ſua eſt vis, a qua gignitur, ſuus impulſus, a quo ducitur. Perturbatus ordo Odæ non in hujuſce ſucceſſionis ſubverſione, nec in omni hujuſce ſeriei interruptione, ſed in ſeligenda quapiam ex multis naturalibus progreſſionibus, quæ minus uſitata ſit, ac vulgaris, quæ magis inopinata, quæ demum magis faveat Poeſi.

Ode colendum ſuſpiciendumque exhibet morale Numen exordii audacia, ſententiarum ſublimitate, verborum inſolita vi, verſuum harmonia, figurarum ſplendore. Digreſſionibus, perturbato rerum, verborumque ordine, aliiſque hujuſmodi technis uſa legentis, audientiſve mentem callide fallit, fervidi vividique ſpiritus ictu, poeticoque furore acta abalienat. Hæ tamen artes ita adhibeantur, ut rem varient, animent, locupletent; ſi enim contra eandem obſcurent, onerent, implicent, tanquam ineptæ rejiciendæ ſunt. Maneat etiam, Odem minime in longum ducendam eſſe. Violens enim animi ſenſus ex re ſibi ſubjecta emicans diu conſiſtere nequit. *animorum incendia* (ait Cicero) *celeriter extinguuntur*. Deinde ſciendum unum in Ode proponendum eſſe animi ſenſum præcipuum. Imagines, ſententiæ, figuræ variari poſſunt, ita tamen, ut ad τὸ πάθος

Digitized by Google

princeps pertineant. ad ardua sua vestigia relegere, magis minusve solvi potest, servetur tamen ejus natura, nec in ejus sedem alterum sufficiatur. V. g. Mœror non depellat e sede lætitiam, quæ lyram Poetæ tradidit in manus. Demum animadvertendum Lyrici Poetæ ingenium & animum ad eum celsitudinis gradum erigendum esse, quo pervenire totis viribus potest. Ode enim spectat, quidquid est maxime sacrum, & augustum in religione, admirabile in præclaris Deorum facinoribus, vituperandum in vitiis, quidquid pulcherrimum in Natura, amabilissimum in virtutibus, dulcissimum in voluptatibus.

Ex hactenus dictis apparet inter omnia Poematum genera salebrarum plenissimum opus esse Odem. Postulat enim afflatum Numinis, sed hic Numinis afflatus jussus frigidulum commentum est; postulat stili elevationem; sed sublime dicendi genus turgido affine est, postulat poeticum furorem, eodemque tempore rectæ Rationis vim, nempe duo inter se fere contraria. Boileau in sua Poetice egregia præcepit hac super re, sed exemplum non præbuit in Ode de *Namur*. *La Motte* asserit, perturbatum ordinem in Ode esse præcipuum Logicæ & Rationis opus: sed fortasse orare causam voluit pro Odis didacticis, quas edidit. Quisque ea præcipit, quæ sentit, aut potius quæ efficere potest pro viribus. Sed quid opus est tot præceptis? Quod in scientiis, idem in liberalibus artibus usuvenit: Vis machinam cognoscendam præbere?

ne

Digitized by Google

ne in ea describenda operam colloces, minus enim perfecte id facies. Machinam ipsam profer. Vis scire, quid sit Ode? egregias quasque considera, Græcas, Latinas, Italas, Gallicas. Multas reperies, & fortasse præstantissimas, ubi nullus Poeticus furor, nulla Numinis invocatio, nec *τὸ quid video? quid audio?* nullus demum perturbatus ordo insunt. Diversas inter se plures miraberis rebus ipsis, stilo, natura numerorum, & modorum. Hinc regulas poteris facile haurire. Magni Artifices in omni rerum genere unum tantum servandum intellexerunt, nempe ne quid frigeat, ne quid molestiam afferat. Poeta lyricus merito nuncupabitur, qui assuetas numeris aures adhibebit, qui delectu verborum valebit, qui imaginum vi pollebit, & sententiarum. Hæc satis esse videntur. (Alambert Reflexions sur l' Ode T. 5.)

De diversis Odarum generibus.

Quatuor sunt Odarum genera. Aliæ magnitudinem, summam potestatem, sapientiamque Dei O. M. canunt: Ut Moisis, Prophetarumque cantica. Aliæ vocantur heroicæ, quia Heroas laudibus efferunt: Hujusmodi sunt Odæ Pindari fere omnes, nonnullæ Horatii. Aliæ morales & Philosophicæ, quæ vel amorem erga Virtutis pulchritudinem, vel odium adversus vitii fœditatem vehementer ostendunt. Tales sunt plurimæ Horatianæ. Aliæ ex voluptati-

Digitized by Google

tibus ipſis ortum ducunt: cujuſmodi ſunt Anacreonticæ. E. III. 83. 84. 85. 216. 217. 218. 219.

De Odarum forma.

Varia eſt Odarum forma pro varia gentium indole, ac ratione. Apud Græcos Ode conſtabat Strophis, Antiſtrophis, & Epodis. Strophæ & Antiſtrophæ idem metrum, eundemque verſuum numerum ſervant, Epodi vero breviores concinunt tantum inter ſe. Primo loco Strophe, ſecundo Antiſtrophe, tertio Epodus, & ſic deinceps. Chorea ducta canebantur. Saltatores Strophen cantantes movebantur in lævam partem, quam cum emenſi fuerint, totidem numeris eadem veſtigia paribus temporibus referebant Antiſtrophen canentes. Dum vero Epodon canebant, neutram in partem movebantur. Hac forma præditæ ſunt Pindari Odæ, & pleræque in Choris dramatum. Alias quoque Odarum formas excogitarunt cum Pindaro Alcæus, Sappho, aliique Lyrici Poetæ, quibus varios verſus immiſcebant. Has formas ſecutus eſt primus Horatius, quem videbis. E. I. 19, 23. 24. 25. 33. 34. 35.

De Poetis Lyricis.

De Pindaro & Anacreonte ſatis dictum in Indice. Inter Latinos Poetas lyricos facile Princeps Horatius. In Græcorum Vatum lectione diu

Digitized by Google

diu multumque versatus eorumdem etiam virtutes omnino arripuit, hausit, expressit. In unius Horatii Odis pro varia rerum ratione gravitas, nobilitasque Alcæi, Stesichori sublimitas, Pindari impetus, ignis, vividusque spiritus, Sapphus, mollities & dulcedo Anacreontis coiere. Interdum tamen in eo senties artem, magnosque in æquandis exemplaribus conatus. Anacreon dulcior est, Pindarus audacior, Sappho æstuosior, & fortasse Alcæus aurea sua lyra erat magnificentior. Videntur sane Græci in omni disciplinarum genere jure quodam suo præ ceteris excelluisse, & in Aonio monte velut in domo sua consedisse. Virgilius (quidquid garriat Scaliger) non ita dives, non ita facilis est, non ita felix Naturæ imitator, ut Homerus. Terentius minime æquiparandus Menandro. Verbo accomodari potest Horatio, quod ipse de fato dixit: O. III. 29, 34. &c.

„ Nunc medio alveo
„ Cum pace delabentis Etru-
scum In mare, nunc lapides adesos,
„ Stirpesque raptas, & pecus, & domos
„ Volventis una non sine montium
„ Clamore, vicinæque Sylvæ,
„ Cum fera diluvies quietos
„ Irritat amnes. „

Ovidius lib. 4. Tristium eleg. 10. vocat Horatium *numerosum*, & Petronius in Satyrico

Digitized by Google

laudat ejus *curiosam felicitatem*. Instar omnium sit Quintilianus, qui lib. 10. c. 1. inquit: „ „ At lyricorum idem Horatius fere solus legi „ dignus; nam & insurgit aliquando, & ple„ nus est jucunditatis, & gratiæ, & variis fi„ guris, & verbis felicissime audax „. Jure igitur ejus Carminum lectione magnopere delectati sunt duo Imperatores Augustus, & Alexander Severus.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approvazione del *P. F. Filippo Antonio Benoffi* Inquiſitor General del Sant' Officio di Padova nel Libro intitolato : *Q. Horatius Flaccus a Franciſco Dorighello Patavino illuſtratus &c. MSS.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Manfrè* Stampator di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, & di Padova.

Dat. il primo Novembre 1773.

(*Andrea Querini Rif.*
(
(*Sebaſtian Foſcarini Cav. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 138. al Num. 1156.

Davidde Marcheſini Segr.

Q. HO-

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI
LYRICORUM CARMINUM
LIBER PRIMUS.

CARMEN I.

AD C. CILNIUM MÆCENATEM.

Aliis alios ſtudiis duci. Se lyrici Vatis gloriam ambire unico Mæcenatis judicio obtinendam.

Ænas atavis edite regibus,
O & præſidium, & dulce decus meum!
Sunt, quos curriculo pulverem Olympium
Collegiſſe juvat: metaque fervidis

Stilus hujus Carminis partim mediocris eſt, partim ſublimis. Sententiæ e Natura expreſſæ, & brevi verborum ambitu circumſcriptæ; modo ſimplices, modo floridi & vividi ſunt dicendi modi, ſemper tamen rerum ſpeciebus, quas exhibent, apti. Hoc Carmen nonnulli anno ab U. C. 741. confectum putant. Sed falſo. Compertum enim habemus, prodiiſſe cum tribus primis libris ante Carmen ſeculare, quod attingit annum 737. Objicere poteris hæc Poetæ: *evehit ad Deos*: *Dis miſcent ſuperis*: *Feriam ſidera vertice*: ter enim eamdem ſententiam iiſdem pene verbis exprimit.

V. 3. Nunquam ſatis hunc locum laudaveris. Verſuum concentus mirifice rerum imagines ſenſibus ſubjicit. Jam ſpectaculo intereſſe videmur, ſtridorem curruum audire, cernere pulveris nimbos circumagi, &c. Eſt optimi Poetæ quam proxime ad Naturam accedere. *Curriculus* fere ſignificat locum, ubi currere licet, ſed accipitur etiam pro curru. Pauci probant ordinem Rutgerſii, qui ex hoc verſu uſque ad 14. tres periodos conficit, quarum prima conſtet tribus verſibus, altera totidem, tertia ſex.

V. 4. *Fervidis*, i. quamvis celeribus in circumeunda meta, & caute vitanda, ne impingant.

Digitized by Google

Evitata rotis: palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die

Sper-

V. 7. Tria hominum diversa studia refert: nempe honores, lucrosum compendium, vitam tranquillam. Non ea comparat cum quarto, scilicet cum maris cursu, quem proponit; nec asserit hoc tribus illis esse utilius. Respicit solummodo harum conditionum discrimen, non vero vel æqualitatem vel inæqualitatem. Τὸ *mobilium* significat curas & ambitum candidatorum in comitiis ad venanda suffragia. Loci sensus est. Propone divitias Attali illi, quem populus mobilis ad summos magistratus, nempe ædilitatem, Præturam, Consulatum conatur evehere. Propone huic, qui in sua horrea omnes libycas segetes congerit, aut alteri, qui suos agros ab avis telictos colere gaudet; nunquam eos induces ad committendam spem & vitam suam navigationi lucri faciendi causa; quia nimirum in eo, quem elegerunt, vitæ statu vivere volent.

V. 13. *Trabe cypria*, i. mercatoria nave. Metonymia. Ut *Morsas aper* pro Apro forti, *Myrtoum mare* pro mari procelloso.

V. 14. Nauta pavidus est quilibet homo, qui navigat, non Mercator.

V. 16. *Otium & rura*: figura poetica. diceres *otium rusticum*.

V. 20. *Solido*, i. integro. *partem*, i. dimidium. Continentes viri singulis diebus semel mensæ accumbebant ad

con-

Digitized by Google

Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra juvant, & lituo tubæ
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub jove frigido
Venator teneræ conjugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Te doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis; me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris Chori
Secernunt populo: si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod si me Lyricis vatibus inseres,
Sublimi feriam sidera vertice.

cœnandum. Prandium erat leve jentaculum, de quo Seneca Ep. 83. *panis deinde siccus, & sine mensa prandium post quod non sint lavandæ manus. Nec spernit*, i. maxime amat. figura *diminutio*, quæ plurimum habet venustatis in poesi.

V. 22. Pro τῷ ad caput sacrum aquæ leniter fluentis.

V. 24. Matres maximo metu tenentur, ne filii, conjugesque in acie pereant. fortasse puellæ impensius bellum horrent.

V. 25. *Jove*, i. aere.

V. 27. Fideles sunt canes, cum excitam sylvis cervam sectantur, & quibus certo fidere possumus.

V. 28. *Rupit*, i. irrupit, se conjecit in plagas. *vel* involutus eas rupit.

V. 30. Admirabiles sunt hi quinque versus sententiarum novitate ac nobilitate, vivida imaginum vi, dictionum elegantia, & numerorum concinnitate. *nec cohibet, nec refugit. Diminutio.*

V. 34. Intellige Poesim lyricam.

V. 35. Blande concludit. exemtus vulgo Horatius auspice Musa, magno Alcæo æquatus, in sacros lucos receptus, Deorum Dearumque campestrium ordinibus adscriptus aliquid amplius nobiliusque exoptat, nempe Mæcenatis suffragium, ut immortalitate donetur.

Digitized by Google

Evitata rotis: palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die

Sper-

V. 7. Tria hominum diversa studia refert: nempe honores, lucrosum compendium, vitam tranquillam. Non ea comparat cum quarto, scilicet cum maris cursu, quem proponit; nec asserit hoc tribus illis esse utilius. Respicit solummodo harum conditionum discrimen, non vero vel æqualitatem vel inæqualitatem. Tò *mobilium* significat curas & ambitum candidatorum in comitiis ad venanda suffragia. Loci sensus est. Propone divitias Attali illi, quem populus mobilis ad summos magistratus, nempe ædilitatem, Præturam, Consulatum conatur evehere. Propone huic, qui in sua horrea omnes libycas segetes congerit, aut alteri, qui suos agros ab avis felicios colere gaudet; nunquam eos induces ad committendam spem & vitam suam navigationi lucri faciendi causa; quia nimirum in eo, quem elegerunt, vitæ statu vivere volent.

V. 13. *Trabe cypria*, i. mercatoria navi. Metonymia. Ut *Morsas aper* pro Apro forti, *Myrtoum mare* pro mari procelloso.

V. 14. Nauta pavidus est quilibet homo, qui navigat, non Mercator.

V. 16. *Otium & rura*: figura poetica. diceres *otium rusticum*.

V. 20. *Solido*, i. integro. *partem*, i. dimidium. Continentes viri singulis diebus semel mensæ accumbebant ad

con-

Digitized by Google

Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra juvant, & lituo tubæ
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub jove frigido
Venator teneræ conjugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Te doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis; me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris Chori
Secernunt populo: si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod si me Lyricis vatibus inseres,
Sublimi feriam sidera vertice.

cœnandum. Prandium erat leve jentaculum, de quo Seneca Ep. 83. *panis deinde siccus, & sine mensa prandium post quod non sint lavandæ manus. Nec spernit*, i. maxime amat. figura *diminutio*, quæ plurimum habet venustatis in poesi.

V. 22. Pro τῇ ad caput sacrum aquæ leniter fluentis.

V. 24. Matres maximo metu tenentur, ne filii, conjugesque in acie pereant. fortasse puellæ impensius bellum horrent.

V. 25. *Jove*, i. aere.

V. 27. Fideles sunt canes, cum excitam sylvis cervam sectantur, & quibus certo fidere possumus.

V. 28. *Rupit*, i. irrupit, se conjecit in plagas. *vel* involutus eas rupit.

V. 30. Admirabiles sunt hi quinque versus sententiarum novitate ac nobilitate, vivida imaginum vi, dictionum elegantia, & numerorum concinnitate. *nec cohibet, nec refugit. Diminutio.*

V. 34. Intellige Poesim lyricam.

V. 35. Blande concludit. exemtus vulgo Horatius auspice Musa, magno Alcæo æquatus, in sacros lucos receptus, Deorum Dearumque campestrium ordinibus adscriptus aliquid amplius nobiliusque exoptat, nempe Mæcenatis suffragium, ut immortalitate donetur.

Digitized by Google

CARMEN II.

AD AUGUSTUM.

Occasione portentorum, quæ anno ineunte contigerunt, Augustum Horatius a deponendo Principatu dehortatur.

JAm satis terris nivis, atque diræ
Grandinis misit Pater, & rubente
Dextera sacras jaculatus arces,
Terruit urbem:

Ter-

Multi rerum eventus (de quibus v. Ind. *Octavius*) materiem hujus faciendi Carminis exhibuerunt Horatio, in quo dehortari statuit Augustum a ponendo summo rerum imperio, ad quod fortuna & Virtute evectus fuerat. Mæcenati præsertim palpatur, qui hujusmodi consilium Augusto dederat. De Carminis ratione cognoscenda dissentiunt eruditi. Agitur ne de prodigiis, quæ vix peremto J. Cæsare apparuerunt; an quæ consequentibus annis? utrinque pugnant. Interpretum turba in primam it sententiam, sed inter eos non convenit, quo tendat Carmen. Nonnulli de Poetæ consilio eadem opinantur, sed diversa de Carminis tempore. Acro, Porphirio, aliique veteres adsignari volunt annum 710., quo J. Cæsar occisus est, sed errant. Tunc enim Poeta Athenis erat, & Bruti partes secuturus erat, quas postea deseruit anno 713., Poesi vero operam dedit relicta militia. Præterea hoc Carmen tale est, ut supra vires sit Adolescentis undeviginti annos nati. Rodilius, Tanaquilius, Dacierius, Masso varia adsignant tempora, sed nodos expedire nequeunt.

V. 1. Sexdecim primi versus menti terrorem incutiunt. Licet Dio de sola Tiberis inundatione loquatur, non de tonitrubus, nivibus, tempestate, tamen quia reliqua facile explicari possunt a proposito suscipiendo abstinendum non est. Erat media hiems, qua ea accidere solent in Italia. Poeta de eo eventu loquitur, qui præcipuus fuit, qui subitus, & qui ea nocte apparuit, quam consecutus est dies Octavio Augusti nomen daturus.

V. 2. Hæc rubens Jovis manus denotat cœlum fulguribus inflammatum, & tempestatem horribilem.

Digitized by Google

Terruit gentes, grave ne rediret
Seculum Pyrrhæ, nova monſtra queſtæ,
Omne cum Protheus pecus egit altos
Viſere montes.
Piſcium & ſummá genus hæſit ulmo,
Nota quæ ſedes fuerat palumbis:
Et ſuperjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.
Vidimus flavum Tiberim retortis
Littore Etruſco violenter undis
Ire dejectum monumenta regis,
Templaque Veſtæ.
Iliæ dum ſe nimium querenti
Jactat ultorem: vagus & ſiniſtra

V. 5. * *Tò gentes* opponitur *civibus*. Dacierius ait. *terruit genes, ne*. græce dictum. Sanado vero latine, ſed nullum adfert exemplum *.

V. 11. Damæ natarunt falſis undis, quas mare in terram refuderat.

V. 12. Perperam Dacierius ſic. ripa ex parte Etruriæ ad dexteram Tiberis pellebat aquas ad alteram ripam, quæ eſt ad lævam ex parte Romæ. nam retorquere ſignificat retro pellere. Mare tumidum nivibus, tempeſtate, auſtro, vel affrico Tiberim ad oſtia tumefaciebat, hinc ejus aquæ repellebantur contra curſum ſuum.

V. 15. & 16. (v. Ind. *Roma*).

V. 17. *Nimium* conjungitur *querenti*. hæc apte referuntur ad annum 727., quo Orationem habuit Auguſtus de deponendo imperio. Hinc callide Poeta. Tiberis videtur velle perſiſtere in illius ſceleris ultione perſequenda, quam Auguſtus ſuſceperat, & funditus urbem evertere. Tantum pœnæ poſtulat ira Iliæ. Sed & indulgentia Principis, & Iliæ querelæ modum excedunt, utriuſque conſilium æque improbat Jupiter, nec patitur Auguſti gloriam in ulciſcenda J. Cæſaris morte cum aliis communicari, & Romam deleri.

V. 18. & 19. (v. Ind. *Roma*) ſcite Poeta fluminis furores, lentumque curſum repræſentat. hac incerta fluminis pugna ſignificat Auguſto a Jove electo ad hujuſmodi ultionem irritos fore cujuslibet hominis Deæque conatus.

Digitized by Google

Labitur ripa (Jove non probante) uxorius amnis.
Audiet, cives acuisse ferrum,
Quo graves Persæ melius perirent:
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet Divum populus ruentis
Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctæ minus audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Jupiter? tandem venias, precamur,
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo,

Sive

V. 20. Qui nimium indulget Iliæ uxori offensæ.

V. 21. Cæsaris umbra placata est, Jupiter hoc probat, Sed Resp. bellis civilibus exhausta reparatoris cujuspiam ope indiget. Inde Poeta alteri & præcipuæ causæ, quam attulerat Augustus, abdicandi se imperio, respondet, & ostendit, illud a Principe retinendum ad reficiendas Reip. vires.

V. 22. *Graves*, i. inexorabiles. Romanorum animos angebant, ac gravabant Crassi Antoniique clades à Parthis illata, & direpta insignia, & nomini inusta infamiæ nota.

V. 27. *Virgines* sunt Vestales. Vesta pugnabat tanquam Cæsaris ultrix, qui fuerat summus Pontifex. Deinde quærendum fuisset Vestæ de Romanis, si passi fuissent, Auctorem hujus ultionis a Rep. administranda ultro abesse. Hoc sibi vult *minus audientem carmina*. Poeta clanculum blanditur Augusto.

V. 29. Alteram affert causam, quæ inducere debet Augustum ad moderandas perpetuo Reip. habenas. Unus Augustus Deorum iram placare potest pro effuso civium sanguine in bellis intestinis, & res in pristinum dignitatis gradum restituere. *Scelus*, i. bella civilia.

V. 31. Illa nubes, qua Poeta Apollinis humeros cingit, fortasse significat velum, Numinis signum, quo Deorum caput operitur, ut videre est in quibusdam numismatibus. P. Syrus vocat *nebulam lineam*, linteum compellucidum. Anno præcedenti decreti sunt Augusto divini honores, & hic Princeps Templum, & bibliothecam Apollini dicavit.

Digitized by Google

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam jocus circumvolat, & Cupido:
Sive neglectum genus, & nepotes
Respicis auctor.
Heu nimis longo satiate ludo:
Quem juvat clamor, galeæque læves,
Acer & Marsi peditis cruentum
Vultus in hostem.
Sive mutata juvenem figura
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Majæ, patiens vocari
Cæsaris ultor:
Serus in Cœlum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini:
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat: hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps:
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Cæsar.

V. 33. (v. Ind. *Æneas*).

V. 36. Mars Romuleæ gentis ultor. En tibi duæ tabulæ Martis & Veneris pulcherrimæ seorsim perspectæ, multo autem magis inter se collatæ: τῷ *sive tu mavis* subauditur *adesse*.

V. 37. Martis ludus est bellum civile, strages. Lycophron v. 1411. appellat Martem cruentis pastum præliis.

V. 41. Augustus 36. ætatis annum agebat. Romani usque ad annum ætatis 45. juvenes vocabantur juxta Varronem.

V. 44. Patiens se vocari Cæsaris ultorem. Val. Max. & Orosius dicunt Cassium Parmensem Cæsaris interfectorem necatum fuisse Athenis anno 727. Suetonius errat, qui affirmat, neminem ex Cæsaris occisoribus superstitem fuisse anno 712.

V. 47. Vel ne nostrorum vitiorum horror te compellat ad nos relinquendos.

V. 49. Effluxit integer annus cum dimidio, ex quo Octavius triduo triumphaverat, Augusto mense.

V. 50. Pater patriæ, Pater orbis.

V. 51. Te duce, Cæsar, ne sinas Medos, i. Parthos equitare inultos, impunitosque.

Digitized by Google

CARMEN III.

Ad Navem, qua Virgilius Athenas proficiscens vehebatur. Virgilio faustam navigationem precatur Horatius, & impiam hominum audaciam insectatur.

Sic te diva potens Cypri,
Sic Fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat Pater,
Obstrictis aliis, præter Iapiga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis

Red-

Est hoc Carmen velut extrema Horatii Virgiliique consalutatio. Maro parabat in Græciam navigare non amplius rediturus. Si hoc præsensisset Poeta, quod evenire debuerat, dolorem sane suum impensius significare non potuisset quam in hoc Carmine, quod tripartito dividitur. Navem alloquitur, invehitur postea in primos nautas, & finem facit enumerando mala, quæ per hominum audaciam in genus humanum derivata sunt. Tener amor primæ partis dos est. In duabus reliquis multa nobilitas, & gravitas, ubique vero magna sententiarum verborumque vis. In hoc carmine argui posset, quod Pindarica aura nimium Poeta agatur. Multa tamen eum excusant. Functum enim prius officio, quod amicitia postulabat, Horatium in tam acerbo illustris ac necessarii Amici discessu, conspectus navis, quæ Maronem excipit, periculorum metus, quæ navigaturi adeunda erant, maxime percellunt ac perturbant. Hinc ille navigationem detestatur, velut impium contra Naturæ leges conatum, & in Deos conspirationem. Hujusce sceleris originem ab ea ducit indocili indole, quæ ad vetita amplectenda nos fert, & quæ omnibus calamitatibus obnoxios nos facit. Hinc licet colligere, omnes hujusce Carminis partes inter se cohærere, & alteram ab altera existere. Virgilius hoc iter suscepit anno 735., fortasse ineunte vere.

V. 3. *Eolus*.

V. 4. Vocatur Iapix, quando flat in Occidentali Italiæ regione. Favet navigantibus Brundusio Græciam versus, & Ægyptum.

Digitized by Google

Reddas incolumem, precor,
Et ſerves animæ dimidium meæ.
Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere, ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui fixis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum, & nefas.

Au-

V. 9. Robur æris triplicis. tranſit ad alteram partem. Stilus fortior fit, & nervoſior, magiſque ſonantes numeri. Magnifica Poeſeos vis Philoſophiæ ac Mythologiæ opibus aucta maxime eluceſcit. Is poetico furore repente abreptus nobiliter & apte ab re digreditur. (V. Præf. de Digreſ.)

V. 14. Metaphora.

V. 15. Dacierius ait, Adriam pro quolibet mari hic poſitum. Sanado aſſerit, Notum ponere undas, cum, ubi eas concitaverit, recedit.

V. 17. τὸ *gradum* ſignificat vel genus mortis, vel potius mortis propinquitatem; quod indicat inferius τὸ *corripuit gradum*.

V. 20. *Infames*, i. formidabiles, vel de quibus frequens ſermo eſt, utpote evitandis.

V. 22. Intractabili, cui nulla fides habenda, vel qui poterat perpetuo terras diſſociare.

V. 23. *Si tamen*, ſiquidem, quandoquidem.

V. 25. In hac extrema Carminis parte æque inſigni cauſam generatim ſumit eorum, quæ in ſecunda dixit.

Digitized by Google

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem ætherea domo
Subductum, macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.
Expertus vacuum Dædalus aera
Pennis non homini datis:
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt.
Cœlum ipſum petimus ſtultitia; neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

V. 28. *Fraude mala*, i. funeſto latrocinio.
V. 30. Omnes corporis infirmitates. Poeta ſpectat Pandoræ fabulam.
V. 33. Breve reddidit mortis iter. celeriori gradu venire cœpit mors. *neceſſitas lethi* eſt mors neceſſaria.
V. 36. Hercules laborioſus, poetice dictum.

CARMEN IV.

AD L. SEXTIUM.

Veris adventu & vitæ brevitate nos ad hilaritatem invitari.

SOlvitur acris hyems grata vice veris, & Favoni;
Trahuntque ſiccas machinæ carinas:
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea Choros ducit Venus imminente Luna;
Junctæque Nymphis gratiæ decentes

Al-

Hujus Carminis indoles eſt valde hilaris & venuſta, ad finem videtur ſeria & gravis, ſed falſo. Cogitatio mortis juxta Epicureos in cauſa erat, cur vita læte traducenda eſſet. Non ſatis conſtat, quo anno compoſitum fuerit, certe vel exeunte Martio, vel ineunte Aprili. Tria verna feſta conjunguntur, ſcilicet Veneris, Favoni, & Manium. Unicum eſt hocce Carmen, quod hac forma verſuum nobis reliquum fuerit.

V. 1. Se relaxat, lautum exordium, ambitus Orationis ingenioſus, Poetica concinnitas, apti dicendi modi & ſuaves. *aeris* & *grata* geminæ tempeſtatis diſcrimen denotant; hyemis rigorem, & veris ſuavitatem.

V. 2. Ergata, vectes, lignei cylindri, phalangæ, aliaque hujuſmodi inſtrumenta, quibus naves a littore in mare trahuntur. Verum dura hæc & aſpera non recte conſonant Zephyris, Veri, Veneri, Nymphis, & Gratiis.

V. 5. Fortaſſe plena tunc erat Luna. In feſtis Veneris puellæ tribus noctibus vigilias agebant. Multi putant, hunc & ſequentes tres verſus allegoricos eſſe. Venerem poſitam pro mulieribus, Gratias, & Nymphas pro puellis, Cyclopas pro ſtolidis conjugibus, qui, dum alii genio indulgent, res ſuas agunt.

V. 6. Significat modeſtiam, quæ in illis feſtis colebatur. Puellæ in plures cohortes dividebantur, & unaquæque cohors in plures Choros, ſaltabant, & Hymnos canebant.

Digitized by Google

Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ;
Nunc & in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat Agna, sive malit hædo.
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sexti,
Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia. Quo simul mearis,
Non regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis, & mox Virgines tepebunt.

CAR-

V. 7. *Graves*, i. laboriosas. quantum inter Vulcani Veneriſque labores differat, vides.

V. 8. Ignem auget in suis accensis fornacibus.

V. 11. Non diduntur luci per ἀντίφρασιν, ridiculum Grammaticorum commentum, sed quia facibus illuminabantur in diebus festis. Hinc sæpe accidit, ut lucis ignis accenderetur.

V. 13. Hac secunda causa hortatur Sextium, ut vitæ voluptatibus fruatur. Agit, ni fallor, de festis Manium, quæ quinque dies perdurabant.

V. 15. Tota vita nostra parva res est: *inchoare*, i. concipere. ἀπρογνῶς.

V. 16. Fabula a fando. manes, de quibus frequens est sermo: vel loca infera fabulosa, vel quia fabulæ creduntur a multis.

V. 17. *Exilis*, i. tristis, vel inops, vel domus, ubi morantur leves animæ. (V. Ind. *Cineres*).

V. 18. Rex convivii sortito creabatur. *tali* erant *gli astragali*, *tesseræ*, *i dadi*. alea species ludi per tesseras. ludus hic legibus vetabatur.

V. 20. Adolescente ætate Lycidas in puellarum oculis feretur, nota discendi modum: *calere*, *tepere juvene*.

Digitized by Google

CARMEN V.

AD PYRRHAM.

Miseros esse, qui illius amore teneantur, inde se quasi ex naufragio evasisse.

QUis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha, sub antro?
Cui flavam religas comam
Simplex munditiis? heu, quoties fidem,
Mutatosque Deos flebit, & aspera
Nigris æquora ventis
Emirabitur insolens,

Qui

Parvæ Odæ de rebus parvis agentes aptiores sunt ad ferendum de Horatio judicium, quam ea poemata longiora, quæ res magnas pertractant, ac Poetæ animum erigere, augere, ac veluti mutare queunt. Unum animi sensum valde simplicem, ac naturæ consentaneum continet hæc Ode. Quæ Veneres! quis verborum delectus! quæ lenocinia? quanta suavitas, concinnitasque sententiarum! Non ego dubitaverim hanc esse omnium perfectissimam.

V. 1. τὸ *gracilis* proprie significat virum forma præstantem; aliquando etiam amasium. Vox *puer* est teneri amoris index. Virgilius Cæsarem & Pompejum ita alloquitur, *ne pueri, ne tantæ animis assuescite bella*.

V. 2. Unguentis delibutus te impetit dulcissimis assultibus.

V. 4. In cujus gratiam, *vel*: cui ut placeas te simulata modestia comis? indicat fusam illam negligenter humeris cæsariem Matronarum Spartanarum, quæ fasciculis floreis occipitis crines plectebant.

V. 5. Simplici cum proprietate.

V. 6. Venerem, & Cupidinem.

V. 7. Boreas, Eurus, Auster a Græcis & Latinis *nigri*, alii venti mitiores *albi* appellantur.

V. 8. Insolito stupore correptus cernet.

Digitized by Google

Qui nunc te fruitur credulus aurea:
Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat, nescius auræ
Fallacis. Miseri, quibus
Intentata nites: me tabula sacer
Votiva paries indicat, uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

V. 9. *Aurea*, i. pulchra. Roscllus vertit: *toute bonne*, *pleine des careſſes*.

V. 10. *Vacuam*, aliis amasiis carentem.

V. 12. Miseri qui fraudulenta illa malacia se capi patiuntur, nec omnia prius pericula noverunt. Ego nimis hanc expertus sum, usque ad finem μεταφορικῶς.

V. 13. *Nitere* dicitur æque de fortuna mulierum, ac de maris tranquillitate. ordo est: *paries sacer indicat tabellæ votivæ me suspendisse vestimenta uvida Deo potenti maris*. Illa tabula votiva meorum infortuniorum, quam suspendi Deo procelloſi maris, evidenti argumento est, me ei sacrasse naufragii reliquias, ne amplius periculo objiceretur. Profecto Poeta in amore, quem aluerat erga Pyrrham, naufragaverat, * fortasse denotat periculum, quod ei exprobrat Davus sat. 7. lib. 2. cum ipse servi veste indutus in arca clausus fuit ab Ancilla in domo Amicæ adventante domino *. naufragi homines in tabula picta, quidquid sibi evenerat, referebant.

CAR-

CARMEN VI.

AD M. VIPSANIUM AGRIPPAM.

Se jocosis versibus natum, bellicis virtutibus celebrandis minime parem esse.

SCriberis Vario fortis, & hostium
Victor, Mæonii carminis aliti,
Quum rem quumque ferox navibus aut equis
Miles, te duce, gesserit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem
Pelidæ stomachum, cedere nescii,

Nec

Fortasse Varius præclarissimum suum Poema jam prope confecerat, in quo Augusti, Agrippæ, aliorumque ducum Romanorum laudes magnifice caneret. Cumque ille Homeri eximius æmulator extiterit, fortasse eos duces Græcis heroibus comparavit. * Credibile est subinde Agrippam perlectis Varii versibus id olim exprobrasse Horatio, quod nempe nondum Varii exemplum secutus fuerit. idcirco Poeta se purgat de silentio, sed ejus excusationes totidem elogia sunt singulari ratione, ac tenui veluti filo deducta, quibus non modo Romanos illos duces, verum etiam Varium Amicum & familiarem suum tacite in cœlum effert *. Augustum solummodo nominat: perinde ac si pudor & veneratio plura dicere vetaret; Agrippæ laudes leviter attingit, utpote quæ Epico Poemate dignæ sint, & altero Homero. Alios duces sub allegoricis personis deinde prodire jubet. Omnia raris, poeticisque coloribus distinguit. Sola allegoria tot partes tam diversas in unum cogere potest. Scripsit fortasse hoc Carmen anno 725., quo Octavius Jani Templum clausit, triduo triumphavit, & honores divinos per S. C. accepit.

V. 2. *Aliti*, i. Vario, qui est Poematis Homerici cygnus. τὸ *ales* sonat augurium cum conjungitur vocibus *mala*, *secunda*.

V. 3. *Quumquumque*, i. quadocumque, quotiescumque.

V. 6. Enumerare incipit duces. prope ἀδύνατον est allegorias illas omnes ad rei veritatem revocare; desideratur enim

Nec curſus duplicis per mare Ulyſſei,
Nec ſævam Pelopis domum
Conamur tenues grandia: dum pudor,
Imbelliſque lyræ Muſa potens vetat
Laudes egregii Cæſaris, & tuas
Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne ſcripſerit? aut pulvere Troio

Ni-

enim rerum hiſtoria. Sed non parum profecerimus, ſi probabilitatis veſtigiis inſiſtentes vero viam ſtraverimus. Prima perſona eſt Achilles. Notum, quantopere Agamemnoni iratus fuerit, & quamdiu Græcorum, Trojanoramque ſortem remoratus. Pollio eſt Achillis perſona in Ode *Paſtor cum traheret*. Propter injurias ab Octaviano acceptas a bello Actiaco, & Alexandrino abſtinuit, illiuſque Principis votis, & virtutibus obſtitit. hinc *gravis ſtomachus*.

V. 7. Alii τὸ *duplicis* explicant pro τῷ vafri. alii legunt *duplices*, & referunt ad *curſus*, i. itionem & reditionem Ulyſſis, qui 20. annos maria navigavit, antequam patriam peteret, cum alii poſt 12. annos reverſi fuerint. Sed *Duplex* pro doloſus non eſt vox latina teſte Voſſio. Sanado vero ait duplicem Ulyſſem eſſe duos Ulyſſes, & illa voce ſignificari omnes illos heroas allegorice ſumendos eſſe, & indicari fortaſſe Agrippam, & Meſſalam, vel Agrippam & Mæcenatem, qui imperarunt claſſibus Octavii in bello Sicilienſi, & Actiaco. Mæcenas vigilantia ſua impia Lepidi junioris conſilia detexit.

V. 8. Nota ſunt ſcelera in domo Pelopis patrata. Spectat fortaſſe Poeta Ægyſtum & Clytemneſtram. *Pelopis domus* refert domum Lagæorum. Infelix Amor illic Ægyſtum & Clytemneſtram, hic vero Antonium & Cleopatram perdidit.

V. 9. Hæ voces: *tenues*, *pudor*, *imbellis* modeſtiæ indices plurimum commendant Poetas. nequeo, inquit, cantare Achillem, Ulyſſem, &c. cur? quia impar ſum viribus æquandæ meis verſibus amborum virtuti. Hæc eſt cauſa, cur Poeta a laudando Auguſto & Agrippa abſtinuerit, eademque ad carminis intelligentiam aditum aperit.

V. 10. Mea Muſa, quæ lyræ nimium imbelli præſidet, eſt minus apta rebus bellicis canendis.

V. 13. Tres reliquæ Perſonæ accommodari poſſunt Statilio Tauro, M. Titio, & Mæcenati. Primus pugnavit con-

Digitized by Google

Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydiden superis parem?
Nos convivia, nos prælia Virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium,
Cantamus vacui; sive quid urimur,
Non præter solitum leves.

contra Pompejum pro Augusto, bellum Dalmaticum absolvit anno 720, & contra Antonium exercitui imperavit. Alter ab Antonio defecit anno 722. cum suo avunculo Munacio Planco, dux fuit copiarum in Epiro, & a partibus Antonii Philadelphum Paphlagoniæ Regem abduxit. Mæcenas litteratorum hominum Patronus sub Palladis nomine latet, isque ex familiaritate intima deos inter & Diomedem dignoscitur. Pallas immortalem reddidit Diomedem. Senatus Deum renunciavit Octavium anno 725. populus vero 718.

V. 15. *Nigrum*. pulvere indecoro, & luto nigro in media pugna sordidatum, *vel*, ut alii volunt, Æthiopem.

V. 18. Illæ puellæ a suorum amasiorum impetu unguium armis se defendunt, sed nec eos lædere, nec repellere volunt, nec nimium iis repugnare. iccirco sibi præcidunt ungues, pugnantque cessuræ.

CARMINIS VII. FRAGMENTUM.

Tiburtini secessus amœnitatem describit.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenem,
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi

Post longam & splendidam illustrium Urbium ac regionum enumerationem expectandum cuique fuerat, ut Tiburtinus secessus iis omnibus præponeretur. Minime gentium. Tres dumtaxat versus rem leviter adumbrant, & lector valde miratur, se a Poeta repente destitui initio statim. Id vitii veteres Grammatici animadverterunt, sed remedium malo pejus adhibuerunt. alteram enim Odem ejusdem metri nempe *Albus ut obscuro* repererunt, ubi Tibur tantummodo nominatur; id eos induxit, ut crederent hanc secundam esse primæ partem alteram. Inventum hoc, quo sibi val-

Digitized by Google

Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt, quibus unum opus est intactæ Palladis arces
Carmine perpetuo celebrare, &
Undique decerptæ frondi præponere olivam.
Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec

valde placuerunt, ab ingenti amanuensium multitudine propagatum est. Non semel quidem in Horatio duas Odas in unum congesserunt, ut videbimus. Sed si tantisper Criticam artem consuluissent, facile sentire poterant, quantum inter has duas Odas intercederet discriminis. Nil commune habent, quoad argumentum. Poeta Tiburem Italiæ pagum deliciis Græciæ anteponit in hac. In illa Amico scribit, qui magnum sibi infortunium imminere verebatur, eumque hortatur, ut Epicureorum more ex malis bona eliciat. In prima nulla Planci mentio, quem alloquitur in secunda: si duas hasce Odas conjungeres, molestas cerneres dictionum iterationes, nempe *perpetuum carmen*, *perpetuo*, & *uda pomeria*, *uda tempora*. Demum Scaliger & Heinsius multos manu scriptos codices antiquissimos viderunt, ubi hæ duæ Odæ prorsus disjungebantur. Credibile est, Poetam hoc Carmen cecinisse paulo postquam a Mæcenate agro Sabino donatus est, fortasse etiam aliquanto ante, ut callide erga se eximii sui Patroni liberalitatem excitaret.

V. 5. Sunt qui in eo, toti sunt, ut Athenarum arcem castæ Palladi sacram celebrent.

V. 6. *Perpetuum Carmen* est Poema Cyclium primi generis, de quo vide Præf. de arte Poet.

V. 7. Dacierius ita ferme explicat. Olivam præponere omnibus arboribus. Bentlejus vero & Sanado aliter legunt (vide Var. Lect.) ille sic explicat: *ex argumento undequaque exhausto coronam sibi poeticam querere*. additque, Poetas sumere solitos varias coronas pro varia rerum ratione, quas carmine celebrabant. hic vero putat versum nec ad Palladem, nec ad arcem Athenarum referendum esse, ibique Poetam loqui velle de ludis Olympiis. Hercules in Græciam tulit sylvestres olivas, easque in omnibus oris sevit, stadio Olympio finitimis, & ad æternam hujusce muneris memoriam voluit, ut rami ejusdem arboris coronandis victo-

Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, ac Tiburni lacus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.
* * * * * * * * *

victoribus inservirent. hi ludi a corona Oleaginea indicabantur. hæc res Poetarum venam exercuit. *undique decerptam*: ita igitur ferme locum vertit. alii amant cingere frontem oliva, quæ immortales reddidit tot Heroas in ludis Olympicis, & quam tot Poetæ prædicarunt * ego vulgarem lectionem secutus cum ceteris allegorice hunc versum interpretandum puto. Oliva Palladis arbor est pax, studia, quæ Athenis florebant; *frons* vero *undique decerpta* est laurus, quæ debetur victoribus ducibus jam multis: ut sensus sit. & præponere pacem ejusque commoda belli utilitatibus *.

V. 12. Fontes erant propriæ Deorum præsidum domus. *Domus Albuneæ* vocatur hodie *i Bagni di Tivoli*. & rivus *la solferata*.

CARMEN VIII.

IN L. MUNACIUM PLANCUM.

Proposito Teucri exemplo, hortatur, ut vino curas eluat.

ALbus ut obscuro deterget nubila cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbres

Philosophia Epicurea apud Horatium est commune malorum omnium remedium. Illa depressos animos erigit, tristes dissipat curas, Religioni addictos a superstitione liberat, contra hyemis inclementiam, morborum dolores, metumque mortis plurimum valet. Præcepta hujusmodi tradit Amico suo Munacio Planco. Numerosum est hoc Carmen, Naturæ consonum, Poeticum, affabre constructum. Præcipua in eo laus est Poetæ dexteritas, qui ut præceptis pondus addat exemplum affert veteris Græci Herois. Scriptum fuit anno 723., quo inita fuit Actiaca pugna.

V. 1. Vegetius ait, νότος, idest *Auster meridianum cardinem*

Perpetuo: Sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitæque labores
Molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina, Patremque
Quum fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
Sic tristes affatus Amicos:
Quo nos cumque feret melior fortuna parente
Ibimus, o socii, comitesque,
Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro,
Certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes, pejoraque passi
Mecum sæpe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus æquor.

CAR-

tem possidet. huic a dextra jungitur λευκόνοτος, ideſt *albus notus*. Hic ventus a meridiano puncto distat 22. gradibus cum dimidio. vocatur *albus*, quia coelum serenat. Itali vocant *Ostro Sirocco*. alii ajunt vocari *album*, quia candidas nives solvit.

V. 3. *Perpetuo*, i. semper. duas affert causas ad solandum Amicum. primo, pluvias a noto excitatas non esse diuturnas; iccirco nostra tristitia brevis esse debet. Sapientis est eam cito amovere.

V. 5. *Molli* a mollio. Vinum mollire curas, & mala, non autem finire potest. Plancus in dubio erat, utrum alio militatum, an secessum Tibur ire deberet.

V. 7. Exemplum Teucri est altera causa, cur Plancus moerore levetur.

V. 8. Lyæus a λύω, quia vinum solvit membra.

V. 9. Teucer: Alcidem imitatus est, qui victo Cerbero fronde populea ex Acheronte petita tempora cinxit.

V. 12. Qui sequebantur Teucrum erant eodem tempore vitæ comites, & socii fortunæ.

V. 13. *Auspice*, i. auctore ei suscipiendæ.

V. 18. Iterum metiemur.

Digitized by Google

CARMEN IX.

AD LYDIAM.

Lydiæ exprobrat, quod juvenem turpi amore implicatum apud se retineat, & ab honestis exercitationibus avocet.

Lydia dic, per omnes
Te Deos oro, Sybarin
Cur properas amando
Perdere? cur apricum
Oderit campum patiens
Pulveris atque Solis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitat?
Gallica nec lupatis
Temperat ora frænis?

Dacierius optime Poetæ mentem assecutus est. Tacite ac falsè Poeta fugillat Lydiam, quæ Sybarin juvenem turpi amore detinebat, ejusque mores corrumpebat. Id apparet ex comparatione instituta, quæ facile rei aptatur. Fortasse Horatius zelotypia ductus non poterat ferre Sybarin rivalem potiores habere partes apud Lydiam, & ab hac se turpiter excludi, quamquam videatur hanc impotentiam obtegere involucro cujusdam doloris de pernicioſa libidinosaque juvenis mollitie. In hoc unico Carmine tali metro usus est.

V. 1. In Ode 9. lib. 3. loquitur de juvene Calai filio Ornyti, ex regione Turiorum, narratque mutuos ejus & Lydiæ amores. antiqua urbs Sybaris erat ad sinum Tarentinum. ideo patronymico nomine usus est, ut eum significaret. *Sybarin* pro *Sybaritam*. Aliis hic Sybaris videtur Telephus, de quo Ode 14. hujus.

V. 3. *Amando*. passive.

V. 5. *Patiens*, i. qui solebat pati.

V. 9. Subauditur *equorum*. audax dicendi forma. sed reliqua verba sensum Auctoris definiunt. Romani equos Gallicos magni ducebant. *lupatis*, i. duris.

Digitized by Google

Cur timet flavum Tiberim
Tangere, cur olivam
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque jam
Livida geſtat armis
Brachia, ſæpe diſco,
Sæpe trans finem jaculo
Nobilis expedito?
Quid latet ut marinæ
Filium dicunt Thetidos
Sub lacrymoſa Trojæ
Funera, ne virilis
Cultus in cædem, & Lycias
Proriperet catervas?

V. 12. & 16. (v. Ind. *Olympii ludi*.)

V. 15. Eleganter. neque amplius ab armorum geſtatione liventia præfert brachia. Roſellus vero ita vertit: neque agitat deorſum ab humeris brachia livida in ludis.

V. 20. Lydia domi detinebat Calain mutata veſte indutum. (v. Ind. *Achilles*).

V. 21. Cædes Trojanorum & Græcorum.

V. 22. Felici audacia dictum τὸ *virilis cultus* pro *ne ipſe virili veſte indutus*. forteſſe inſtar Achillis Calais ad bellum vocabatur.

V. 23. *Lycii* pro Trojanis, dictum pro τῇ in cædem græcarum catervarum.

Digitized by Google

CARMEN X.

AD THALIARCHUM.

Hortatur ad hyemem hilare transigendam.

VIdes ut alta ſtet nive candidum
Soracte, nec jam ſuſtineant onus
Sylvæ laborantes: geluque
Flumina conſtiterint acuto?
Diſſolve frigus; ligna ſuper foco
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.

Epicureæ ſectæ velificatur Poeta. Omnis hominum ætas, omnes anni tempeſtates, omnes vitæ humanæ vices eum ad voluptatem revocant. Fortaſſe hoc Carmen ille abſolvit in villa Thaliarchi in confinio montis Soractis. * Sed quiſnam eſt iſte Thaliarchus? & quo tempore Ode ſcripta eſt? Fortaſſe ſub nomine ficto tegitur aliquis ejus Amicus. An Mæcenas, qui curis ſæpe diſtinebatur, præſertim cauſa Terentiæ? videtur eum hortari, ut ludo ſe dedat, quo jam delectabatur, & novis amoribus? Si ita res habet cum Horatius fuerit ferme æqualis Mæcenatis, & Mæcenas nondum conſenueſcerat, Odem ſcripſit inter 40. & 50. ætatis annum. Viderit etiam, ut alias, Poeta invitaſſe Mæcenatem in villam ſuam, ex qua Soracte proſpici poterat.

V. 1. Conſtet nive. Nobis offert hunc montem velut ex nive conflatum, quod accidit cupitus proſpicientibus.

V. 3. Gementes, fatiſcentes ſub pondere. Hyperbole.

V. 4. *Acuto*, i. acri.

V. 5. Pelle frigus, mitiga. Frigus contrahit & adſtringit corpora.

V. 8. *Diota*, quaſi δὶς ὠτα, eſt quadrantal, aut amphora duas habens anſas, & octo continens congios. fingebatur in Sabinia.

Digitized by Google

Permitte divis cætera: qui simul
Stravere ventos æquore fervido
Depræliantes, nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quærere, &
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Adpone, nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas.
Donec virenti canities abest
Morosa, nunc & campus, & areæ,
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora:
Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellæ risus ab angulo,
Pignusque direptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

CAR-

V. 9. Omnino trade in manus Deorum.

V. 10. Quam animata rei imago! Qui versuum modi, ac numeri! quam nervosæ dicendi formæ! Deorum nutu desinunt venti undas maris concitare.

V. 17. Juventus est humanæ vitæ ver.

V. 18. *Nunc* refertur ad *donec*. respicit hic horam, quam constituerat Thaliarchus, nempe tempus vespertinum occultis Amicarum congressibus aptum. *areæ* sunt plateæ publicæ.

V. 18. *Repetere* est sæpius ire. Ab hoc verbo pendent hi septem postremi versus, qui quatuor dicendi formas diversas amplectuntur.

V. 21. Repete tu illos quoque puellarum cœtus, quæ ultro latent in aliquo angulo semoto, ut detegantur, vel se produnt risu, & ubi sibi eripi sinant molliter repugnantes aliquam armillam, aut gemmam.

V. 24. *Male*, i. non.

Digitized by Google

CARMEN XI.

IN MERCURIUM.

Hymnus.

MErcuri facunde, nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recenti
Voce formasti catus, & decorae
More palestrae;
Te canam, magni Iovis, & Deorum
Nuncium, curvaeque lyrae parentem,
Callidum, quidquid placuit, jocoso
Condere furto.
Te boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

Quin

Hujus Carminis, quo Mercurium laudat, stilus est mediocri propior, quam sublimi; dicendi modi simplices, & elegantes. Versus ad numerum fluunt. Primo tamen, sexto, & decimo octavo exceptis, quorum structura dura est, & potius graeca, quam latina. Non satis constat, qua data occasione Horatius hoc cecinerit. fortasse festis Mercurii.

V. 2. Insolita eloquentia tua, tuisque admonitionibus.

V. 3. Catus est, qui in hominum animos blande irrepit, eosque regit. quod ad veram eloquentiam maxime pertinet. Decorae corporis exercitationes ad conciliandam membris venustatem & flexilitatem plurimum valent.

V. 4. Institutione, exercitatione, consuetudine palestrae.

V. 6. Interpres & legatus Deorum erat, & ita Coelestes, & mortales commercio miscebat.

V. 7. Docebat homines vigilantiam, & sagacitatem in rebus gerendis.

V. 11. *Terret*. Enallage est temporis, quasi dicat, dum Apollo minaretur tibi ictus sagittae propter subreptas boves.

Digitized by Google

Quin & Atridas, duce te, ſuperbos
Ilio dives Priamus relicta,
Theſſaloſque ignes, & iniqua Trojæ
Caſtra feſellit. 15
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus: virgaque levem coerces
Aurea turbam, ſuperis Deorum
Gratus, & imis.

V. 13. Fuit etiam bellica virtute præditus. Atridæ ſunt Agamemnon & Menelaus. hic locus poetico colore fulget.

V. 15. In excubiis accendebatur ignis noctu ad illuminanda caſtra, & ad evitandos ſubitos hoſtium aggreſſus.

CARMEN XII.

AD LEUCONOEN.

Abjiciendam craſtini ſolicitudinem, hodie vivendum.

TU ne quæſieris (nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Di dederint, Leuconoe: neu Babylonios
Tentaris numeros: ut melius, quidquid erit, pati:
Seu plures hyemes, ſeu tribuit Jupiter ultimam,
Quæ

Qualibet ætate homines ſuperſtitioni obnoxii fuere. Quid magis ridiculum & inane, quam Aſtrologos, & Hariolos de vitæ diuturnitate conſulere? Hoc communi morbo Leuconoe laborabat, Horatius ſua Philoſophiæ elementis fretus conatur errorem auferre, oſtendens, illa omnia, quæ ſpeciem artis præſeferunt, falſa eſſe & ſimulata, & veram ſapientiam ſitam eſſe potius in bonis vitæ poſſidendis, quam ſi anxie inveſtiges, quamdiu ea duratura ſint. Carmen hoc breviſſimum plurima laude digna, ac magna continet. Hyberno tempore confectum eſt, ſed quo anno in ancipiti poſitum.

V. 2. Quænam eſt hæc Leuconoe? ejus nomen ſive verum, ſive fictum ſonat græce candorem mentis. *finem*, i. vitæ. *Babylonii numeri* ſunt calculi aſtronomici.

V. 3. Quanto melius eſt pati, quidquid erit! præſtat vitæ noſtræ curam naturæ permittere.

Digitized by Google

Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum; sapias, vina liques: & spatio brevi
Spem longam reseces. dum loquimur, fugerit invida
Ætas. carpe diem, quam minimum credula postero.

V. 6. Romani in Campaniæ oris domos possidere amabant propter littora maris Tyrrheni. Tres habebat Cicero, totidem Lucullus. Leuconoe eodem dulci morbo tenebatur. Poeta eam opportune monet, ne quærat, utrum annus, quo tot sumtibus magnificam domum construendam suscipis, futurus sit ætatis suæ extremus. *debilitat*, i. frangit, coercet, imminuit, contrahit, angustat: sensus semper est idem; nam illæ domorum moles undarum impetum sustinere ac rumpere debuerant. *pumicibus*, i. ingentibus saxis, aggeribus sale marino præsertim cavatis. Lucretius lib. 2. v. 329. ait. *vesca sale saxa pereſa*.

V. 7. *Sapias*, i. si sapis. *vina liques*. (v. Ind. *Veteres*.) *spatio brevi* subauditur *vitæ*. Metire tuas spes brevi vitæ spatio, ne ulterius eas producas.

V. 8. *Fugeris*. figura *Concessio*, tempus noſtris voluptatibus invidens effluat, ut libet.

V. 9. Carpere flores, & poma idem est ac raptim colligere nulla interjecta mora. quisque dies est veluti flos tener, qui breve tempus durat, qui, si paruluper ab eo carpendo abstineas, perit.

CARMEN XIII.

HYMNUS AD JOVEM.

Adulatus Augustum Horatius Marcellum laudat, & utrique eximia cum Deorum, tum Heroum exempla proponit.

QUem virum aut heroa lyra, vel acri
Tibia sumes celebrare, Clio,

Quem

Hoc Carmen specie quidem est veluti quædam Elogiorum series. Sed si attentius illud consideres, plura in eo invenies admiratione dignissima. Canit Poeta Deos, Heroas, vitos. Dii sunt Jupiter, ejusque filii, hinc venit ad heroas. Romanos elegit. primas teneat Reges, deinde prodeunt

Quem Deum, cujus resonet jocosa
Nomen imago,
Aut

deunt Reip. Optimates jam extincti, suis quisque virtutibus ornati. Demum viventium virorum laudes Carmini finem imponunt. Duo hic maxime nitent, nempe maximus rerum ordo & plurima rerum varietas. Simplex rerum recensio iis est conspersa condimentis, ut nullum adferat fastidium. Fac animadvertas nobiles dicendi formas, castigatos versus, & splendidos, magnificas rerum imagines, lectissimas figuras, denique locupletissima Eloquentiæ & Poeseos decora tam scite sparsa & consita, ut religiose exquisiti in Personis, rebusque recensendis ordinis satietas ornamentorum elegantia & jucunditate vincatur. Sed scribendi ratio, qua omnia ad certum finem direxit, maxima Poetæ laus est. Indicat enim in Horatio summam artis intelligentiam, superbissimumque judicium. Laudaturus juvenem Principem, qui Imperatoris delicium, ac totius imperii spes erat, eas tamen virtutes bellicas in eo desiderabat, quæ ingenita vi sua & splendore mortales perstringunt. Dotes animi, quibus Marcellus præditus erat, hujusmodi spem afferebant. Verum hæ futurarum rerum conjectiones suppetere ne satis possunt Heroico carmini perficiendo? Quid igitur Horatius? ab Historia & Mythologia plurima lumina mutuatur ad rem sibi propositam illustrandam; præterea eodem tempore Augusto adulari, & adulationis suspicionem evitare debebat; laudare insuper Marcellum, & nimiarum laudum periculum subterfugere. Poeta obstantia superat strenue. quatuor versus Marcello, duodecim postremo Augusto dicat. Marcelli laudes sunt exquisitissimæ, sed veluti emblematibus præpeditæ, pulchras spes solummodo præseferunt, Augusti vero in propatulo positæ, & felicissimo adspectu, & factorum luce distinctæ. Marcellus ferme Jovi æquiparatur. Sed, inquies, deorum laudes ab te longe absunt, nimiumque occupant spatium. minime gentium. Exemplis his locupletissimis duos Principes instruit, eoque ingeniosius, quo occultius. Regnandi scientia, virtus militaris, constantia, temperantia, morum austeritas, abstinentia, pietas in Patriam, deorum, illustriumque virorum auctoritate firmantur. hoc lautissimum carmen factum fuit post pugnam Actiacam ante adolescentis Marcelli mortem, antequam Augustus ad submittendos sibi Parthos & Indos iter susciperet, & in gravem morbum, qui mense Augusto accidit, incideret, nempe post annum 731.

V. 4. Echo.

Digitized by Google

Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidove in Hæmo,
Unde vocalem temere insecutæ
Orphea rupes,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus?
Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus, qui res hominum, ac Deorum,
Qui mare & terras, variisque mundum
Temperat horis?
Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quicquam simile, aut secundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.
Præliis audax neque te silebo,
Liber, & sævis inimica virgo
Belluis: nec te metuende certa
Phœbe sagitta.
Dicam & Alcidem, puerosque Ledæ
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,

De-

V. 7. Confusim. quod est nimiæ curiositatis argumentum. gradatim jucundas rerum imagines exhibet Poeta, ut magis, magisque attentos nos efficiat.

V. 11. *Blandum*, i. ita blande canentem, ut duceret &c. *auritas*. mirabile Epitheton.

V. 16. Anni tempestatibus.

V. 17. *Unde*, i. a quo. Ait Jovi rem cessisse potiorem, quam ejus Patri Saturno, neminem Deorum ei æquiparari, nedum præferri, postea per *correctionem* poeticam fatetur Palladem summæ potestatis, & juris participem fieri. Dea a Jove tantum nata sine ope materna est sapientia, virtus, & consilium Jovis.

V. 22. Diana venatrix.

V. 28. *Stella* pro *stellæ*, ut *hædus* pro *hædi* alibi.

Digitized by Google

Defluit saxis agitatus humor:
Concidunt venti: fugiuntque nubes:
Et minax (Di sic voluere) ponto
Unda recumbit.
Romulum post hos prius, aut quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Junii fasces prius, aut Catonis
Nobile lethum,
Regulum, & Scauros, animæque magnæ
Prodigum, Pœno superante, Paulum
Gratus insigni referam Camœna,
Fabriciumque?
Hunc, & incomtis Curium capillis,
Utilem bello tulit, & Camillum
Sæva paupertas, & avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit occulto velut arbor ævo
Fama Marcelli: micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Gen-

V. 33. Duobus primis regibus opponit duos primos maximosque libertatis propugnatores.

V. 35. Junius Brutus expulsis Regibus aditum aperuit libertati Romanæ; Cato autem Uticensis sese interimendo effecit, ne amissæ libertati superesset. Augustus non moleste ferebat, si quis de rebus generatim sumtis, & libertatem tuentibus sententiam suam exprometet.

V. 43. *Saxa*, i. dura, & aspera. *apto*. domicilium respondebat mediocribus reditibus.

V. 45. Hic, & tres sequentes versus arte valent plurimum, & sententia.

V. 47. Aliqui interpretantur de Julio Cæsare. Plinius enim & Suetonius scribunt, Cometen apparuisse in Septemtrione dies septem, quamdiu Augustus ludos publicos Julio Cæsari consecrabat. Alii putant Poetam locutum de solo Juniore Marcello, Dacierius negat; quia ille juvenis adhuc vivebat, & quia Poeta vivos magnos canit. Masso affert, secundam quaternionis hujus partem non pertinere ad juniorem Marcellum, qui non poterat esse *Julium sidus*. Torren-

Digitized by Google

Gentis humanæ pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæsaris fatis data: tu secundo
Cæsare regnes.
Ille seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oræ
Seras & Indos.
Te minor latum reget æquus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

rentius cum Massone primam partem quaternionis tribuit juniori Marcello, alteram Julio Cæsari, affirmarque primis versibus non significari seniorem Marcellum. Dacierius & Bentlejus contendunt, toto quaternione seniorem Marcellum dici. Alii cum Sanadone agi de utroque Marcello arbitrantur, junioremque vocari *Julium Sidus*, quia Juliam duxit uxorem, ut sensus sit: Gloria Senioris Marcelli, quæ decrescere cœperat in hominum memoria ob ætatem novam veluti vitam recipit, & crescit quotidie magis in uno nepotum suorum, ut hoc tam illustris stirpis germen Juliorum domo insitum suarum virtutum splendore ceteras Romanas familias obruat. *inter ignes*, i. stellas. Marcellus obiit aliquot mensibus postquam Poeta hoc carmen confecit.

V. 49. Hymnus ad Jovem.

V. 50. * Commendat Jovi salutem Augusti non sine causa, ut infra dicemus.

V. 57. Compatat scite, & callide Jovem cum Augusto, cui maxime adulatur. apparet ex hoc versu Augustum nuper destitisse a suscepto consilio abdicandi se imperio, quod accidit anno 727.

V. 58. Imperium cœli penes Jovem esse debere, terrarum autem penes Augustum.

V. 59. Taxat quodammodo Jovem, de mittendorum fulminum ratione, rogatque ut ea conjiciat in lucos scelere contaminatos, non in loca casta. hinc apparet hoc Carmen factum anno 729., quo in Hispania Augustus Cantabros debellabat. Nam, ut scribit Suet. in Aug. c. 29. „ Tonanti Jovi ædem consecravit liberatus periculo, cum „ expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus „ ful-

„ fulgur perstrinxisset, Servumque prælucentem exanimas-
„ set. „ quatuor annis ante fulmine icta fuit Palatina domus, ut ibidem Suetonius inquit. *

CARMEN XIV.

Dolet sibi Telephum anteponi.

QUum tu Lydia Telephi
Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, væ, meum
Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa sede manent, humor & in genas
Furtim labitur, arguens,
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Uror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicæ mero

Ri-

Rixa Horatium inter & Lydiam oborta est. Ipsa ulciscendæ contumeliæ causa sæpius Telephum prædicabat, & testabatur amorem, quo eum prosequebatur. Horatius zelotypia captus studet eam a concepto rivalis sui amore avocare. Sed frustra. Donec ille Chloen in oculis ferens vicissim Lydiæ zelotypiam injecit. Hoc modo vetus amor mutuus redintegratus est. Vide Carmen 9. lib. 3. *Donec gratus* &c.

V. 1. Aliqui putant, hunc Telephum fuisse nomenclatorem Liviæ Augusti uxoris. Sed ille erat mancipium, quod inde in Augustum conjuravit. Hic vero est pulcher adolescens, doctus, & virtute præditus.

V. 2. *Roseam*, i. pulchram, fulgidam. *cerea*. Servius explicat candida, tanquam cerea, aut *brachia candida*. Sed videtur hæc vox significare *bene tornata*. τὸ *Telephi* iteratum concinne.

V. 4. bile non ferenda, non concoquenda.

V. 5. Tria præcipua amoris signa & doloris: animi perturbatio, coloris mutatio, & lacrymæ. imitatus est locum egregium Sapphonis poetriæ, quem Catullus vertit.

V. 7. *Furtim*, i. clam, quem non possim retinere. *arguens*, ostendens.

Digitized by Google

Rixæ; ſive puer furens
Impreſſit memorem dente labris notam.
Non, ſi me ſatis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Lædentem oſcula, quæ Venus
Quanta parte ſui nectaris imbuit!
Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

V. 12. *Memorem*, paſſive. ſignum memorabile, quod diu permanet.
V. 15. *Oſcula*, i. labra, ora.
V. 20. Subauditur ſe; ordo eſt: *quorum amor nunquam divulſus malis querimoniis* &c.

Digitized by Google

CARMEN XV.

AD REMPUBLICAM.

Per continuam translationem a mari ductam imminentes Romanorum calamitates denunciat, si Octavianum patiantur ab Reip. gubernaculis discedere.

O Navis, referent in mare te novi Flu-

* Chabotius putat cum aliis Poetam dissuadere Bruto bellum renovandum adversus Augustum, victo jam exercitu, cui præfuerat Cassius, qui sibi vitam eripuerat, & hanc Odem ceciniſſe, cum jam captus in castris Augusti servabatur. Sed hæc absurda sunt, & historiæ repugnant. Bentlejus, Tanaquillus, Dacierius Muretum secuti hanc Odem historico, & naturali sensu accipiunt, ajuntque monstro simile esse Carmen, quod totum allegoricum sit. Sanado, cum Rosello, & Massono ait hos illustres interpretes cum Quintiliano pugnare, qui hanc Odem profert tanquam perfectæ allegoriæ exemplar. Et sane, antequam pugna Actiaca iniretur, in ancipiti versabantur Romanorum animi, utri parti fortuna favere statuerit. Ex præcedentibus bellis civilibus magna Reip. vulnera inflicta, multa prælia patrata, quibus Antonii classis non leve damnum perpessa est. Metus utrinque ingens. Dehortatur igitur classem vel Antonii, vel Octavii a suscipiendo certamine. Ex versibus extremis, ut solet, Horatius mentem hanc suam expromit. Si ita se res habet, Carmen confectum est anno 723. Deinde cum hæc tantaque mala animo pervolveret Horatius facile finxit Remp. utrique illi Classi, atque adeo navi esse persimilem; quæ omnibus incommodis obnoxia erat; probe autem videbat male habitam hanc navem, & Remp. vexatam intestinis bellis apte una convenire. Sanado ingenioſe ut sæpe probare vult perpetua hac allegoria usum Horatium palam Romanis facere voluisse, maxime interesse, Octavianum ad Reip. clavum perpetuo sedere; & hoc Carmen lucubrasse eo temporis spatio, quod inter duos illos eventus nempe inter capiendum, captumque consilium interceſſit, nempe post annum 725. (v. Ind. *Octavius*.) *

V. 1. * Undæ maris perpetuo moventur. mirabiliter expli-

Digitized by Google

Fluctus. O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemunt, ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor? non tibi sunt integra lintea:
Non Di, quos iterum pressa voces malo:

plicantur motus bellorum civilium. Composita Tarenti pax breve tempus duravit. Exortæ novæ discordiæ Octavium inter & Antonium: en *novi fluctus*, i. nova mala, nova bella. Sanado ait intelligi nova bella post pugnam Actiacam, si Augustus a Reip. clavo recedat.

V. 2. Sanado sic ancipites Patrum animos significat, quorum alii Reip. statum, alii unius viri regimen votis poscebant. Sed tranquillitas rerum unius viri potestatem postulabat.

V. 3. τὸ *vides* non refertur ad *gemunt*. *gemunt* concordat cum *saucius*.

V. 6. Tuus malus jam fractus est, antennæ tuæ cedunt ventis, & furori undarum rudentibus orba resistere non potes.

V. 7. Rosellus putat τὸ *Carinæ* esse dandi casum, qui pendeat a τῷ *imperiosius*.

V. 8. Indicat fastum, & ambitionem Magnatum propter studia partium. Sanado vero putat indicari ambitionem eorum, qui Remp. evertissent mutata τῆς πολιτείας ratione.

V. 10. Bentlejus intelligit Castorem & Pollucem, sed cur hi dii non amplius favere velint huic miseræ navi? Deorum statuæ collocabantur in puppi navis. Intelligitur Octavius, aut dii tutelares Romæ, qui illi Principi obsecuti fuissent, & iniquo animo tulissent ab eo imperium deponi. Dacierius quoque inopinato hæc accipit allegorice. hactenus Sanado. Sed nihil obstat, cur deos accipias Pollucem, Castorem, & Neptunum, & Jovem, qui omnes irati sunt Reip. propter ambitiosorum virorum fastum, & scelera.

Digitized by Google

Quamvis Pontica pinus
Sylvæ filia nobilis,
Jactes & genus, & nomen inutile.
Nil pictis timidus Navita puppibus
Fidit. tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper solicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas.

V. 11. Quasi dicat: quid tibi prodest, navis, te ex lignis Ponticis constructam esse? fortasse respicit classem Antonii, cujus partes multi Reges amplexi sunt. allegorice vero sic, licet adeo fortis videaris Resp., ut numquam petitura sis. Sanado vero: quamvis Resp. invicta videatur iis, qui populare regimen propugnant, tamen imminentia mala evitare non poterit.

V. 12. *Sylvæ filia*. poetice dictum.

V. 14. Puppes navium picturis decorabantur, aliisque ornamentis, quæ latini vocant *apluſtria*. luxus & magnificentia in Rep. perinde sunt, ac in navi picturæ, & statuæ. Illa vana decora nec navem, nec Remp. incolumem servare possunt.

V. 17. *Tædium solicitum*, i. tædium & solicitudo. solicitudine & tædio afficiebatur Horatius propter diuturnas Antonii & Octavii dissensiones. Bis pax composita fuit Brundusii; sed frustra. Uter victor futurus fuerit, in ancipiti erat positum. *nunc desiderium*, & *cura*, i. desiderium solicitum, quo afficiebatur Horatius, postquam audivit multas copias mari periisse in præliis, quæ pugnæ Actiacæ præcesserunt. Sanado vero sic: angebatur Horatius solicitudine, quascumque partes sequeretur. Sub Bruto tædio capiebatur, labores bellici, ducum discordia, Tribunorum insciția, copiarum imbecillitas ei animum despondebant. Octavium certiorem facere vult hujusce soliciti sui tædii, dum sub Bruto merebat, Octaviani vero partes amplexus, dulcique ejus imperio delectatus ea commoda desiderabat, quorum jacturam Resp. factura erat, utpote quæ belli civilis periculis se se ultro objectaret. Sed monitum te volo, Sanado, desiderari quidem bona amissa, non autem præsentia, quorum jactura metuenda sit.

V. 19. Ex omnibus fere regionibus copiæ confluebant ad Clas-

Digitized by Google

Classes Antonii, & Octavii. Incertum erat, quo mari certandum fuerit. Horatius hortatur navem, ut vitet Cycladas in mari Ægæo satis procelloso. Non alio tempore in mari vel Jonio, vel Ægæo majus periculum Reip. immiuuit. Sanado vero ait: ex his verbis colligi, futurum fuisse, ut Resp. metu angeretur civilis belli, si Octavius a summo rerum principatu abiret, & ex τῷ *nitentes* significari spes illas magnas, quarum fulgore perstringebantur aliquorum Patrum animi. nimis subtiliter, ut arbitror. *

CARMEN XVI.

Propositio Paridis exemplo Antonium a Cleopatræ amoribus & a bello civili deterret.

PAstor cum traheret per freta navibus

 Idæis

Hoc Carmen omni ex parte perfectum est. Rerum inventio, & dispositio mirifica, stilus sublimis, Poeticus furor prope divinus. (v. Ind. *M. Antonius*.) Poeta nobili, poetica, & ingeniosa allegoria Antonio impios conatus exprobrat; proponit Paridis exemplum, qui maxime M. Antonio congruit. Multis de causis hoc Carmen putatur scriptum anno 722. In antiquo codice manu scripto legitur hæc Carminis inscriptio: *Ad Alexandrum Paridem, sub cujus persona exponit imminentia bella*. Helena perinde est atque Cleopatra. Antonius & Paris mollitie fluentes, & amore externæ principis feminæ insanientes, hic a Græcia in Phrygiam, ille ab Ægypto in Italiam abduxit suam. Uterque causa fuit belli in Patriam. Diomedes quærit Paridem ad confligendum, Octavius Antonii Classem, ut eam funderet. Paris impetum hostis sustinere non potest, & fugit, Antonius similiter. Poeta Nerei personam gerens videtur voluisse Antonium a tanto scelere deterrere. (v. Ind. *Octavius*.) Allegorico sensu usus est, ne tot illustres viros Antonii Amicos irritaret, Octavius in odium civium incurrit, quod ingentem pecuniam vectigalem in alendos exercitus insumebat. Ergo periculosum erat aperte loqui. Sciendum insuper est, allegorias non omni ex parte cum naturali sensu concinere. Aliqua adjuncta tota sunt allegoriæ. In Carmine *Ibis Liburnis* Horatius liquido vota sua expromit, ac sententiam aperit Mæcenati contra Antonium arma laturo, quia illud in publicum edere minime statuerat, sed istud in lucem emittere volebat.

V. 1. Paris inter Pastores in monte Ida educatus est. M. An-

Digitized by Google

Idæis Helenam perfidus hoſpitam;
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Græcia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor! quanta moves funera Dardanæ
Genti! jam galeam Pallas & ægida,
Curruſque & rabiem parat.
Nequicquam Veneris præſidio ferox,
Pectes cæſariem: grataque feminis
Imbelli cythara carmina divides.

Ne-

M. Antonius Sacerdos fuit Dei Paſtorum, cum eſſet in numero Lupercalium. Uterque perfidus, ſed diverſo modo, Paris rapuit uxorem Regi ſponſo, a quo exceptus fuerat comiter; Antonius repudiat Octaviam, ut Reginam Ægyptiam uxorem ducat. *traheret*, indicat vim illatam hoſpitæ.

V. 3. Venti coacti ſunt ingratiis ſuis filere; vel *tò ingrato* refertur ad Paridem. *Obruit otio*: prima vox denotat præcedentem animi agitationem, altera tranquillitatem, illa Nerei impetum, hæc ventorum docilitatem.

V. 7. (V. Ind. *Aulis*) *nuptias* improprie vocat Paridis & Helenæ adulterium. Græcia refert Romam & Italiam pro Octavia in Antonium conjuratas.

V. 11. Octavia plura dedit ſapientiæ ſuæ documenta Triumviratus tempore; nunc accendit bellum. Hi quatuor verſus imaginum ſplendore, & numerorum concentu admirandi ſunt.

V. 13. Venus eſt Cleopatra, cujus aula mollitie diffluebat.

V. 15. Nequicquam in cœtu feminarum dulces verſus fundes. Concentuum voluptas in audientium aures diditur, nec tamen ipſa in partes diſtrahitur; ſuavis vox muſico inſtrumento apte conſona æque plurimos titillat, qui concentibus interſunt. Plutarchus ait de Antonio: „ Quum uni„verſus orbis gemitibus, lamentiſque creparet, jam per

„ mul-

Nequicquam thalamo graves
Haſtas, & calami ſpicula Gnoſſii
Vitabis, ſtrepitumque & celerem ſequi
Ajacem: tamen heu ſerus adulteros
Crines pulvere collines.
Non Laertiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Neſtora reſpicis?
Urgent impavidi te Salaminius
Teucerque, & Sthenelus ſciens
Pugnæ: ſive opus eſt imperitare equis,
Non auriga piger. Merionem quoque
Noſces, ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre:
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Viſum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ,
Iracunda diem proferet Ilio,

„ multos dies inſula (Samus) tibiis & cantu perſonabat, „ ubi referta erant theatra certantibus Choris .... hinc „ navigavit Athenas, ubi de integro effudit ſe in ludos, & „ ſpectacula „.

V. 16. *Gravis* pro *gravis*. Fruſtra tu mollitiei ſinu negligenter ſtratus, & ab armis remotus quæres aſilum, quo penetrare nequeant armorum ſtrepitus, & Ajacis inſequentis impetus. Ajax Telamonis filius, Sthenelus Capanei, Diomedes Tydei, Meryo Idomenei armiger. Hi græci viri Octavium, Agrippam, Mæcenatem, Meſſalam, Arruncium, Larium, Taurum, alioſque repræſentant.

V. 19. *Adulteros*, i. crines Paridis adulteri. audax tranſlatio. tua cæſaries pulvere & ſanguine inquinabitur.

V. 22. Hi quatuor verſus, totidemque ſequentes vividiſſimam exhibent picturam.

V. 26. *Non piger*, i. ſtrenuus. Tydeus, & Diomedes referunt J. Cæſarem & Octavium.

V. 31. Qui pulmonum anguſtia laborant, erigere ſolent caput ad libere ducendum ſpiritum.

V. 33. Achillis ira repræſentat Pollionis offenſionem (v. Ind. *Pollio*.)

Digitized by Google

Matroniſque Phrygum claſſis Achillei.
Poſt certas hyemes uret Achaicus
Ignis Pergameas domos.

CARMEN XVII.

AD TYNDARIDEM.

Gratidiam Tyndaridis matrem Horatius maledicis verſibus laceraverat. Offenſum Filiæ animum lenire aggreditur, iracundiæ impotentiam maxime cauſando.

O Matre pulchra Filia pulchrior,
Quem criminoſis cumque voles modum
Pones iambis, ſive flamma,
Sive mari libet Adriano,
Non liber æque, non adytis quatit
Mentem Sacerdotum incola Pythius,

Non

Horatius contumelias in Gratidiam conjecerat. Latet, utrum ingenue eum pœnituerit. Certe ejus palinodia valde ambigua videtur. leviter rem attingit. Declarat ſolummodo ſe in eam ſatiricos verſus ſcripſiſſe, extremo Carmine pollicetur, ſe poſthac Satiram elogio mutaturum. Magna pars Carminis in loco communi verſatur, nempe cauſam, effectuſque iræ ediſſerit. Fortaſſe igitur Poeta non omnino ſententiam verterat, aut ſperaverat ſe facile Amicam placaturum. Verſus bene tornati ſunt: locus ille de ira magna verborum ſententiarumque vi, ac nobilitate pertractatur. a verſu 23. conjici poteſt, Horatium ætate provectum hæc ceciniſſe, ſed nos præterit, quo anno. dixit, ſe juvenem fuiſſe, cum Satyram contra Gratidiam protulit.

V. 2. Pœnam impones. *flamma*, *mari*. h. e. jaciendo iambos in ignem, in aquam.

V. 5. Significat Tyndaridi, ſe id feciſſe iræ æſtu percitum, ſe fuiſſe correptum violenta phrenitide, qua obſiſtendi facultas ei prorſus erepta fuerat, & nullus rationi locus relictus.

Digitized by Google

Non Dindymene, non acuta
Si geminant Corybantes æra,
Triſtes ut iræ; quas neque Noricus
Deterret enſis, nec mare naufragum,
Nec ſævus ignis, nec tremendo
Jupiter igne ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactam particulam undique
Deſectam, & inſani Leonis
Vim ſtomacho adpoſuiſſe noſtro.
Iræ Thyeſten exitio gravi
Stravere, & altis urbibus ultimæ
Stetere cauſæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.
Compeſce mentem. Me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventa
Fervor, & in celeres iambos
Miſit furentem. Nunc ego mitibus
Mutare quæro triſtia. dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

CAR-

V. 8. Repercutere æra, æra æribus pulſare, ut ait Lucretius. ſingularis dicendi modus & ἐνεργικὸς, qui mentem furore abripit & alienat.

V. 12. *Tumultu*, i. tonitru, fulmime, procella.

V. 14. *Coactam*, i. collectam, congeſtam.

V. 15. Ira a corde Leonis in cor hominis irrepens inſolita mala producere debebat. callide iram ſuam excuſat.

V. 18. *Ultimæ*, i. potiores, præcipuæ.

V. 24. Iambus fluxu prærapido fluit.

V. 27. *Recantatis opprobriis*. *re* in compoſitione modo accipitur pro *iterum* modo pro *contra*. hic pro *contra*. Roſellus vertit: cum tu retuliſſes par pari, injuriam pro injuria.

Digitized by Google

CARMEN XVIII.

Tyndaridi Horatius in Sabina villa certum adversus Cyri proterviam offert perfugium.

VElox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus; & igneam
Defendit æstatem capellis
Usque meis, pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes, & thyma deviæ
Olentis uxores mariti:
Nec virides metuunt colubras;
Nec martiales hæduleæ lupos:
Utcumque dulci, Tyndari, fistula
Valles, & Usticæ cubantis
Lævia personuere saxa.

Di

Prodit Tyndaris tanquam puella prudens, experrecto ingenio prædita, & Poeseos amans. Olim impudentes cujusdam Cyri dissoluti vinolenti, & efferi ausus perpessa est. Horatius eam in agrum Sabinum invitat, ut se hujusmodi injuriis subducat. Gratum debebat esse Tyndaridi hoc Carmen non modo propter miram naturæ imitationem, elegantiam, concinnitatemque imaginum, & auream eruditionis supellectilem, verum etiam, quod ipsamet ob acre in re litteraria, qua ceteris feminis antistabat, judicium laudabatur. Nulla Matris Gratidiæ mentio fit, fortasse obierat. Hoc igitur unum est ex postremis Horatii Carminibus.

V. 2. Pro *Lycæum Lucretili*, Hypallage.

V. 3. Arcet.

V. 5. Quia tutum est, iccirco impune quærunt. Omnem lapidem movet, ut Tyndaridem ad illum recessum alliciat. Post injurias acceptas proponendum erat tutum perfugium. Id multifariam repræsentat.

V. 7. Capræ. periphrasis poetica.

V. 11. Tò *cubantis* indicat facilem collis declivitatem.

V. 12 Ordo est. *hic copia opulenta bonorum manebit tibi ad plenum cornu benigno, hic vitabis æstus canicularis*, &c.

Digitized by Google

Di me tuentur: Dis pietas mea,
Et Musa cordi est, hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reducta valle, caniculæ
Vitabis æstus: & fide Teia
Dices laborantes in uno
Penelopem, vitreamque Circen.
Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra: nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Prælia; nec metues protervum
Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes injiciat manus,
Et scindat hærentem coronam
Crinibus, immeritamque vestem.

CAR-

V. 19. Indicat aliquod carmen de Penelope & Circe, quod vulgo circumferebatur, vel quod a Tyndaride lucubratum fuerat.

V. 20. *Vitream*, i. fragilem, vel forma præstantem.

V. 21. Laudat vinum Lesbium tanquam innocuum, atque modice potandum esse, nec timendas Tyndaridi illas injurias, quas Romæ sustinuit, præterea Martem cum Baccho non congressurum. His dictis vel significat, se ætate provectum, vel simulat se virum continentem ad abigendos Tyndaridis timores.

V. 23. *Thyoneus* idem sonat ac *furiosus*, vel est a Thyone, quo nomine vocata est Semele, cum cœlum ascendere debuit, teste Apollodoro.

V. 25. Cyrus suspectam habere poterat Tyndaridem propter hunc recessum, ideoque quidpiam moliri, quod puellæ maxime obesset. Poeta vero scite eam hortatur, ut tiruorem abjiciat, in agrum Sabinum confugiens, ubi in tuto futura feros Cyri conatus eludet. Nos latet, quis homo sit iste Cyrus. Carmine 34. hujus libri Poeta vocat eum *turpem*, & *deformem*; hic veto *protervum*, i. efferum, & utrobique *luxuriosum*, *male*, i. valde.

Digitized by Google

CARMEN XIX.

AD VARUM.

Miseram esse abstemiorum vitam, ebriosorum miseriorem.

NUllam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis, ac mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus proposuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt solicitudines.
Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque decens Venus?
At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
Cen-

Modicum vini usum Poeta commendat, sed (animadverte) dum agere aggreditur de malis, quæ ab immodico vino manant, repente κατὰ τὴν φαντασίαν efferveſcit, & perturbatam Poeseos rationem dityrambo simílem æmulatur. Hinc illi vividi spiritus, illa imaginum lumina, illæ figuris ornatæ dicendi formæ, stilus ille fractus, & errans. Hæc duo diversa indolis genera mirificam huic Carmini comparant speciem. Ex primo ad alterum transit non modo non repugnante, verum etiam plaudente Natura. Si hæc vidisset Scaliger, non vocasset insuavem hanc Odem. Fugit, quo anno compositum fuerit. Ille quoque, cui inscribitur, nondum nobis notus est. Fuit ne ille Quintilius Varus trium legionum dux, quæ in Germania cæsæ sunt, ut asserit Torrentius, an Quintilius Varus Poeta Virgilii consanguineus, ut ait Dacierius, quam levissima Servii auctoritate nixus? Quintilianus verba facit de quodam Lucio Varo Epicureo Cæsaris Amico. Fuit alter Varus, qui Cassii partes amplexus est, & Rhodiis præfuit ante prælium Philippense, qui fortasse cum publica venia usus fuisset, in villam Tiburtinam se contulit.

V. 2. (v. Ind. *Tiburnus*.)

V. 3. Lepidum est, a Baccho optionem fieri hominibus, utrum vinum bibere velint, an sibi expectare multa incommoda.

V. 7. Ne quis mediocritatis terminos bibendo transiliat, ut ait Rodilius, *modicus*, i. exiguus.

Digitized by Google

Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata: monet Sithoniis non levis Evius:
Quum fas atque nefas exiguo fine Libidinum
Diſcernunt avidi. Non ego te, candide Baſſareu,
Invitum quatiam, nec variis obſita frondibus
Sub dium rapiam. Sæva tene cum Berecynthio
Cornu tympana, quæ ſubſequitur cæcus amor ſui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

V. 9. Jupiter bellum cum Gigantibus gerens animos addebat Baccho dicens *Euge Fili*. Hinc *Evohe*, & nomen Baccharum, *Evias*, & verbum *evare*, cujus reſtat participium, *evantes*, i. furore perciti.

V. 11. Quia ſunt avidi, i. inſatiabiles, immoderati, ideo fas atque nefas diſcernunt exiguo fine libidinum, nempe in vitiis boni & mali fines ſuis cupiditatibus metiebantur, parum intereſſe putabant inter bonum, & malum. *non ego te*, &c. vivida hæc & inopina ſententiæ vis miranda eſt. Promittit Baccho ſe eum modum, quem docet alios, adhibiturum, & obſecrat, ne ſe vitiis addicat, quibus obnoxios facit eos, qui ſacrilegi tot tantaque ejus beneficia violant.

V. 12. *Quatere* idem eſt ac *commovere ſacra*, ut in Virgilio.

V. 13. In publicum proferam per vim. Sacra Bacchi in arculis recondita frondibus, hedera, pampinis tegebantur.

V. 15. Τὸ *gloria* in malam partem accipitur.

V. 16. Figura ὀξυμώρου. fidelitas effuſa in prodendis arcanis non eſt amplius fidelitas. alibi dixit, *perjura fides*.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XX.

A Glycera se ad Veneris militiam revocari.

MAter sæva Cupidinum,
Thebanæque jubent me Semeles puer,
Et lascíva licentia
Finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius:
Urit grata protervitas,
Et vultus nimium lubricus adspici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit: nec patitur Scythas,
Aut versis animosum equis
Parthum dicere, nec quæ nihil attinent;
Hic

In primo Carmine lib. 4. Horatius asserit, se jamdiu amoribus vale dixisse, in hoc quod ejusdem est metri, & indolis affirmat, se ab amoribus longe abesse. Colligendum est igitur, jam senescere cœpisse Poetam, quum Glyceram deperiit. Sed abrasa hac animi affectione, aliquandiu amore caruisse, & decimum 50. annos agentem amore Ligurini fuisse captum, licet Venus ei amplius imperitare non posse videretur. Hoc igitur Carmen tribus vel quatuor annis antequam libri quarti primum, confectum est.

V. 1. Versus hic pulcherrimus adeo Poetæ placuit, ut eum in primo lib. 4. Carmine iteraverit.

V. 7. h. e. jocosum ingenium & indoles. sunt quædam iræ, quidam animi corporisque motus grati, lepidi. Ira grata amoris redintegrationem parit.

V. 8. Græce. nempe lubricus adspectu. Glycera est marmore Pario candidior, & sicut non ita facile marmorea superficie pedes moveas, quin fallente vestigio delabaris, ita consistere nequeas, cum ad Glyceram accedas.

V. 9. Lautus & ἐναργικὸς dicendi modus. Anacreontem imitatus est, sicut etiam infra cum dixit, *nec patitur* &c.

Digitized by Google

Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite, thuraque
Bimi cum patera meri.
Mactata veniet lenior hostia.

V. 13. *Vivum*, i. viridem, quo cespite altaria struebantur. Verbenæ appellabantur, omnes herbæ, quæ sacris inserviebant.

V. 16. Nec Græci nec Romani unquam sanguine adsperserunt Veneris altaria in sacris faciendis. *Hostia* hoc loco significat sacrificium. *mactare* proprie est adolere, augere; cum quidquid offertur, in ignem conjicitur, vel quum mola capiti victimæ imponitur. *veniet*, i. erit. *lenior* refertur ad Venerem, quam placare nititur illo sacrificio. Quamquam, ut docet *Spanheim*, Veneri mactabantur capræ, & juvencæ.

CARMEN XXI.

AD MÆCENATEM.

Mæcenati, qui se Horatio convivam obtulerat, innuit Poeta, deteriore illum vino excipiendum nisi domo generosum adtulerit.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, græca quod ego ipse testa

Con-

Hoc est breve Epistolium vividi ingenii vim & elegantiam præseferens. Videtur ex tempore exaratum fuisse, & post carmen *Car me querelis*.

V. 1. Sabinia vile vinum ferebat. Videtur Horatius tunc rati fuisse, & Mæcenas notum illi fecisse, se peregre illuc diversurum paulisper, ut convivio se reficeret. Nam si Romæ fuisset Poeta, facile a suis amicis melius vinum impetrasset. Ait: modice potabis propter vini vilitatem, quod te cogit esse sobrium. ergo *tò modicis cantharis* refertur ad *vile* Sabinum. Tu parum bibes in magnis poculis. Cantharus enim est ingens poculum, larga cotyla duabus ansis instructa, pede carens.

V. 2. *Testa*. antiqui vinum vasis fictilibus a Græcia in Italiam invectis condebant.

Digitized by Google

Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,
Clare Mæcenas eques: ut paterni
Fluminis ripæ, simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubam, & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam; mea nec Falernæ
Temperant vites, neque Formiani
Pocula Colles.

CAR-

V. 13. *Levi* a *linere*. Vasorum vino impletorum ora claudebantur pice, cera, gummi, aut gypso, ubi signabantur nomina Consulum, aliorumque. Mæcenas, cum plausibus exceptus fuisset eo tempore in Theatro Pompei, inter Tiberim & montem Quirinalem sito, Poeta operæ pretium duxit diei tam felicis notam ore suarum testarum imprimere. Hoc tam inexpectatum adjunctum arridere debuerat Mæcenati. Hic locus eo splendidior est, quo simplicius superiori sententiæ additur. Id accidit eidem viro jam superato volucri fato. O. 11. 27.

V. 5. Magnifice vocat Tiberim majorum Mæcenatis flumen, quod dictum est a Tiberino Etruscorum rege. Apte blanditur Patrono suo, & leniter.

V. 8. Echo.

V. 10. *Bibes* apud me, an apud te? Mentem suam exerere noluit Poeta, nec sine causa. interpretes explicant *apud te*. Credibile est, Mæcenatem eorum verborum sensum accepisse aliter, ac revera poterat. est mihi vile vinum, inquit, tu semper bonum bibere poteris: sed scito bonum mihi deesse: perinde est ac si dicat: Si tu domi meæ vinum optimum bibere vis, fac tecum feras. subauditur igitur *apud me*. * in ep. 5. Torquatum monet, ut ferat secum vinum melius ad cœnam; & carmine 12. libri 4. Virgilium ad convivium invitans monet aperte, ut nardum ferat, sed non audet a Mæcenate Patrono suo vinum apertis verbis poscere. *

Digitized by Google

CARMEN XXII.

In Dianam & Apollinem Hymnus.

Dianam teneræ dicite Virgines,
Intonſum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamque Supremo
Dilectam penitus Jovi.
Vos lætam fluviis, & nemorum coma,
Quæcumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erimanthi
Sylvis, aut viridis Gragi.
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Inſignemque pharetra,
Fraternaque humerum lyra.
Hæc bellum lacrymoſum, hic miſeram famem,
Peſtemque a populo & Principe Cæſare in

Sanado hoc Carmen eſſe tertiam Poematis ſecularis partem teſtatur, & die ſecunda recitatum fuiſſe in Capitolio, & differre a ſecunda, & quarta. ſimpliciter fluit; ſtilus tenuis, ſenſus campeſtres. Conſentiunt aliqui interpretes, dum diſſentire videntur. Alii dicunt hoc Carmen ad ludos ſeculares pertinere, alii ad Apollinares. Verum hi duo ludi unum, idemque feſtum conſtituebant. Primus verſus eſt trigeſimus tertius Carminis Secularis a Sanadone ordinati.

V. 3. Vel 35. Mancinellius putavit, in Carmine Seculari nullum verbum fieri de Latona. Sed Macrobius & Zoſimus aperte teſtantur cum T. Livio.

V. 7. Vel 39. Erimanthus & Algidus montes in Arcadia, Gragus in Lycia.

V. 12. Vel 44. (V. ind. *Mercurius*.)

V. 13. Vel 45 * poſtremi hi quatuor verſus indicant, hoc Carmen ex iis unum eſſe, quibus illa Numina in publicis calamitatibus invocabantur, orabanturque, ut mala omnia averterent, cum populus mœrens ad templa Deorum confluebat, & vota fundebat. Hinc ſupplicare ad omnia pulvinaria Deorum, ſi ita res habet, errat Sanado *.

Digitized by Google

Perſas, atque Britannos
Veſtra motus aget prece. 15

V. 15. Vel 47. nempe procul ab Italia. Hæ duæ gentes indicant duas extremas imperii Romani partes, ſcilicet Orientem & Occidentem.

CARMEN XXIII.

AD ARISTIUM FUSCUM.

Se probitatis conſcientia & Lalages patrocinio munitum nihil uſquam timere.

INteger vitæ ſceleriſque purus
Non

Amicus erat Poeta Ariſtii Fuſci, qui Lalagen efflictim amabat, & ducere uxorem volebat. Olim hujuſce Puellæ laudes meditans inopinato interius agri Sabini nemus penetravit. Accidit, ut Lupus obvius Lalagis & recti itineris ei memoriam abſtulerit. periculo tamen ille evaſit. Oblata hac conficiendi Carminis occaſione diſcrimen vitæ exaggerat, quod inconſulto obiverat, ut major fiat laudum acceſſio Lalagi, cui ſuam ſalutem ex parte debendam eſſe ait. elocutio elegans eſt, verſus numeroſi, imagines vividæ. Verum hoc Argumentum hilariori, ac ſuaviori ratione pertractari poterat. Hactenus Sanado. Alii etiam arguunt Poetam de ſtilo partim ſublimi, partim tenui, & ad finem Carminis prope vulgari. * Ego vero 1. ex argumento, 2. ex Carminis ratione, 3. ex ingenio atque indole Ariſtii & Horatii colligo, hoc Carmen totum jocoſum eſſe, & lepidum, & affabre factum. Quoad primam partem, ait: integer vitæ omnia vel maxima pericula effugit, ſed lupus fugit me jam canentem Lalagen, ergo integritas mea, & Lalages Numen me tutum facit etiam ſub zona torrida & glaciali. Nonne caſu evenire poterat, ut Lupus fugerit Horatium? nonne potius ipſe Horatius elapſus fuerit aſpectu lupi? Quoad alteram: primis octo verſibus exaggerat pericula quibus evadit homo integer, & ſublimi ſtilo, ac magnifico ſententias effert. Deinde aliis octo verſibus lupi hujus fugitivi granditatem, & feritatem, ita ut de induſtria

Digitized by Google

Non eget Mauris jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.
Sive per Syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Nempe me sylva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & ultra

stria videatur risum movere; postea reliquis sex versibus concludit, se libenter victurum sub utraque zona, & duobus postremis omnino diversis ob stillum lyra canit Lalagen, saltanti similis. Ex hisce hyberbolicis sententiis, ex improvisa illa stili mutatione quis non videt Poetam jocari voluisse? Quoad tertiam: Aristius bonus vir erat, & religioni nimium deditus, ut apparet ex Sat. 9 & 10. lib. 1. Fortasse ille Horatium sæpe antea carpsit, velut dissolutum, & minatus est iram & ultionem deorum, ni mores conformaret. Idcirco Poeta jocabundus, & serio agere simulans probat se virum integrum vitæ esse, quia lupus ab suo conspectu fugit, quasi vero id vel impio homini accidere non potuerit. Itaque sucum facit Aristio, qui, si Epicureus fuisset, rem casui tribuisset, sicut ex animi sui sententia Poeta tribuebat. Notum est, quam lepidum sit Poetæ ingenium, & quantopere caverit, ne animum suum proderet. Aristius fortasse dixerit olim, justum virum Deorum præsidio, & vitæ suæ integritate ubique tutum esse. Horatius contra omnia fortunæ deberi censebat, sed mentem suam celat, quam quidem cum cæteris interpretibus ne Dacierius quidem & Sanado assecuti sunt. Dicendum igitur hoc Carmen lepidissimum esse & pulcherrimum, & maxime respondere rei propositæ. *

V. 1. *Integer* ratione vitæ, *purus* ab labe sceleris. Elypsis. en prima causa, cui simulat Poeta se salutem suam tribuere, nempe morum integritas.

V. 2. alibi *Maura unda*, *angues Mauri* &c.

V. 7. *Fabulosus*, vel quia ab aliis in Media, ab aliis in Lydia collocatur, ab aliis in mare labi dicitur: vel quia Romæ fama erat, reperiri in hoc flumine gemmas plurimas, quod fabulæ affine erat; vel quia Poetæ auctores fabulæ tam vana sparserunt.

V. 9. Fortasse indicat nemus Vacunæ, quod in alterutram Digentiæ ripam extendebatur.

Digitized by Google

Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem:
Quale portentum neque militaris
Daunius latis alit æſculetis,
Nec Jubæ tellus generat, Leonum
Arida nutrix.
Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor æſtiva recreatur aura:
Quod latus mundi nebulæ, maluſque
Jupiter urget.
Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

V. 11. Dicendi modus elegans, poeticus, figuratus.
V. 14. Appulia ſtrenuos milites ſuppeditabat.
V. 17. Hoc & ſequentibus quinque verſibus zonam glacialem & torridam graphice deſcribit.
V. 23. Æſtu amoris percitus cantillare ac ſaltare videtur, ut numeri indicant. fortaſſe Lalages amorem augere in Ariſtio voluit per zelotypiam, ut nuptiæ citius celebrarentur.

CARMEN XXIV.

AD CHLOEN.

Non eſſe quod viriles complexus viro matura extimeſcat.

VItas hinnuleo me ſimilis, Chloe,
Quærenti pavidam montibus aviis
Ma-

Hoc Carmen aliquanto ante 9 lib. 3, & multo ante 25 ejuſdem libri exaratum eſt. elegans eſt, & dulce.
V. 1. Imitatus eſt Anacreontem, atque adeo ſuperavit, mira hæret huic ſententiæ ſuavitas, & ſimplicitas. Verſuum ſtructura mirabilem efficit concentum.
V. 2. *Pavidam* vel natura, vel quia timet, ſe amiſiſſe hinnuleum: quot verba, tot imagines poeticæ.

Digitized by Google

Matrem, non ſine vano
Aurarum & ſyluæ metu.
Nam ſeu mobilibus Veris inhorruit
Adventus foliis, ſeu virides rubum
Dimovere lacertae:
Et corde & genibus tremit.
Atqui non ego te, tigris ut aſpera,
Geteluſque leo, frangere perſequor.
Tandem deſine Matrem
Tempeſtiva viro ſequi.

V. 5. Cauſam affert, cur dixerit *non ſine vano*. *Inhorruit* active ſumendum: nempe horrorem incuſſit. Critici fere omnes teſtantur, hunc locum corruptum eſſe. Aliqui pro *Veris* ponunt *Vepris*, pro *adventus* ſcribunt *ad ventum*. Sed perperam. Nam *Vepris*, n. Sing. non reperitur. Senſus eſt: motu foliorum Ver, quod advenit, inhorruit.

V. 10. *Frangere*, i. trucidare.

V. 12. *Tempeſtiva*, i. matura.

CARMEN XXV.

AD VIRGILIUM.

Monet ut Quintilii mortem æquo animo ferat.

QUis deſiderio ſit pudor, aut modus

Nonnulli ſunt, quorum mors nunquam ſatis deploranda eſt, ſed cum fatum hujuſmodi irrevocabile ſit, neceſſe eſt uti patientia. Sapientis eſt, ejus boni jacturæ acquieſcere, quod diuturnum eſſe nequit. Hæc & alia ſimilia Virgilium monet Horatius in communis Amici obitum, quæ poetico penicillo ita pingit, ut facile percipias, ingenium eſſe humani cordis internuncium. Totum Carmen eſt omni ex parte abſolutum. Stilus ſimplex, & facilis, verſuum numerus fluidus, aptuſque Elegiacæ triſtitiæ propter mixtos dactylis ſpondæos, & aurium terminatione jucundiſſimus. Sententiarum vis, teneritudo, & varietas admirabilis. Senſus animi, qui hic regnat, eſt pietas ingenui Amici. Omnia demum digna Horatio, & Virgilio. Inter omnes fere convenit, anno 730 ſcriptum fuiſſe.

V. 1. Callide & ſcite exorditur. Excuſantis ſpecie reapſe

Digitized by Google

Tam chari capitis? præcipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget? cui pudor & justitiæ soror
Incorrupta fides, nudaque Veritas,
Quando ullum inveniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
Sed frustra pius heu! non ita conditum
Poscis Quintilium Deos.

Quod

ipse arguit, exprobrat. Abstergere vult lacrymas Virgilii, tamen cum illo lugere incipit. Dolorem blande fovet Amici sui, priusquam ei medeatur; corroborat, priusquam infirmet. Videtur sibi contradicere: sed omnes sententiæ partes in unum tandem coalescunt, eodemque spectant. Hac una via depellere hominum animis ægritudines possumus. Opus est prius eorum sensibus sensim ac tractim subrepere, ut tutiorem, facilioremque iisdem aditum ad nostros aperiamus. Fortasse de illo Quintilio loquitur, quem in arte Poetica prædicat tanquam optimum Amicum, artisque Criticæ peritissimum. Non est hic P. Quintilius Varus, qui clade accepta in Germania sese occidit.

V. 6. Paucioribus verbis neminem laudaveris. Quintilius sincerus erat, & acri judicio pollens.

V. 9. *Flebilis* eodem sensu accipitur hic atque in Ode 2. lib. 4. *flebilis sponsæ*. Passive usurpatur. Multi boni extinctum illum plorant.

V. 11. Latinus dicendi modus sententiam apte involvit. Dolor enim irritandus non est; satis est eum percipi mente, & verbis subobscuris significari. Vita hominis est veluti res quædam commodata. Omnia bona, quæ sub manum sunt, ad certum tempus durant. Fruamur iis, usque dum possidemus, verum ne cadamus animo, neque frangamur, cum præscriptum possessionis tempus excessit. In hoc & præcedenti versu interpretando hallucinatus est ille Servius subreptitius, qui hunc Quintilium credidit esse Poetam; licet ne verbum quidem in Horatio; & τὸ *pius* significare consanguineum Virgilii, & autochthonem. Ex hoc Carmine illud tantum colligitur, nempe artissimam Virgilium inter & Quintilium necessitudinem intercessisse.

Digitized by Google

Quod si Treicio blandius Orpheo,
Auditam moderere arboribus fidem:
Non vanæ redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida
Non lenis precibus fata recludere
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum: sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

V. 13. Ingenioſe. Virgilius exemplo Orphei alio converſus non videt amplius mala ſua, ſed ea in Orpheo videt tanquam communia. Hoc modo Virgilii dolor paulatim mitigatur, qui velut manu ducitur ad ſpectandum id, quod generale eſt, ne ab exemplo ad priſtinum propriæ triſtitiæ ſtatum redeat.

V. 15. Ut ait Virgilius: *tenuem ſine corpore vitam: carentem ſub imagine formæ*. Illud phantaſma, hæc umbra, hæc corporis imago juxta Pythagoram a corpore & ab anima differebat. Horatius illius Philoſophi ſententiam hic amplectitur, quæ eadem ac Virgilii, ad quem ſcribebat, fuiſſe videbatur.

V. 17. Eo ferme momento temporis, quo quis moritur, Mercurius velut ſigillum ejus fato imprimit, & ad inferos umbram corpore egreſſam deducit. Nexus ſententiarum, & cujuslibet partis in hac Ode in rebus quidem ipſis reperitur, non in verbis.

CARMEN XXVI.

AD LYDIAM.

Inſultat ei, quod jam vetula a juvenculis contemnatur.

Parcius junctas quatiunt feneſtras
Ictibus crebris juvenes protervi,

Hoc Carmen ſcriptum fuit poſt 11 & 13 hujuſce libri, & poſt 9 tertii. Totum eſt Satirico ſale confertum.

V. 1. In Italia, ſicut etiam in Græcia juvenes, qui nocte viſere diſcupiebant ſuas Amicas, ferebant faces, vectes,

Nec tibi somnos adimunt, amatque
Janua limen:
Quæ prius multum faciles movebat
Cardines. audis minus & minus jam:
Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?
Invicem mœchos, anus, arrogantes
Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento;
Quum tibi flagrans amor, & libido,
Quæ solet matres furiare equorum,
Sæviet circa jecur ulcerosum,
Non sine questu:
Læta quod pubes hedera virenti

Gan-

ctes, arcus, & secures, ut ignem fenestris accenderent, & foribus, aut ut eas prosternerent, cum sibi clausas viderent.

V. 3. Janua semper urget limen, limini innititur, non recedit a limine, donec aperiatur.

V. 7. Exordium Carminis, quod Lydiæ amasii canebant ante fores, quas aperire nolebat. Consule Theocritum Idyl 3 & 23, & Horatium Carm. 10. lib. 3. *longas*, i. hiberni temporis. *Pereunte* propter amorem; vel quasi eunte per noctes longas ante fenestras tuas.

V. 9. *Mœchos*, i. amasios.

V. 10. Solo epipogio circumamicta flebis in parvo & angusto calle. Dacierius ita vertit: *en deshabillé*. Sed τὸ *levis* nusquam fortasse hoc sensu invenies. præterea anus *en deshabillé* stomachum moviisset juvenibus. τὸ *levis* igitur refertur ad animum.

V. 11. Borea. More grecorum; quibus ille ventus a Thracia spirabat.

V. 12. Tempore, quod inter extremum diem veteris lunæ, & primum novæ interest. Tunc Luna conjuncta soli obscuratur, usque dum paululum ab eo discedens falcata appareat.

V. 14. Ad furorem amoris impellere.

V. 15. Jecur apud Veteres cupiditatum sedes. *Ulcerosum*, i. amore, & zelotypia saucium.

V. 17. *Læta*, i. gestienti lætitia prope insaniens.

Digitized by Google

Gaudeat, pulla magis atque myrti:
Aridas frondes hyemis ſodali
Dedicet Hebro.

V. 18. *Magis* conjungitur cum *gaudeat*. Ait Lydiam vehementer dolituram fuiſſe eo quod adoleſcentes optaturi eſſent potius hederam viridem, & juvenem myrtum, & abjecturi aridas frondes. Alii putant, pullam myrtum eſſe veterem myrtum, & flacceſcentem. Heinſius τὸ *pulla* refert ad τὸ *hederæ*, ita legens: *gaudeat pulla magis atque. Myrti aridas* &c. Ita Horatius opponeret myrtum viridem flacceſcenti. Salmaſius ait, pullam myrtum eſſe juvenem myrtum, aitque Heinſium minime vidiſſe, a latinis dici *myrtus* de arbore, & *myrtum* de ejus fructu. Horatius igitur comparat anum foliis aridis jam decidentibus. Fortaſſe intendit animo coronas hederaceas, & myrtinas. Amantes cingebantur coronis, eaſque deponebant, quando amare ceſſabant.

V. 19. Hebrus vocatur ſodalis Hyemis, quia fere ſemper gelu ſtringitur.

V. 20. Coronæ flacceſcentes propter earum Amicarum ſenectutem, quarum gratia, & amore olim ſumtæ ſunt, dicandæ erant flumini glacie fere ſemper conſtricto.

CARMEN XXVII.

Se omni cura ſolutum ac metu Lamiæ laudes adornare.

MUſis Amicus triſtitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Por-

Divinare nemo unus poterit, qua ſuper re hoc Carmen Poeta compoſuerit. fortaſſe hoc eſt fragmentum Carminis. Ex quinto verſu facilius colligemus, quo datum tempore: Videtur conſtare ex inopino quodam, brevique Poeſeos furore. Verſus faciles ſunt, ſtilus tenuis, nitida elocutio.

V. 2. Apta & pulchra imago. Mare Ægæum naufragiis notum eſt. Nauta vitæ periculo perpetuo objicitur, voraginibus ſupernatat, nec longius a morte abeſt, quam quo craſſius eſt fragilis navis corpus. Poeta curas & timores alis ventorum deportandas curat, quia venti ſunt procellarum cauſa.

Digitized by Google

Portare ventis: queis ſub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tiridatem terreat, unice
Securus. O quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplei dulcis. Nil ſine te mei
Poſſunt honores. Hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio ſacrare plectro,
Teque, tuaſque decet Sorores.

V. 3. *Arctos* hic eſt Scythia, *gelida ora* Thracia.

V. 5. Poeta hoc Carmen ſcripſit, quo tempore Phraatis legati Romæ morabantur. Hoc negotium vehementer diſtinebat animos. Auguſtus rem detulit Senatui, qui contra Auguſto eamdem ſtatuit dirimendam. Quo terrore percelli debuerat Tiridates!

V. 6. Poſtulat Muſam novos modos ad laudandum Lamiam. Non bene cohæret τὸ *fontibus* cum τῷ *floribus*.

V. 7. *Apricos*. Suavius olentes, quod nati ſint in locis ſoli expoſitis. Vel flores ſuavitatem odorum ſpirantes vi æſtus ſolaris, in locis apricis magis quam in opacis.

V. 9. Muſa Pimpleis dicitur, a Pimplea monte, oppido & fonte in Macedonia.

V. 10. *Honores*, i. verſus, quos Poeta meditatur in laudando Lamia.

CARMEN XXVIII.

AD SODALES.

Rixas inter convivia prorſus eſſe intempeſtivas.

NAtis in uſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare Thracum eſt, tollite barbarum
Mo-

In Convivio, cui aſſidebat Horatius, Sodales jam vino madentes in iras, & jurgia incaleſcebant. Qui cordatiores erant procul dubio admonendo, obſecrando fruſtra obnixi ſunt, ut pacarent turbatos ceterorum animos. Id Poeta con-

Digitized by Google

Morem, verecundique Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino & lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat: impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.
Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiæ

Fra-

consecutus est proposita re satis lepida, vivida, & inopinata, quæ quidem, non ita multo post convivium, ibi hanc Odem suppeditavit. Unaquæque sententiæ pars ingenii veluti scintillantis index est. Spiritus & sensus diversi sunt, modo rigidi, modo jocosi, modo præceptis referti, semper tamen ita parce adhibiti, ut natura impediat, quominus arti diffidamus. Ad finem breve Satiræ fulgur emicat, quod in duo capita delabitur. Excitatur risus, illius feminæ damno, quæ nota adest; nomen divinando quæritur alterius, quæ abest incognita. In id intentis animis dilapsa omnis iis evanuit, & in furoris locum irrepsit hilaritas. * Putat Sanado hoc Carmen ex tempore compositum fuisse. Verum alienum semper hoc fuit ab Horatii mente, qui imo suos versus perpolire nunquam cessabat. *

V. 3. Vos sobrii.

V. 5. Species pro genere. vox est Persica, quæ securim Persicam significat.

V. 6. Ordo est. *immane est quantum Medus acinaces discrepat vino & lucernis*. prope infinito spatio dissident arma & convivia. quasi dicat, ridiculum esse, miscere furores bellicos voluptatibus convivii. *in impium* refertur ad Bacchum, cujus Numen videbatur lædi importunis clamoribus.

V. 8. Convivæ accumbebant lectis, lævæ manui caput, & pulvino cubitum innixum tenentes.

V. 9. Vini severitas, saliva, amarities perinde sunt; sonant enim vinum viribus præditum.

V. 10. Ignota est hæc Megilla, & ejus frater. Horatius dumtaxat ait, utrumque ex quadam Achajæ urbe oriundum esse in regione Locrorum, quæ est *Opus*, *antis*; sita erat prope sinum ejusdem nominis in freto Euripi, & patebat inter Græciæ continentem, & Euboeam insulam. Hic est Carminis contextus. Poeta tanquam alteram in scenam proferri jubet adolescentem, ut primæ finem faciat.

Digitized by Google

Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.
Ceſſat voluntas? non alia bibam
Mercede. Quæ te cumque domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus, ingenuoque ſemper
Amore peccas. Quidquid habes, age,
Depone tutis auribus, ah miſer,
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma!
Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum te triformi
Pegaſus expediat Chimæra.

CAR-

V. 11. Antithetis jocatur. τὸ *beatus* vel eſt felix in amore, vel is, qui dulce amaro miſtum ſentit amando.

V. 13. Id maxime Naturæ conſentit. Scite enim indicat animum illius græci juvenis attonitum, & ambagibus obvolutum, cui inopinata hujuſmodi res propoſita eſt. Poeta ita occaſionem arripuit arcanum ex ejus ore extorquendi. Niſi hoc fateris, ait, nunquam tibi obſequar. Sed iſte tuus amor tui generis ſplendori tenebras offundit. ſcito me in fide ſervanda eſſe religioſum, & nunquam ea, quæ meis auribus credideris, proditurum. Hoc ingenioſum repertum bene ceſſit. Megillæ frater ſui animi ſenſum expromſit. Horatius arcanum ſibi concreditum pectore condit, finemque imponit Carmini, monendo ea, quæ juveni utilitati, ſodalibus autem ſolatio eſſe debuerant.

V. 19. Fratri Megillæ declarat rei indignitatem, & ingens periculum, cui ſe imprudens objecerit.

V. 20. *Meliore*, i. tibi utiliore, honeſtiore.

V. 21. *Venenis*. magicarum herbarum ſuccis ad cujuſque potentiſſimi veneni vim irritam faciendam aptis. figurate loquitur, ut ſignificet, Fratrem Megillæ ingenti virtutis ope indigere, ut periculo elabatur.

Digitized by Google

CARMEN XXIX.

Instituto Nautam inter & Archytæ umbram Dialogo Pythagoreorum hæresim insectatur, & sepulturæ curam commemorat.

Nau. TE Maris & terræ, numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulve-

Pythagorei μετεμψυχώσεως propugnatores mortem minime reformidabant, & inferias tanquam superstitiosorum hominum somnia procul amandabant. Horatius ut hanc opinionem deridendam propinet, poetico de more se ad Philippi Macedonum Regis tempora revocat, & in scenam profert illustrem Pythagoreum Philosophum, qui ea ætate vivebat, quique naufragio periit. Animam ejus corpori infundit, & verba facientem inducit Nautæ naviganti, orantemque, ut postremis sepulturæ muneribus fungatur. * fortasse quemdam suæ ætatis virum Geometram, & Pythagoreum animo petit Horatius, sed cur nomen ejus silentio præterit, quo loco inest allegoriæ vis? an disputatio aliqua inter litteratos viros, Amicosque Horatii, ut solebat, habita Poetæ animum accendit ad hoc Carmen condendum? * Basterius putat agi de Bruti morte, & hoc sibi proposuisse Flaccum, ut ostenderet, Virtutem huic duci nihil profuisse. Sed quo ex loco Carminis colligi potest Bruti mors? Joannes Humelius censet, significari pestem post commissum apud Perusium & Brundusium certamen. Sed hoc commentitium est. Apud Brundusium nullum prælium initum, imo pax composita. Perusium obsidione cinctum est, plures senatores & equites cæsi, sed statim humati sunt, nullaque pestis tantam cædem consecuta est. Si de peste ageretur, Carmen adscribi posset anno 732, Conss. Claudio Marcello Esernino, & L. Aruncio Nepote, quo pestis & fames totam Italiam devastavit.

V. 2. * *Arichyta* pro *Archyta* ut *Cereritus* pro *Cerritus*. ita lego metri causa. sexcenta occurrunt in Poetis hujusmodi exempla *. Eorum manes, qui sepultura privati fuerunt, Stygium flumen trajicere vetabantur, donec quorumdam annorum spatio ripas peterravetint. * audacem hunc dicen-

Digitized by Google

Pulveris exigui prope littus parva Matinum
Munera: nec quicquam tibi prodeſt
Aerias tentaſſe domos, animoque rotundum
Percurriſſe polum morituro.
Arc. Occidit & Pelopis genitor, conviva Deorum,
Tithonuſque remotus in auras,
Et Jovis arcanis Minos admiſſus, habentque
Tartara Panthoidem, iterum orco
Demiſſum: quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora teſtatus, nihil ultra
Nervos, atque cutem morti conceſſerat atræ;
Nau. Judice te, non ſordidus auctor
Naturæ, verique. *Arch.* ſed omnes una manet nox
Et calcanda ſemel via lethi.
Dant alios furiæ torvo ſpectacula Marti: Exi-

dicendi modum *te cohibent munera* &c. multi cum Scaligero non intellexerunt. Senſus eſt. tu cogeris moras ducere in ripa percurrenda defectu pulveris exigui, quo ſepeliaris.

V. 7. Dacierius opinatur, ſignificari Tantalum Regem Corinthi, qui deorum convivio accubuit. errat: *conviva* active accipiendum.

V. 8. Ait neminem fati immunem eſſe, Tantalum & Minoa & Tithonum paruiſſe mortis legibus, quamvis ille Deos tecto & convivio exceperit, alter vero conſiliorum Jovis particeps fuerit, & tertius licet evectus ab Aurora in aera (quod videbatur immortalitatis argumentum eſſe) tamen omnes obierunt. Dacierii interpretatio longe abeſt a Poetæ mente. *Tithonus mortuus eſt cum ſenecta eum in aerem commutaverit:* præterea fabulæ repugnat. Virgilius contradicit Horatio, dum vivum adhuc inducit Tithonum. Sed uterque vera dicit; nam fabulæ diſcrepant inter ſe hac ſuper re.

V. 10. Verus Euphorbus, & falſus ſub vero Pythagoræ nomine emortui ſunt.

V. 11. *Refixo*, i. avulſo.

V. 14. *Non ſordidus*, i. optimus Phyſicæ & moralis Philoſophiæ præceptor.

V. 17. Hos quatuor verſus, quibus fata breviter ac vide

Digitized by Google

Exitio est avidis mare nautis.
Mista senum ac juvenum densantur funera, nullum
Sæva caput Proserpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyriis Notus obruit undis.
At tu, Nauta, vagæ ne parce malignus arenæ,
Ossibus & capiti inhumato
Particulam dare. Sic, quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinæ
Plectantur sylvæ, te sospite: multaque merces,
Unde potest, tibi defluat æquo
Ab Jove, Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere forsan?
Debita jura, vicesque superbæ
Te maneant ipsum; precibus non linquar inultis:
Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas (non est mora longa) licebit
Injecto ter pulvere curras.

CAR-

vide recenset, imaginum nobilitas, numerorum volubilitas, & orationis vis maxime commendant.

V. 18. Archytas postquam inutiliter a Nauta precatus est sepulturam, eum imprecationibus onerat.

V. 21. *Devexi*, i. proni.

V. 23. *Vagæ*, i. quam ventus huc illuc devolvit: *malignus* est avarus, sicut *benignus* liberalis.

V. 24. Capiti & ossibus reliqui corporis.

V. 25. *Eurus* ventus orientalis. *minabitur* metaphorice.

V. 30. non times injusta committere, quæ nocitura sunt tantummodo natis ex te?

V. 32. Jus naturale videtur poscere, ut qui injuriam alteri fecit, eadem pœnæ ratione puniatur. *vices*, i. damna, quæ vicissim facimus, ubi aliis intulerimus. *vi superbæ* indicat, has pœnas cum fastu & contemtu conjungendas esse.

V. 36. *Curras*, i. naviges.

Digitized by Google

CARMEN XXX.

AD ICCIUM.

Juvenem e Philoſopho militem factum irridet.

ICci, beatis nunc Arabum invides
Gazis, & acrem militiam paras
Non ante devictis Sabææ
Regibus, horribilique Medo
Nectis catenas. Quæ tibi Virginum
Sponſo necato barbara ſerviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis,
Doctus ſagittas tendere ſericas
Arcu

Ineunte anno 727 ex edicto mittendus erat exercitus in Arabas duce Ælio Gallo. Hæc expeditio quæ duobus poſt annis facta non bene ceſſit, a Philoſophia illuſtrem Tyronem Iccium avocavit. Quare Poeta hoc ei Carmen ſcripſit, ubi leniter & lepide ei exprobrat, quod duros belli labores tranquillo ſapientiæ ſtudio prætulerit; & inſuper jocatur de præclaris illis rebus gerendis, quas novus heros meditabatur. Breve eſt, & ſatirico ſale levi quidem, & tenui apte adſperſum emicat.

V. 1. Scite ſatirico aculeo pungit Iccium, qui lucrandi aviditate præſertim permotus videbatur, tanquam cauſa principe militandi in eo bello. Lævinus Torrentius ſcribit legendum *Iti*, quod ſe dicit intellexiſſe ex figura cujuſdam Nummi, ubi ſcriptum erat. *Iti e gente Romana*.

V. 3. Loquitur de Sabæa, quæ erat Arabiæ felicis pars, teſte Strabone.

V. 4. Quam ridiculum eſt videre Philoſophum jam lorica armatum jactare, ſe totam Arabiam in primo prælio ſubmiſſurum, & Parthos oneraturum catenis, hoſtes imperii terribiles, perinde ac ſi Roma eum ad ulciſcendam Craſſi Antoniique cladem præoptaſſet!

V. 5. Jocari pergit. omnes apparatus, omnia conſilia novi bellatoris eo ſpectarunt, ut captiva femina Sabæa, & pincerna Indo potiretur. Græci & Latini *barbarum* pro τῷ *alienigenam* accipiunt.

Digitized by Google

Arcu paterno? quis neget, arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus, ac Tiberim reverti:
Quum tu coemtos undique nobiles
Libros Panætii, Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

V. 10. *Quis neget*. quis dubitet perspecta consilii sui mutatione, quin rivi ex altis montibus decurrentes pedem eo, unde illum moverant, facile referant? sed ubi exempla sunt τῶ relabi pro *retro cedere*? Rosellus retur, innui sententiam Epicuri, nempe aquas fontium in flumina, & a fluminibus in mare volvi, inde e mari exire, ut unde digressæ sunt, redeant. Forte Iccius hoc Epicuri dogma refellere conatus est. Hinc Horatius dicit, mutatum Iccii animum efficere, ut non videatur amplius ἀδιαφθορος, quod contrarium visum fuerat naturæ ordini.

V. 13. Salse ob oculos ponit μεταμόρφωσιν Iccii Philosophi in Militem. Cernere est juvenem ex umbratili stoica palæstra repente cataphractum ad Martia castra desciscere.

V. 15. *Loricis*. (V. Ind. *Hispani*.)

CARMEN XXXI.

AD VENEREM.

Rogat Venerem, ut domestico Glyceræ sacrificio interfit.

O Venus Regina Cnidi, Paphique
Sperne dilectam Cypron, & vocantis

Breve hoc Carmen maximi habendum est. Quatuor postremi versus suavitate singulari imaginum, & numerorum excellunt. Veneri comites venustiores & modestiores addi nequeunt. Conjici potest, factum fuisse anno 734, aut 735. Non satis constat, quænam fuerit hæc Glycera.

V. 1. Dacierius fallitur, putat enim Cnidum esse in Cypro, cum sit in Caria.

Digitized by Google

Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.
Fervidus tecum puer, & solutis
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ,
Et parum comis sine te juventas,
Mercuriusque.

V. 4. In Sacellum Veneri sacrum, an in Glyceræ domum? Sanado ait, Aulum Gellium fuisse primum, qui *ædes* singulari numero posuerit ad significandam domum.

V. 5. Filius Veneris vivido & prægestienti ingenio præditus.

V. 6. Ait, Festum celebrandum valde decenter, & modeste. *Solutis Gratiæ zonis* idem est ac *Gratiæ decentes*. Cum Gratiæ pingebantur minime nudæ, nulla habebant ligamina, nullas zonas, sed negligenter vela fluctuari sinebant ventorum arbitrio.

V. 7. Removentur ab hoc sacrificio juvenes impoliti, & male morati, qui indecenter agebant.

CARMEN XXXII.

AD APOLLINEM.

Corporis, animique sanitatem cum Poeseos studio conjunctam cæteris vitæ bonis antecedere.

QUid dedicatum poscit Apollinem
Va-

* Sanado ait, minus respondere hoc Carmen rei dignitati, & illos tres eventus (V. ind. *Octavius*) præbere ansam potuisse Poetæ nobiliores versus edendi. Mihi vero hoc Carmen pulcherrimum videtur, & quoad sententias, & quoad versificationem. In magnificum illud templum magna populi Romani multitudo confluxit, multa sacrificia facta, multa vota fusa. Alii alia orare Apollinem, præcipue quisque divitias. Horatius Philosophus & Vates hac super re serio agendum ratus spernit illa caduca fortunæ bona, & spectat unice vitæ suæ felicitatem. Contentum se paucis dicit, ut invidorum voces supprimat, & calumniantium, precatur a Deo, ut rebus partis fruatur, ut bona valetudine,
&

Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? non opimas
Sardiniæ segetes feracis,
Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta, non aurum, aut ebur Indicum,
Non rura, quæ Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.
Premant Calenam falce, quibus dedit
Fortuna, vitem: Dives & aureis
Mercator exsiccet Cululis
Vina Syra reparata merce,
Dis charus ipsis; quippe ter & quater

& mente integra utatur, & vitam sceleris, & infamiæ immunem, & deditam Musis ducat. Quid nobilius excogitari, quid sapientius, & augustius, quid dignius tanti Numinis æde proferri? tonare ne debebat, aut tubam inflare tanquam de victoria Actiaca, aut Drusi Tiberiique tropœis dicturus? Non is erat Horatius, qui suos cuique rei colores tribuere ignoraret. Quoad versificationem vide proxime sequentes Notas.

V. 1. * Primus hic Versus nobilis est, τὸ *Vates* eo loci ἐμφατικόν. * loquitur Poeta, non *Apollo*.

V. 3. Gradatim multa hominum vota enumerat, quibus complendis Apollinis liberalitas satis suppetere non posset. * singula affabre describit. Particula illa *non* sæpius repetita initio cujusque sententiæ gravitatis & contemtus magni index est. *. *Fundens liquorem*. Tunc primum in illo templo novo fiebant libamina.

V. 7. * Hic & sequens versus numerosissimi sunt, & suavissimi, conspiciendum præbent quietum & dulcem Liris cursum. *Mordet* & *taciturnus*: splendidæ sunt metaphoræ, divinæ voces. *.

V. 9. Ii, quibus sors dedit vites in Caleno agro, eas colant: Mercator dives longis haustibus potet aureis poculis vina emta pecunia, quam sibi comparat ex mercium venditione, & commercio inito inter se, & Syros. Calenus ager præstabile vinum ferebat.

V. 11. Cululum erat prægrandis patera.

V. 12. Bentlejus explicat τὸ *reparata* pro fucata vina, condita merce Syra. Rosellus putat hac voce significari itemtum æquor a mercatore ob mutandas merces.

V. 13. Deorum favore fretus.

Digitized by Google

Anno reviſens æquor Atlanticum
Impune. Me paſcunt olivæ,
Me cichorea, leveſque malvæ.
Frui paratis, & valido mihi,
Latoe dones, &, precor, integra
Cum mente: nec turpem ſenectam
Degere, nec cythara carentem.

V. 15. *Impune*, i. nullo vitæ periculo. * *Me*. Apte initio poſitum. hæc eſt altera pars Carminis ſcripta ſimplici ſtilo. Invidi & calumniatores dictitabant, Horatium adhærere ſedulo Mæcenati, ut pluribus fortunæ bonis cumularetur, idcirco callide modeſtiam & abſtinentiam ſuam palam facit. Alloquitur Apollinem, quem ea orat, quæ ſuperius retuli. paucis ea precatur, & ſubmiſſo animo, ut decet. Crederes eum Epicuro repente vale dixiſſe.

V. 18. *τὸ precor* inſtantis eſt, quam concinne poſitum! ut ſignificet deo, ſibi maxime cordi eſſe mentem ſanam. *.

CARMEN XXXIII.

AD LYRAM.

Rogatus Seculare Carmen ſcribere, lyram ſuam precatur, ut cantus argumento pares ſibi ſuggerat.

POſcimur. Si quid vacui ſub umbra
Luſi-

Auguſtus Horatium ad componendum ſeculare Carmen deligit, & ita teſtatur, eum eſſe Lyricorum Poetarum Principem. Poeta ſenſit, quantæ hoc ſibi laudi foret, utque tanto muneri æque reſponderet ad Lyram ſuam ſe convertit, opemque poſcit.

V. 1. Falſo Dacierius active accipit *poſcimur*, quod nuſquam reperies. Initio ſtatim Poeta oſtendit, ſe velle promte mandatis parere. *Vacui*, i. nullis negotiis præpediti. Qui verſus facit, nullis aliis rebus diſtineri vult.

Digitized by Google

Luſimus tecum, quod & hunc in annum
Vivat & plures: age dic Latinum,
Barbite, Carmen,
Lesbio primum modulate civi,
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Littore navim:
Liberum, & Muſas, Veneremque, & illi
Semper hærentem puerum canebat,
Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.
O decus Phœbi, & dapibus ſupremi
Grata teſtudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cumque ſalve
Rite vocanti.

V. 2. *Quod & hunc* &c. opponitur τῷ *luſimus*. Videtur Horatius quælibet alia ſua opera ſpernere præter Carmen, quod Auguſtus poſtulat. Hactenus, ait, luſus poeticos produximus, qui ad breve tempus mulcent animos, nunc opus eſt, præſtantiſſimos verſus facere, qui æterna hominum memoria digni ſunt. Quod refertur ad *Carmen*.

V. 5. Eligit tanquam exemplar Alcæi lyram. *modulate*. paſſive. (V. Ind. *Alcæus*.)

V. 6. Subauditur *ſive*.

V. 7. *Religo* duo inter ſe contraria ſignificat, nempe *ſolvere*, *abſtrahere*, & *ligare*. Secundo ſenſu hic accipitur. Horatius enim tumultum armorum opponit quieti, quæ ille fruitur, qui, emenſis maris periculis, ad littus adpellit.

V. 11. Hujus ignoti juvenis laudantur oculi, & capilli nigri, duo forma præſtantiſſima apud Veteres. Lycus erat cordi Alcæo, ut Batyllus Anacreonti, Alexis Virgilio, Ligurinus & Lyciſcus Horatio.

V. 15. *Cumque*, i. quumcumque, quandocumque, quotieſcumque. *Salve* pro fave. inuſitatum eſt. *rite* pro ritu: religionis vox, quæ denotat cæremonias, a cultu extetiore Diis præſtito præſcriptas.

Digitized by Google

CARMEN XXXIV.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Ne doleat, sibi rivalem juniorem a Glycera anteponi.

ALbi ne doleas plus nimio memor
Immitis Glyceræ. nec miserabiles
Decantes Elegos, cur tibi junior
Læsa præniteat fide.
Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri

Elegantissimum sane est hoc Carmen, quo solari debebat Horatius Amicum suum, Poetam tam insignem ob morum ingeniique suavitatem.

V. 2. Est illa eadem Glycera, quam postea Horatius amavit ad senium vergens, Tibullo fortasse jam demortuo. Hinc colligere licet multas Tibulli elegias temporum injuria periisse, nam in iis, quæ adhuc existant ne verbum quidem de Glycera, nec de necessitudine, quæ illum inter & Horatium intererat. In Ep. 4 lib. I. Albium vocat suorum Carminum judicem. *miserabiles*, h. e. flebiles, querulos.

V. 3. Horatius agebat annum ætatis 45, vel 46, cum Tibullus obiit 44 circiter annos natus. Dacierius Criticorum fere omnium consensui repugnat, dum asserit, Tibullum obiisse anno ætatis 24. Licet igitur Horatius hoc Carmen multo ante Ep 4. lib. I. scripserit, non ideo consequens est, hac voce *junior* significari non posse rivalem juniorem ætate, sed amore illo. Præsertim cum *τὸ junior* dumtaxat de ætate dici possit. Sensus est: si quis junior rivalis te depulerit animo infidæ Glyceræ.

V. 5. Apud Græcos & Latinos frons brevis, & nares non nimis apertæ erant partes inclytæ formæ, Matronæ partem frontis obnubebant fasciolis, quas Arnobius vocat *nimbos*. *imminuere frontes nimbis*.* Virgilius nomine Lycoridos non intellexit Cytheridem libertam Volumnii, quæ Antonium Tribunum in Gallias proficiscentem secuta est. Nam Antonius fuit tribunus anno 704, & Ecloga 10, qua Virgilius Asinium Gallum amore insanientem fingit Lycoridos, con-

cin-

Digitized by Google

Cyri torret amor, Cyrus in aſperam
Declinat Pholoen? Sed prius Appulis
Jungentur capreæ lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero:
Sic viſum Veneri: cui placet impares
Formas, atque animos ſub juga ahenea
Sacro mittere cum joco.

cinnata eſt anno 716. Ex quo colligitur, illum Aſinii Galli rivalem non potuiſſe eſſe Antonium, ſed alium civem Romanum, qui in Alpes imperatum abiret. (Diſſert. De l'Abbè Souchaye.) Eo tempore, quo Lycoris civem illum Romanum ſecuta eſt, Tibullus agebat annum ætatis 25, aut 26. igitur rivalis Tibulli poterat eſſe junior, & illa Virgiliana Lycoris eadem ac Horatiana. fortaſſe enim illa tribus circiter annis poſt Romam cum illo cive profecta eſt, & Cyri amore capta. Niſi forte Cyrus fuerit ille civis Romanus, quem prius ſecuta eſt. Si ita ſe res habet, hoc Carmen exaratum eſt anno 718, aut 722. Sed Cyrus neglecta Lycoride declinabat in Pholoen, & Tibullus in Glyceram. Idem Tibullus amavit Pholoen, ut ipſe teſtatur. Cyrus idem Tyndaridem, dum Horatius ætate provectus Glyceram: Igitur Carmen 18. hujus libri multo eſt iſto poſterius. *. Convenit inter Horatium & Tibullum de ingenio duro, aſpero, ſuperbo Pholoes.

V. 9. Vocat Cyrum hominem ſuperbum, obſcœnum, eſferum. *adultero*, i. amaſio.

V. 10. *Sic viſum ſuperis*. Hoc dicendi modo utebantur Veteres, quoties cauſa alicujus facti latebat. Impares in amore ſunt animi, cum inter ſe diſſident.

V. 12. Venus crudeliter agit, quæ gaudet ſub jugum ligare duos animos, quorum mutuus amor non eſt. Ad rem facit maxime hoc pulcherrimum Moſchi εἰδύλιον ζ.

Ἠρα Πὰν Ἀχῶς τῆς γείτονος, ἤθελε δ' Ἀχῶ
Σειρῆτις Σατύρου. Σάτυρος δ' ἐμαίνετο Λύδαν.
Ὡς Ἀχῶ τὸν Πᾶνα, τόσον Σάτυρος φλέγεν Ἀχῶ,
Καὶ Λύδα Σατυρίσκον. Ἔρως δ' ἐσμιύχετ' ἀμοιβᾷ.
Ὅσσον γὰρ τιμᾷ τις ἐμείετο τὸν φιλέοντα.
Τόσσον ὁμῶς φιλέων ἀχθαίρετο, πάσχε δ' ἄπορτα.
Ταῦτα λέγω πᾶσι τὰ δεδάγματα τοῖς ἀνερώτοις,
Στέργετε τὰς φιλέοντας, ἵν', ἵν' φιλέητε, φιλῆσθε.

Pan amabat Echo vicinam, Satyrus vero inſane deperibat Lydam,

Quan-

Digitized by Google

Ipſum me melior quum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Adriæ
Curvantis Calabros ſinus.

Quantum Echo Pana, tantum & Satyrus Echo urebat,
Et Satyrum Lyda; ſic amor per vices flagrabat.
Quantum enim ipſorum aliquis amantem oderat,
Tantum & ipſe amans odioſus erat, & patiebatur vindictam.
Hæc ego documenta narro ab amore alienis,
Diligite amantes, ut, ſi amatis, redamemini.
V. 13. *Melior*, i. amica minus crudelis, dulcior.
V. 14. *Myrtale* eſt verum nomen Libertæ græcæ.
V. 16. Quibus ſinus maris curvus eſt.

CARMEN XXXV.

Ficta Palinodia Deorum providentiam prorſus evertit.

PArcus Deorum cultor & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Con-

Epicurus omnia a fato pendere, Deoſque nihil agere aſſerebat, quos tamen habita ratione temporum colebat, ut ſe ſe conſuetudini accommodaret, & populi invidiam vitaret, ſed intimo animi ſenſu irridebat. Poeta noſter illius Philoſophi aſſecla fortaſſe aliquorum ſtoicorum importunis vocibus commotus ſimulat ſe hanc Epicuri ſententiam abjurare, ſed ſimulatoris perſonam diutius gerere nequit, jocaturque lepide, dum ſerio agere videtur. Huc igitur ſpectat præſtantiſſimum hoc Carmen, cujus princeps laus eſt ancipitem detinere legentis animum uſque ad finem. Id ſane adeo ſagaciter agit, ut vel acutiſſimorum virorum intelligentiam effugerit. ratio concludendi Carminis, infirma rationum momenta ad depellendum errorem adlata, curioſus ambiguarum vocum uſus aperte declarant ironiam. Ita Blondellus Horatii mentem affecutus eſt; Maſſo, & alii errant, qui Poetam ad Deorum cultum vere converſum fuiſſe putant.

V. 2. Stoici ſententiam Epicuri tanquam inſanam explo-

de-

Digitized by Google

Conſultus, erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. Namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit

debant. *inſonientis*. Sed Epicurei tanquam ſapientem amplectebantur: *ſapientiæ*. Callide illas duas voces conjunxit, quæ ſibi invicem adverſari videntur. fortaſſe Stoici nomine ſapientiæ philoſophiam intelligebant, & Epicurei Sapientiam meram.

V. 4. Relegendo curſus iterare. metaphora a viatore petitur, quem via fefellit. ſtatim ac ille errorem ſentit, retrocedit, uſque dum eo redeat, unde error incepit.

V. 5. Octo reliqui verſus magnifici ſunt. Quivis Stoicus tam nobiles imagines, numeros tam divinos, dicendi formas tam animatas admiratus facile putaret Horatium ingenue ſe totum colendis diis tradidiſſe. ſed fallitur. omnia in ambiguo poſita, & ſpecioſo apparatu circumveſtita. Saltem propoſitæ rationis leve pondus ſuſpicionem movere debet, Horatium illo eloquentiæ ornatu ora ſublinere voluiſſe Stoicis, & longe a mutanda opinione abeſſe.

V. 6. *Nubila dividens* fulguribus.

V. 7. *Per purum*, i. aera. Blondellus & Dacierius contendunt Horatium voluiſſe indicare Stoicorum opinionem duobus illis verſibus *plerumque* &c. ut eam opponeret Epicureorum, duobus verſibus comprehenſæ, *namque Dieſpiter* &c. ſed hæ duæ ſententiæ minime apparent. cur enim non dixit *per ſudum* pro τῷ *per purum*? Lucretius ut neget, Deos habere rerum procurationem, ait neque ſonitum fieri ſereno cœlo, neque fulmina miti: *nec fit enim ſonitus cœli de parte ſerena*; & alibi: *nam cœlo nulla* (fulmina) *ſereno, nec leviter denſis mittuntur nubibus unquam*. Horatius igitur Epicureus idem cum Lucretio ſentire debuerat. Niſi forte accidit, quod aliquando accidiſſe probant nonnulli phyſici, nempe fulmen e terra natum, cum cœlum eſſet ſerenum, quod portento ſimile eſt; & idcirco terrore captus Poeta deos fatetur eſſe, quippe qui putarit cœlo ſereno fulmen emiſſum. crederem tamen, Horatium jocari, & irridere hanc opinionem poſtremam, licet ſerio videatur eam proferre. Roſellus ait his verbis ſignificari tonitru, quod veteres putarunt effici ex curru Jovis cœlum percurrente, & regionem ætheris altiſſimam, & nubium expertem: *per*

pu-

Digitized by Google

Egit equos, volucremque currum:
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx & inviſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteuſque finis
Concutitur. Valet ima ſummis
Mutare, & inſignia attenuat Deus,
Obſcura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit: hic poſuiſſe gaudet.

purum. Inſolita quæque naturæ monſtra non inducebant Epicureos ad fatendam deorum Providentiam. Hor. S. 5. lib. 1. id declarat. *Deos didici ſecurum agere ævum*, & quæ ſequuntur.

V. 9. *Bruta*, i. ponderoſa, immobilis. metaphorice. Plinius ait: *flumina bruta* & *vana*, ut ſignificet ea in mente tantum fuiſſe Augurum.

V. 12. En Carminis enodatio. Fingit ſe deos noſcere, & vereri, omnipotentiam illis tribuit. præterea ne eorum indolentiam perturbet, adſcribit ſorti rerum eventus. animadverte curioſam ἐμφιβολογίαν in voce *Deus*. Quivis Stoicus eam referret ad τὸ *Dieſpiter*, ſed in mente Horatii ſolus deus agendi compos eſt natura, quæ fortuito atomorum concurſu omnia creat.

V. 13. Hæc vox *inſignia* comparatur cum τῷ *obſcura*.

V. 14. Pulcherrima eſt hæc imago, & poetica. In tribus his poſtremis verſibus ſe Epicureum declarat.

V. 15. Hic ſtrepitus repræſentat quam aptiſſime illarum ædium magnarum caſum, quas violentus fortunæ mutatæ impetus repente proſternit.

V. 16. Mens Poetæ, & Carminis totius vis in hac voce *gaudet*, coit, quæ Stoicos poſtremo ictu ferit. fortuna domina leges dat, ejus arbitrium pro ratione ſtat.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XXXVI.

AD FORTUNAM.

Pro Rep., Auguſto, & Romanis exercitibus deprecatur.

O Diva, gratum quæ regis Antium,
Præſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit ſolicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris,
Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus aſper, te profugi Scythæ,
Urbeſque, genteſque, & Latium ferox,
Regumque Matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni.
Injurioſo ne pede proruas
Stantem Columnam: neu populus fremens

Ad

Hoc Carmen heroicum eſt, dignumque præſtanti Poeta, exceptis tamen duobus vel tribus locis. Argumentum nobile eſt, ſcite ſuſceptum, & abſolutum. Animi ſenſa, & cogitata eo perveniunt celſitudinis, quo lyricæ Poeſeos via pertingere unquam poſſit. Verſus & numerorum incantamento pollent, & elocutionis lumine clareſcunt. Facile affirmare poteris, quo tempore concinnatum ſit. duo exercitus eodem tempore miſſi ſunt, alter quidem in inſulas Britannicas, alter in Arabiam; quod quidem pertinet ad annum 727.

V. 1. Epicureorum maxima & potiſſima dea eſt fortuna. Omnia ab ea profluunt. Illa omnes mortales ad ſuas aras trahit, felices ob metum, infelices ob ſpem.

V. 14. Hæc Columna refert Remp. Poſt tres annos per Auguſti victorias illa erecta rurſus eſt, ſed quo recentius ſtabilita fuit, eo magis timendum erat, ne abſente Principe concuteretur. De hac re Remp. monet.

Digitized by Google

Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te ſemper anteit ſæva neceſſitas,
Clavos trabales, & cuneos manu
Geſtans ahena: nec ſeverus
Uncus abeſt, liquidumque plumbum:
Te ſpes, & albo rara fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcumque mutata potentes
Veſte domos inimica linquis.
At vulgus infidum, & meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis amici,
Ferre jugum pariter doloſi.

Ser-

V. 15. *Ceſſantes*, i. pacificos. *populus fremens*, i. rebellans.

V. 17. Plato in poſtremo de Rep. libro tribuit neceſſitati ſeu Parcæ fatali colum, uncum, & fuſum. hæc belle confinguntur. neceſſitas præcedit, quia nulla vis ei reſiſtit; ſpes comes eſt, quia fortuna eſt miſerorum perfugium; fides lateri hæret, quia veri Amici conſtantes ſunt, & bonam, malamve ſortem ſequuntur. Sed (ut Sanadone duce opinor) hæc pictura ſuis omnibus partibus abſoluta melius in tela eluceret, quam in heroico Carmine, in quo hic patibuli apparatus, nempe clavi, cunei, unci, fuſum plumbum, ferendus non eſt.

V. 24. Cum dives ad extremam paupertatem delabitur, & ædes magnas deſerit, fortuna cum eo exit, & ab eodem ne latum quidem unguem diſcedit. in eo differt, quod ex proſpera fit adverſa. Id indicat Horatius per veſtium mutationem.

V. 26. Præ hujuſce Carminis dignitate hæc imago fugientium amicorum *ſiccatis cum fæce cadis* vileſcit. Perraro tamen Poeta in deſcribendis rerum adjunctis errat, cum inter cæteros in hoc genere præſtet.

V. 28. Hæc metaphora a bobus deſumta ab re eſt. Conjuncta enim præcedenti a fæce & cadis depromtæ inepte res maxime diſſimiles miſcet. ordo eſt. *Amici doloſi jugum pariter ferre diffugiunt*. falſos amicos fidelibus opponit. ſenſus eſt. Amici per dolum jugum, quod deberet eſſe commune, detrectantes fugiunt, ubi exſiccaverint cados.

Digitized by Google

Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos, & juvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.
Eheu cicatricum, & sceleris pudet,
Fratrumque: quid nos dira refugimus
Ætas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manus juventus
Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? o utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas, Arabasque ferrum.

V. 29. Indicat insularum Btitannicarum incolas, vocatque *orbis ultimos*, ut secerneret a populis ejusdem nominis in Gallia Belgica, qui occupabant illam Piccardiæ partem, ubi sunt Stapulæ, Monasteriolum, Hesedinum, & Pontes usque ad Sommam. (V. ind. *Octavius*.)

V. 31. (V. ind. *Gallus*.)

V. 33. Id refertur ad τὸ *neu populus fremens*. Ut propius ob oculos Augusti abfuturi poneret Reip. periculum, paucis belli civilis calamitates graphice describit. Octo hi postremi versus infinitis prope laudibus digni sunt. sensus est: pudet vulnerum, quæ scelere fraterno illata sunt. turpe est *fratres*, i. cives arma capessere, ut se invicem conficiant.

V. 39. non ut pristina forma ensibus auferatur, ut sentit Bentlejus, perinde ac si adhibendi amplius non essent, sed ut incude denuo domentur, & quæ usui in hostes impedimento essent, abraderentur: aliter enim tincti sanguine civium scelesti essent, & invisi diis. nempe ferrum illud in enses diffingendum est, qui stringi sine culpa, & melius possint.

V. 40. Massagetæ sunt Scythæ Parthis vicini, & socii.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XXXVII.

AD PLOTIUM NUMIDAM.

Plotio Numidæ fauſtum ex Hiſpania reditum gratulatur.

ET thure, & fidibus juvat
Placare, & vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidæ Deos:
Qui nunc Heſperia ſoſpes ab ultima
Charis multa ſodalibus
Nulli plura tamen dividit oſcula,
Quam dulci Lamiæ, memor
Actæ non alio rege puertiæ,
Mutatæque ſimul togæ.
Creſſa ne careat pulchra dies nota:
Neu

Ex bonis moribus, quibus difficilius, quam ingenio homines pollent, metienda eſt cujuſque laus & dignitas. Optimus Amicus æque ac Poeta prodit Horatius. videbimus quanta geſtiat lætitia ad reditum Pompeji Groſphi. Nunc teneros ejus animi ſenſus excitat Plotius Numida, qui ab Hiſpania regreſſus eſt anno 730, ubi tres annos moratus eſt. Sacra, Carmina, Convivia, Choreæ, omnia hujuſmodi gaudii argumenta in promtu ſunt ad celebrandum hunc diem: quibus omnibus Amicitia & libertas præeſt.

V. 2. Uſque a Plotii reditu Deorum ira timenda erat, nondum ſolutis votis.

V. 8. Moderatore, rectore. Amicitiæ, quæ juvenilibus annis contrahuntur, in communibus rerum exercitationibus, & ſub iiſdem Magiſtris ſunt fere diuturniores, & arctiores, quam quæ in aliis rerum vicibus & temporibus.

V. 10. Nota Creſſa eſt ſignum impreſſum vi petræ albæ, Cretæ. Harduinus accipit pro nota vini Cretici. Sed Dacierius ait, hoc latine dici non poſſe, & Bentlejus inquit, vinum Creticum ex uva ad ſolem exſiccata fieri ſolitum, non largiter in convivio potari potuiſſe. præterea nulla mentio apud veteres de vini Cretici optima vi.

Digitized by Google

Neu promtæ modus amphoræ,
Neu morem in Salium ſit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Baſſum Threicia vincat amyſtide:
Neu deſint epulis roſæ: 15
Neu vivax apium, neu breve lilium:
Omnes in Damalim putres
Deponent oculos: nec Damalis novo
Divelletur adultero
Laſcivis hederis ambitioſior.

V. 13. Egregiam ſane laudem in femina vinolentiam!

V. 14. Græce dictum, quo is bibendi modus ſignificatur, quem Thraces, & Scythæ in ſuis intemperantiſſimis conviviis ſervabant. ii nempe crateras ingentes uno ſpiritu exhauriebant.

V. 16. Herba apio ſativo major, apium paluſtre vocatur, quod in paluſtribus & aquoſis locis naſcitur, diu ſuam viriditatem ſervat.

V. 17. Quiſque dulcem obtutum configet in Damali. *putres*, i. humidos: ut accidit in amore & incontinentia. Torrentius perperam τὸ *deponent* accipit pro τῷ *condent*, *ſepelient*.

V. 20. Lautiſſima vox. *ambire* eſt circumdare, amplecti.

CARMEN XXXVIII.

AD SODALES.

Ob Cleopatræ mortem lætandum eſſe.

NUnc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus: nunc ſaliaribus
Or-

Ex ſex Carminibus, quæ Horatius hac ſuper re compoſuit, hoc eſt poſtremum, ſed non minus præclarum. Feraciſſima Poetæ mens numquam ſibi deeſt. Res geſtæ Octavii animum ei addunt, & novas vires; Poeta & heros pariter triumphant. ad vivum expreſſum eſt Reginæ Ægyptiæ inge-

Digitized by Google

Ornare pulvinar Deorum,
Tempus erat dapibus, ſodales.
Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria:

ingenium, & mors. Inſignem jam vides tabulam docto penicillo animatam. Omnes animi motus in ea Regina vehementiſſimi ſunt. Ejus ambitio ebrietas eſt; ejus amor furor; fortitudo rerum deſperatio. violentas haſce animi concitationes per omnes Poetæ ſenſus pertinuiſſe crederes, tanta eſt in ſententiis vis ac nobilitas, audacia in figuris, in dicendi modis ἐνέργεια. τὸ πάθος tragicum cum Poeſeos lyricæ ſublimitate conjungitur. Hoc cecinit Carmen anno 724, ætatis ſuæ 35. Cur autem in Cleopatram potius, quam in Antonium invectus fuerit, loco ſuo videbis. (V. Ind. *Octavius*.)

V. 1. Initio ſtatim ovat. Paucis exprimit geſtientem lætitiam, qua ob rem tanti momenti perfundi debebat optimus quiſque civis. Mediocris quiſpiam Poeta in perſequendis ſingulis hujus lætitiæ effectibus, & adjunctis diutius immoratus fuiſſet; Horatius vero pueriles illas centies repetitas rerum deſcriptiones omittit & ad hujus lætitiæ cauſas aperiendas ſe repente convertit. Maleſana Cleopatræ conſilia, terrores imperio incuſſi, rerum deſperatio, funeſtæ mortis celeritas ea ſunt, quæ legentis animum percellunt, animant opus.

V. 3. (V. Ind. *Lectiſternia*.)

V. 4. Nunc eſt tempus.

V. 6. Μετάθεσις poetica pro τῷ Cæcubum ab avis reconditum. *dementes ruinas parabat* pro demens Regina minas parabat.

V. 9. Cum grege contaminato morboſorum ſpadonum, effuſiſſimis libidinibus contabeſcentium. Roſellus credit, ſignificari Romanos cum Antonio, aitque: ſi Romanis manus conſerendæ fuiſſent cum iis Eunuchis, Horatius dicere non potuiſſet *antehac nefas depromere* &c. Deinde τὸ *virorum* de ſpadonibus nequit uſurpari.

V. 10. Ita impotens ſui, ut quidlibet ſperare auderet.

Digitized by Google

Ebria: sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus:
Mentemque lymphatam Mareotico.
Redegit in veros timores
Cæsar, ab Italia volantem
Remis adurgens (accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Æmoniæ) daret ut catenis
Fatale monstrum: quæ generosius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe cita reparavit oras.
Ausa & jacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, & asperas

V. 13. Tanaquillus & Dacierius ajunt, hic Horatium errare, sed ipsi errant.

V. 14. Dicendi modus ἐνεργικώτερος. *lymphari*, i. nymphari, furere. Vetus opinio erat, a Nymphis phrenitide percuti solere, quicumque eas intueri ausus fuerit.

V. 15. Id opponitur τῷ *quidlibet impotens sperare*. Omnis spes Cleopatræ vana erat, ejus timores vero propiores.

V. 16. Tanaquillus, & Dacierius mendacii Poetam arguunt; ajunt enim Octavium minime insectatum fuisse Cleopatram. Sed Dio aperte ait: *Tunc autem Cæsar emisit Classis suæ partem, quæ Antonium & Cleopatram insequeretur.* Præterea Florus inquit. *Dux fugæ Regina, mox secutus Antonius, sed instare vestigiis Cæsar.*

V. 20. Thessalia vocata *Æmonia* a quodam Rege.

V. 24. *Parare* significat etiam emere, *reparare* rursus emere res loco amissarum, & etiam res alias aliis mutare. Tanaquillus & Dacierius Horatio adversantes, ajunt, Cleopatram minime usam Classe, ut confugeret in exteras nationes, & insuper Plutarchum & Dionem Poetæ contradicere. Constat, Reginam naves adornasse in sinu Arabico, ut in exteras nationes se conferret; sed Arabes hortante Q. Didio Syriæ Prætore cum ignem navibus accendissent, & Arabiæ Reges hoc perfugium illi negassent, statuit illa aditum intercludere ad omnes portus, & obsistere Octavio.

V. 25. Mœstam, desolatam, consternatam regiam.

V. 26. Serpentes asperatas, exacerbatas, egregia enimvero imago Historiæ consentanea.

Digitized by Google

Tractare ſerpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior;
Sævis Liburnis ſcilicet invidens
Privati deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

V. 30. Nempe mulier non humilis invidebat hanc triumphi gloriam Cæſari; verebatur enim ne ab eo Liburnis navibus deportata tanquam privata femina triumpho duceretur.

CARMEN XXXIX.

AD PUERUM.

Admonet ut cœnam ſine ambitioſo adparatu ſtruat.

PErſicos odi, puer, adparatus:
Diſplicet nexæ philyra coronæ:
Mitte ſectari, roſa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil adlabores,
Sedu-

Extemporale hoc Epiſtolium magni faciendum. Periti artifices in minimis quoque operibus excellunt. En facilis & naturalis elocutio, verſus fluidi, & numeroſi, joci ad finem elegantes. Poeta fortaſſe epulari volebat cum quopiam Amico ſuo. Servus ejus magnos adparatus meditabatur. Sed Dominus ſapientis Epicurei inſtar declarat voluptates ſimpliciores, & minus exquiſitas ſibi jucundiſſimas fore. Iatet quo anno id acciderit.

V. 1. Perſæ erant valde voluptuoſi in epulis & molles.

V. 2. Philyra eſt ſubtiliſſima membrana inter corticem arboreum, & truncum interjecta. Hac membrana nectebantur florea ſerta. Tilia præſertim utpote quæ ad hunc uſum nata magni æſtimabatur. Plin. lib. 16. c. 14.

V. 3. Delicatulæ feminæ quærebant roſas extra tempus.

V. 5. Myrto nihil laborioſe addere ſatagas.

Digitized by Google

Sedulus curæ. Neque te miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me ſub arcta
Vite bibentem.

V. 6. Eleganter dictum. *neque te*, &c. ſignificat, ſervum non eſſe domino ſapientiorem.

V. 7. Cœna fortaſſe paranda erat ſub trichila in Horto Horatiano valde compacta, & ſpiſſa ad removendos ardentis ſolis radios a convivarum corporibus.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI CARMINUM LIBER SECUNDUS.

CARMEN I.

AD ASINIUM POLLIONEM.

Hortatur, ut intermissis Tragœdiis det se totum civilium bellorum historiæ.

MOtum ex Metello Consule civicum, Bel-

Usque ab anno 715. Romæ constitit privatus Pollio, ubi liberales artes excolere potuit, & familiaritate eruditorum hominum uti, inter quos ipse honestum locum tenebat. Multas edidit Tragœdias, quæ Virgilii & Horatii judicio Romanum cothurnum Athenienſi æquiparabant. Sed ille accuratius ſtudium abſolvendæ bellorum civilium hiſtoriæ impendere debebat. Timendum enim erat, ne ſcenici plauſus gloriam Pollioni præriperent tanti operis perficiendi. Hortatur itaque eum Poeta, ne rem magnam minore mutet, blandiſſimiſque laudibus mulcens eodem tempore docet, acre in hoc opere conficiendo judicium prudenſque conſilium adhibendum. Sed quodnam eſt certum hujuſce Carminis argumentum, quodnam tempus? hæ duæ controverſiæ Dacierium inter & Maſſonem agitantur, fere omnes interpretes poſtremum ſequuntur. Sanadonem audiamus, qui ſcite rationum momenta utriuſque excerpſit. Horatius, (ait Dacierius) contra Octavium Bruto duce arma tulerat, vix per Mæcenatem veniam impetravit, & ſenſit, quam difficile eſt perduellionis reum in gratiam Principis redire. Plures videbat Amicos in eadem navi. Pollionis hiſtoria renovare poterat multa, quæ ſibi ſuiſque ami-

Digitized by Google

Bellique causas, & vitia, & modos,

amicis obesſent. Ut huic incommodo occurreret, Pollionem obſecrat, ut hujus operis curſum intermittat: ſed ita facit, ut licet Pollio illud proſequatur, nihil tamen amplius metuat. Laudat hanc Hiſtoriam, bella civilia deplorat, ſed tot malorum cauſam in eas res confert, quarum nec ipſe nec Amici participes erant, & in ea tempora, quæ culpæ ſibi eſſe non poterant, & ita animum præoccupavit Octavii, ſuamque cauſam tutatus eſt. fortaſſe Horatius non tam ſibi, ſuiſque Amicis, quam Pollioni metuit. Bellorum civilium hiſtoria tunc temporis erat opus ſalebroſum; non tam facile Pollio Antonii Amicus cavere poterat, ut ne Octavio diſpliceret. multa inquit Dacierius, ſed non probat. ac primum quidem contendit Poetam 25. annos natum, nempe anno ſecundo poſt Philippenſem pugnam ideſt 714., duobus annis poſtquam per Mæcenatem veniam obtinuit; exaraſſe hoc Carmen. Jam vero Pollio hoc anno in bello Perusino gerendo, in pace Brunduſii componenda, in conſulatu obeundo adeo occupatus erat, ut ſibi integrum non eſſet, Tragœdiis, & bellorum civilium hiſtoriæ operam dare. Deinde Horatius Mæcenati ignotus homo erat anno 714., cum anno dumtaxat 716. cognitus fuerit per Varium, & Virgilium. Virgilius Romam venit anno 713., aliquot menſibus poſtquam Horatius, quærebatque ſibi præſidium, quo indigebat. Præterea Horatius nullius ope indigebat ad impetrandam veniam ab Octavio. Dio enim ait: „ exercitus, cognita Bruti morte, mittit legatos ad Cæſarem, „ & Antonium; impetrataque venia, inter eos divisus „ eſt „. Deinde ſi Horatius anno 714. Pollionem laudaſſet, gratum ne feciſſet Octavio, & Mæcenati? Pollionem, inquam, qui in bello Perusino Antonii partes ſequebatur, ad anni præcedentis finem incepto, & in Gallia Ciſalpina ab Alpium tranſitu Octavii legiones prohibebat? Octavius adeo potens Romæ erat anno præcedenti, ut L. Antonium Conſul, & Triumviri frater egredi urbe coactus fuerit. Longe igitur aberat, ut pateretur, Pollionem obire Conſulatum. Pollio Romam venit poſt M. Antonii reditum, Bellum Perusinum vetno tempore anno 714. peractum eſt. Dio ſcribit, M. Antonium veniſſe ab Ægypto menſe Julio ejuſdem anni in Italiam. Pax Brunduſii compoſita eſt per Coccejum, Mæcenatem, & Pollionem menſe Septembri, & hinc Pollio provinciam inivit, & ſtatim ea abiit, quo-

Digitized by Google

Ludumque fortunæ, gravesque
Principum amicitias, & arma

Non-

niam novi Consules creati sunt, qui reliquum Magistratus annum absolverunt. Ergo laudes, quas illi Horatius tribuit, ineptæ essent; nam ita agendo Poeta a se abalienasset animum Octavii, & Mæcenatis, quem sibi devincire conabatur. Demum, an Horatius obsecret Pollionem, ut parumper Historiam intermittat, ne memoria præteriti temporis Octavium sibi inimicum reddat? id sane nugatorium est. Licet enim Pollio aliquot mensibus, vel anno integro post edidisset in lucem opus suum, minus ne Horatius sibi metuere debuisset? utique, respondet Dacierius; Poeta enim laudat hanc historiam, bella civilia deplorat &c. (vide supra v. 1.) Sed si hæc satis Horatium tutari poterant, cur timet adeo, ne Pollio in lucem proferat opus illud anno Consulatus sui? Carmen nonne debebat & iram Principis, & Poetæ timorem amovere? Præcipue cum Horatius in bello Philippensi non eam gesserit personam, propter quam sibi verendum fuisset, ne hujus belli memoria renovata Octavius a suscepta amicitia dissolveretur. Mens igitur Poetæ ea est, quam initio proposuimus. Præsertim cum antiquus Codex manu scriptus a Turnebo & Torrentio laudatus id confirmet; in quo hoc Carmen ita inscriptum legitur: *Ad Asinium Pollionem virum Consularem, ut intermissis Tragœdiis, belli civilis describat historiam.* Quoad tempus vero Carminis, Rodillius illud adponit anno 719., quo mors Sexti Pompeji bella civilia terminare videtur; satius tamen est ineunti anno 725., quo illa civilia bella prorsus confecta fuerant Antonii morte. Ex quo tempore Horatius contra Octavium arma non tulerat, jam 12. annorum spatium effluxerat, & crimen purgaverat constanti fide erga Principem. Pollio spatio 8. annorum aut 9. tranquille operam & tempus in lucubrandis Tragœdiis & historia collocavit. Altiloquam hanc Odem vocat Scaliger.

V. 1. Initio Carminis longa μεταθεσις. Ordo incipiendus a v. 13. (v. Ind. *Triumviratus*.)

V. 2. *Vitia* sunt mala a bellis intestinis derivata, *modi* vero sunt eorum ratio, adjuncta, descriptiones.

V. 4. Vellejus ait: „ Cæsarem inter & Pompejum, & „ Crassum inita potentiæ societas, quæ urbi, Orbique „ tetrarum, nec minus diverso quoque tempore ipsis exi„ tiabilis fuit. „ Idem dicendum de secundo Triumvira-

tu,

Digitized by Google

Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paulum severæ Musa Tragœdiæ
Desit theatris: mox, ubi publicas

tu, de quo inquit Cato, consociationem trium Principum pejus de Rep. meruisse, quam dissociationem. Sed Poeta generatim locutus est, ne Octavium læderet, cui uni res bene verterat.

V. 5. Loquitur de iis cæremoniis, quibus fungi Pontifices solebant ad expiandum populum, qui se concivium sanguine inquinaverat. Dionys. Halicarn. lib. 5. n. 57. Nondum bellis civilibus finitis expiari nequiverat sanguis effusus. Ita dixit in Carmine *Jam satis terris: cui dabit partes scelus expiandi Jupiter?* ita loquebatur Poeta duobus annis post Odem, quam præ manibus habemus.

V. 6. Rei susceptæ difficultatem Pollioni ostendit, non ut eum hinc absterreret, sed ut significaret, nunquam satis animo præcaveri posse, sive ob ingens rei momentum, sive ad evitanda prima illa Antonianarum partium studia. Demum opus erat, veritatem in historia spectari, quæ ei prima laus, & de familiarum rebus prudenter differi. Dacierius opponit iis quæ diximus: historiam bellorum civilium opus non esse difficilius, quam externorum. Sed ipse sibi contradicit, ubi ait: hæc bellorum civilium historia est ne opus tam facile, ut Horatius Pollioni dicere possit, *mox ubi publicas res ordinaris?* mihi videtur, ait, hoc opus maximum esse, & longius tempus requirere, quam quod particula *mox* significet.

V. 9. Loquitur de Pollionis Tragœdiis. aperte hoc dicit Servius in interpretando versu 84. 3. Buc. Virg. De industria palpatur Pollioni, qui illo scribendi genere magnam sibi peperit nominis celebritatem: Sensus est: opus bellorum civilium magnam ingenii, judiciique vim postulat, in detegendis certissimis causis, diligentiam in exponendis rebus, celerrimam animi provisionem in studiis partium attingendis: crede mihi, in id duntaxat obnixe nunc incumbe; olim Theatro operam navabis, ut feliciter fecisti. Dacierius hunc locum figurate accepit, Servium rejicit, perperam sane ratiocinatur.

V. 10. *Ordinare* idem est ac librum componere. *res publi-*

Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetas cothurno,
Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti, Pollio, Curiæ:
Cui Laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Jam

blicas, i. bella intestina. *grande munus*, opus difficile. Dacierius omnes interpretes improbat, qui nobiscum sentiunt, quasi vero bella civilia non sint res publicæ: ait insuper, illa verba non pertinere ad historiam Pollionis; Pollionem fuisse Consulem eo anno, quo illam scribebat; & hoc versu significari consulatus munia. fallitur.

V. 11. Dacierius refert τὸ *grande munus* ad historiam Pollionis, creditque appellari a Poeta *grande*, quia difficile est. faetur igitur iterum operis difficultatem, quam alibi negaverat.

V. 12. Calceus elevatior Tragœdorum erat, Theatrum Athenienſe diu floruit illustrium Tragicorum Poetarum fama.

V. 14. Ergo, Dacierius ait, Consul erat Pollio eo anno, quo Horatius hoc Carmen scripsit. Nego. nam idem dici posset de singulis Senatoribus, qui consiliis suis Senatum adjuvant. *Consulere* significat consultare, examinare res propositas. Deinde Horatius non poterat se ad Pollionem, tanquam actu Consulem, convertere. Tandem licet Poeta spectaverit Pollionis consulatum his verbis *consulenti* &c. non inde sequitur, Pollionem eo munere functum fuisse eo anno, quo hoc Carmen scriptum fuit.

V. 16. Triumphavit Pollio post suum Consulatum, non erat igitur Consul, cum Poeta hæc cecinit. Appianus lib. 10. ait: „ Exercitum misit (Antonius) in Parthinæos „ gentem Illyricam, Macedoniam incursare solitos: „ & Dio (lib. 48. „ apud Epidaurios (Parthinæorum urbs est Epidaurus) tumultum coortum Pollio, factis aliquot præliis, compescuit „. His rationum momentis opponit Dacierius auctoritatem Servii, qui in notis ad 3. Bucol. Virg. ait: „ Pervenerat Pollio ad consulatum post triumphum „ Dalmaticum, nam vicerat Salonas civitatem Dalmatiæ. „ & addit: „ Asinius Pollio ductor Germanici exercitus, „ quum post captas Salonas Dalmatiæ civitatem primo me„ ruisset lauream, post etiam consulatum adeptus fuisset, „ eo-

Digitized by Google

Jam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringit aures, jam litui ſtrepunt:
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Videre magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere ſordidos,
Et cuncta terrarum ſubacta,
Præter atrocem animum Catonis.
Juno & Deorum quiſquis amicior
Afris, inulta ceſſerat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ.
Quis non latino ſanguine pinguior

Cam-

„ eodem anno ſuſcepit filium, quem a capta civitate Salo-„ ninum vocavit, cui nunc Virgilius genethliacon dicit „ „ Servii verba audienda eſſent, ſi Hiſtoricorum auctoritate ſul-cirentur. Hic eſt ille Servius, quem ipſe Dacierius vocat *le faux Servius*.

V. 17. Sequentes *16.* verſus pulcherrimi ſunt, ſublimem-que animi ſenſum claudunt. Horatius una cum Pollionis laudibus ſuas tacite texit; ita ad vivum res exprimit, ita e Natura, ut legentes ad ſpectandas res, quas deſcribit, pertrahat. Hæc eſt princeps laus, quam Romano hiſtorico adſcribit.

V. 21. Verbum *videre* commune eſt his quatuor verſibus. ea refert, quæ oculis non auribus ſubjecta ſunt.

V. 22. Hæc dicendi forma eſt dupliciter figurata, & ma-xime ad rem facit. *Non indecoro*, i. valde decoro; *Dimi-nutio*. *ſordidos non indecoro pulvere: Oppoſitio*.

V. 24. *Atrox*. in bonam partem accipitur. Sententia ſu-blimis. Duobus verbis elogio omnium maximo Catonem ex-tollit. Scilicet facilius fuiſſe Cæſari totum orbem ſibi ſub-jicere, quam fortem Catonis animum flectere.

V. 25. Poeta cavet, ne veras bellorum civilium cauſas attingat: aut eas ſilentio præterit, aut arcanis myſteriis verum obtegit. Juno & Dii Carthaginis Patroni, qui Ju-gurthæ mortem ulciſcuntur, ejuſque manibus mactant eorum nepotes, qui Regem illum vicerunt, ſunt cauſæ.

V. 28. *Rettulit*, i. par pari retulit. Inferiæ ſunt ſacrifi-cia, quæ fiebant manibus.

V. 29. Generatim exponit mala, quæ bellum civile con-ſecu-

Campus ſepulchris impia prælia
Teſtatur, auditumque Medis
Heſperiæ ſonitum ruinæ?
Qui gurges, ecquæ flumina lugubris
Iguara belli? quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?
Quæ caret ora cruore noſtro?
Sed ne relictis Muſa procax jocis
Ceæ retractes munera Næniæ,
Mecum Dionæo ſub antro
Quære modos leviore plectro.

ſecuta ſunt. Quæ ſententiarum elevatio! Qui Poetici ſpiritus! Flumina & voragines ſuas induunt perſonas. Italia ob oculos obverſatur tanquam corpus immenſum, cujus ruina perſonuere vel extremæ orbis regiones.

V. 30. Non intelligit Octavium, cum minime indicet, utri partium adhæreat impietas.

V. 34. Pars pro toto. Apulia Daunia pro tota Italia. hæc provincia ſtrenuorum militum ferax erat.

V. 37. Ulterius progredi timet, ne ſe in lubrico poneret, res ſecundi Triumviratus tractans.

V. 38. *Nænia* eſt lugubre Carmen; *retractes*, i. renoves.

V. 39. Quamvis Dione ſit Veneris mater, tamen hoc nomen ſæpenumero Veneri ipſi indirum fuit. Monet ſuam Muſam, ne amplius de bellis civilibus verba faciat, ne triſtes Simonidis verſus imitetur, ſed ut potius hilares canat, & jocoſos.

V. 40. *Leviore plectro*, i. cantu minus ſublimi. * horum 4 verſuum ſonus ſimilis eſt decreſcenti undarum frementium motui, vel potius ſono lyræ, qui, licet manum ab ea amoveris, tamen adhuc ſenſim paulliſper auditur. Id neceſſario in Natura accidit, cur non in Poeſi ejus imitatrice? *

CAR-

Digitized by Google

CARMEN II.

AD CRISPUM SALLUSTIUM.

Eum qui bene utatur divitiis, solum divitem: qui cupiditatibus imperet, solum esse beatum.

NUllus argento color est, avaris
Abdito terris inimice lamnæ,

Cri-

Hoc Carmen vehementer placere debuerat Sallustio. Elocutionis lautitiæ cum sententiarum nobilitate certant. Epicuri doctrinas exponens quasi aliud agendo it in laudes Sallustii, qui meta suis cupiditatibus posita honorifice magnis opibus fruebatur, quas ei congestas major avunculus reliquerat. Nonnulli putant, hanc esse Satiram, in qua amovere Sallustium sibi proposuerit ab immodicis sumtibus faciendis. Sed nec ex hac Ode, nec aliunde id colligitur, imo repugnat historiæ. Duæ res tempus indicant, quo hoc Carmen lucubratum est. Laudat Proculejum, qui liberaliter egerit cum suis Fratribus; & loquitur de Phraate ad Parthorum solium evecto. Post conjurationem Murenæ cavit, ne de Proculeji benevolentia verba faceret erga suos Fratres. Justinus & Dio dissentiunt de assignando anno, quo Phraates regnum recepit. Justinus ait: „ Antonius „ bellum Phraati intulit, sed graviter multis præliis vexa„ tus a Parthia refugit. qua victoria insolenter Phraates „ redditus, quum multa crudeliter consuleret, in exilium „ a populo suo pellitur, itaque cum magno tempore finiti„ mas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, „ Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Absen„ te Phraate regem Parthi Tiridatem constituerunt, qui „ audito adventu Scytharum cum magna Amicorum manu „ ad Cæsarem in Hispania bellum tunc temporis gerentem „ profugit „. Ex his Justini verbis colligitur, saltem 10. annos exulasse Phraatem; nam ipse Antonium vicit anno 718., & regno restitutus est a Scythis anno 728. Sed Dio aliter rem narrat. ait enim, Phraatem solio redditum post Antonii mortem anno 724. „ Tunc Antonio mortuo, Ti„ridates victus in Syriam confugit, Phraates victor lega„ tos ad Cæsarem misit. „ Utri Historico habenda fides est?

Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculejus ævo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna renuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis

Ga-

est? Justinus sequitur Trogum Pompejum Augusti æqualem, sed Epitomen facit, & ordinem temporum perturbat, præsertim ubi de Parthorum Regibus agit, ut luculenter probat *Bayle* de Attabano primo. Sed Dio licet duobus seculis Augusto posterior, res tamen diligentissime servato temporum ordine percurrit, cum eas facile ponderare potuerit; ipse certe fatetur, se usque ad annum 728. secutum fuisse *acta publica*. ergo Dioni potius adhibenda fides. ergo hoc Carmen concinnatum est inter annum 724., & 732. Rodillius perperam adponit annum 724. quomodo enim eo anno quo idibus Sept. Cleopatra se letho dedit, quo Phraates regnum occupavit, Augustus res Ægypti composuerit, in Syriam iverit, Tiridatem & legatos Phraatis exceperit, & harum rerum omnium nuncius Romam pervenerit, & Poeta hoc Carmen ante anni finem persolvere potuerit? Masso vero ex v. 27. ep. *Fructibus Agrippæ* colligit, hanc Odem, quam interpretamur, anno 734 exaratam fuisse. Sed hæc Ode, & illa Ep. nil habent sibi commune. loquuntur enim de duobus diversis eventibus, & 10. annorum intervallo inter se distantibus. hic enim Phraates per Scythas in regnum rursus ascendit, illic vero se Augusto submittit. Deinde ex ejus sententia hæc Ode scripta fuisset post Cepionis & Liciaii conjurationem, quod fieri nequaquam poterat.

V. 1. *Color*, i. nitor, dignitas.

V. 3. Crispus faciebat sumtus habita ratione redituum, & dignitatis.

V. 5. Hi quatuor versus sunt admiratione digni.

V. 8. Magnæ divitiæ nostra vota potius accendunt, quam expleant. Cupiditatem habendi reprimat, oportet, qui ditescere vult. Indicat Carthaginem in Libya, & Carthaginem in Hispania. fallitur Grotius, qui in suis notis ad Deuteron. XVIII. 10. asseruit, *utrumque Pœnum* esse Syrophœnices, i. Tyrios, & Libyphœnices, i. Carthaginenses.

Digitized by Google

Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus Hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraatem,
Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit virtus: populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus, regnum & diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

V. 13. Tumescit magis, ideoque morbus augetur, hydropisis languorem inducit membris.

V. 19. Juxta Epicurum sapientia illa est, quæ cupiditatem cum ratione, & voluptatem cum officiis capessendis consociat.

V. 20. Monet populum, ne utatur falsis vocibus, præjudicatis rerum opinionibus.

V. 23. Non retorquens oculos.

CARMEN III.

AD Q. DELIUM.

Vitæ felicitatem in mentis æquabilitate, & honestis voluptatibus positam esse.

ÆQuam memento rebus in arduis
Ser-

Delio præcepta tradit Philosophiæ Epicureæ. Anima & corpus illius Philosophi sententia constabant eadem materia, & ambo voluptatum summo consensu ad bene vivendum vires suas conferre debebant. Postquam Delium hortatus est, ut animum suum posito cupiditatibus modo tranquil-

Digitized by Google

Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli,
Seu mœstus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni:
Qua pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ra-

quillet, permittit quoque, ut suis sensibus honesta tribuat oblectamenta. Credibile est, hoc veluti Epistolium contextum fuisse aliquot annis post quam Delius ad Octavii partes desciv it, i. post annum 725.

V. 1. In utraque fortuna Virtus scopulos offendit. Prospera nos nimium erigit, adversa prosternit, atque abjicit. Extremus Rationis conatus in eo totus est, ut nos contra nimiam animi confidentiam, & abiectionem tueatur. Ad hanc animi æquabilitatem nos potissimum potest redigere mortis cogitatio, quæ omnibus illis fortunæ vicibus finem imponere olim debet. Hæc una cogitatio & in calamitatibus patientiam, & moderationem in voluptatum usu nobis præbet.

V. 4. Hic versus refertur ad *rebus in arduis. O Deli, seu mœstus omni tempore vixeris, seu &c. quandoquidem moriturus es, memento servare mentem æquam.*

V. 6. *Remoto*, i. in loco graminibus consito. *reclinatum*, i. stratum.

V. 8. Indicat vinum vetus, quotannis prius effundebatur ad usum vinum ab iis doliis, quæ foribus cellæ vinariæ propiora erant; hinc vetus in remotioribus partibus reservabatur. Romani notabant in cadis agrum, in quo vinum natum fuerit, & annum quo prælis effluxit. fortasse etiam intelligit vinum in certa, & opportuna tempora repositum propter dignitatem.

V. 9. & 10. Lentum voluptatis sensum exprimit eleganter. versu vero 11. & 12. motu verborum rapido harmoniæque plenissimo cursum fluminis obliquum graphice describit. hæ arbores, quæ suos intertexunt ramos, videntur blande unumquemque subinvitare ad umbram. *laborat*, i. properat ambagibus evadere, quibus ejus fuga præpeditur. Duo sunt populorum genera, aliæ albæ, aliæ nigræ. præterea folia populi alba sunt in posteriore parte, & viridia subobscura in anteriore, hinc Virg. *populus bicolor*.

Digitized by Google

Ramis, & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo;
Huc vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amœnæ ferre jube roſæ:
Dum res, & ætas, & Sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coemtis ſaltibus, & domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes, & extructis in altum
Divitiis potietur heres.
Dives ne priſco natus ab Inacho
Nil intereſt, an pauper, & infima
De gente ſub Dio moreris,
Victima nil miſerantis Orci.
Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna. Serius ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impoſitura cymbæ.

V. 15. Tria Delium ad relaxandum animum vocabant. *res*, i. bona ad meliorem ſtatum redacta poſt victoriam Actiacam: *ætas*, i. flos juventutis, quæ gaudia quærit; *fila trium Sororum*, i. bona valetudo, quæ plures vitæ annos pollicebatur. Si ex his tribus rebus una deſit, parum titillant animum voluptates.

V. 17. Hinc explicatur τὸ *res*. qui domos coemit, agros, & nemora, & adhuc arcas argento plenas habet, poteſt facillime dare ſe ſolatiis.

V. 21. *Nil intereſt, dives ne, & priſco natus ab Inacho ſub Dio moreris, an ſub Dio moreris pauper & infima de gente. dives* opponitur τῷ *pauper*, & *priſco natus ab Inacho* certat cum τῷ *infima de gente*.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN IV.

AD XANTHIAM PHOCEUM.

Eum ab erubescendo avocat, quod Phyllida Ancillam pereat, exemplo heroum.

NE sit Ancillæ tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu; prius insolentem
Serva Brisеis niveo colore
Movit Achillem.
Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivæ dominum Tecmessæ:
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta.
Barbaræ postquam cecidere turmæ
Thessalo victore: & ademtus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Grajis.
Nescias an te generum beati
Phyllidis flavæ decorent parentes:

Re-

Eleganter, accurate, & feliciter elaborata est hæc Ode ab Horatio ætatis annum 40. agente, ut ipse monet.

V. 2. Xanthias erat procul dubio quidam alienigena valde notus in Augusti aula. *prius* refertur ad τὸ *movit*. *insolentem*, i. superbum.

V. 8. Cassandra.

V. 9. Trojanæ. hi quatuor versus pendent a τῷ triumpho.

V. 10. Achille in Thessalia nato.

V. 11. Erat decimus obsidionis annus.

V. 13. Callide occurit responsioni, quæ dari poterat: nempe captivas, quas nominavit, esse filias Regum, idcirco potuisse sine ulla infamiæ nota amari, & illa exempla nullam habere vim ad comprobandum amorem, quo Xanthias Phyllidem prosequebatur, quæ certe obscuro loco nata erat.

Digitized by Google

Regium certe genus, ac penates
Mœret iniquos.
Crede non illam tibi de ſceleſta
Plebe delectam: neque ſic fidelem,
Sic lucro averſam potuiſſe naſci
Matre pudenda.
Brachia, & vultum, tereteſque ſuras,
Integer laudo. fuge ſuſpicari,
Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere luſtrum.

V. 15. *Regium genus* caſus rectus. cum multa regna ſibi ſubmiſerint Romani, accidere poterat, ut aliqua uxor, aut conſanguinea Regum captiva facta fuerit, & ignota vixerit. Phyllis queri debebat de Penatibus, qui ſuum genus ad extremas calamitates dejici paſſi ſunt, atque ad humilitatem.

V. 21. Puellæ choreas nudis pedibus ducebant. *teretes*, i. oblongas & rotundas.

V. 22. *Integer*, i. nullo amore ſaucius. ſe ſentiebat ineptum amoris caſtris, licet in Ode 19. lib. 1. dicat *in me tota ruens Venus*, & 50. annos natus Ligurinum perierit, ut fatetur Ode 1. lib. 4.

V. 23. 40 annos natus Horatius vale dixit amoribus; ut teſtatur in Carmine 19. lib. 1.

CARMEN V.

IN LALAGEM.

Quemdam a cupiditate habendæ Lalagis viro adhuc immaturæ blande revocat.

Nondum ſubacta ferre jugum valet

Latet, cui viro dicatum, & quo anno exaratum fuerit hoc Carmen. Certe ante 23. lib. 1. In hoc enim Lalage eſt puella, in altero vero ætate provectior. videtur Horatius eam in oculis tuliſſe. Vidimus Carmen 23. lib. 1., in

Cervice: nondum munia Comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuæ
Campos juvencæ, nunc fluviis gravem
Solantis æstum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvæ: jam tibi lividos
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore:
Jam te sequetur: currit enim ferox
Ætas: & illi, quos tibi demserit,

Ad-

in quo hujus Lalages forma prædicatur, Fusco Aristio dicari. nihil igitur obstat, quin putemus, hoc quoque eidem Fusco inscribi, qui eandem Lalagen efflictim amabat, & uxorem ducere volebat, quæ cum esset adhuc viro immatura non respondebat Amantis cupiditati. Eum itaque solatur, hortaturque, ut impatientis animi motus sedet, & expectet, donec Amica amoris igne per ætatem incalescat. Rem fortasse minus gratam Aristio optimo viro & Amico feciſſet, si eumdem hic nominasset.

V. 2. *Comparis*, i. mariti.

V. 3. *Ruentis* &c. i. perpruriscentis, amoris stimulis perciti.

V. 4. Hi quatuor versus sunt affabre facti.

V. 9. *Prægestientis*. ὑπερπροθυμιώντος.

V. 10. Ordo est. *Autumnus varius jam distinguet tibi lividos racemos, colore purpureo*. nempe Autumnus pomis præcinctus colore purpureo tinget suos racemos, qui adhuc virent.

V. 13. Ætatem, quæ præit pubertati, vocat ferocem, ardentem, instituta comparatione tempestatis, quæ præcedit Autumno.

V 14. Interpretes hoc loco a vero aberrant. fac, virum nondum medium vitæ suæ cursum, & puellam nondum tertiam suæ partem peregisse. Vita viri ad finem usque decrescit, puellæ contra usque ad dimidium crescit. Si vir natus sit 30. annos, puella vero decem, ut sexagesimus annus attingatur, utriusque anni non eodem modo numerabuntur, unusquisque annus vitæ illius demetur, & hujus adponetur.

nem-

Digitized by Google

Adponet annos: jam proterva
Fronte petet Lalage maritum:
Dilecta quantum non Pholoe fugax,
Non Chloris: albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiusque Gyges:
Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites,
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

siempe anni in illo per subductionem, in hac vero per additionem recensebuntur. Cum vir aget undetrigesimum annum, subtrahetur unus 30. præcedentibus, & reliqui erunt 29.; & hic annus adjungetur denis puellæ. hic numerandi modus in usu erat apud Romanos. Hactenus subtiliter Dacierius. Rosellus ita vertit locum: & onerabit Lalagen iis annis, quorum jacturam a te fieri passa est. * clarius puto sic explicandum locum. a media ætate usque ad finem vires decrescunt viri, & quodammodo anni demuntur; nam ad necem properat. Ab ineunte vero ætate usque ad mediam adduntur vires, & idcirco etiam anni, nam viribus additis se diu vivere sperat; ita quot anni dementur viro, tot puellæ addentur. *

V. 16. *Petet*, i. se admovebit marito.

V. 19. Chloris erat mater Pholoes. feminæ amori deditæ Romæ nudos humeros ostendebant.

V. 20. Elegans comparatio concinniore, & numerosiore versu efferri non poterat. *nocturno mari*, i. in mari noctis tempore.

V. 21. Gyges juvenis præ Lalage laudatur. Horatius ad senium vergens fortasse illum & Ligurinum puellis præferebat. παιδερωστία igitur laborabat. *Cnidius* vel quod ex Cnido, vel quod venustus fuerit, & Venereus.

V. 25. Dubitandi locum relinquit Gyges, utrum puellæ similis sit, an puero.

Digitized by Google

CARMEN VI.

AD SEPTIMIUM.

Invitat illum ad vitam secum ruri degendam.

SEptimi, Gades aditure mecum, & Cantabrum indoctum juga ferre nostra, & Bar-

Septimius eques Romanus proclivis erat ad sequendam Amici Poetæ sortem, atque adhæresendum ejus lateri. Declarat ei Poeta, se ambitionis omnino expertem esse, omnesque curas, & cogitationes ad bene beateque vivendum conferre, & ad traducendum reliquum vitæ spatium suaviter in villa Tiburtina, aut in Septimii prope Tarentum. Omnia decora e Naturæ sinu in hoc Carmen effluxere. Dacierius ait, hanc Odem concinnatam fuisse eo tempore, quo Horatius & Septimius ad sequendum Augustum se accingebant in Hispaniam, quo ille Princeps arma tulit anno 727. juxta Varronem. Non negandum, Augustum discessisse Roma hoc anno, sed reliqua aut dubia, aut falsa. Tribus illis annis, quibus Augustus abfuit, Poeta multa lucubravit, & de itinere suo in Hispaniam ne verbum quidem. Quamquam Poeta secutus fuerit Augustum, num certo scire poterat, se iturum in Hispaniam? anno 725 Cantabri & Asturii arma movebant, Statilius Taurus eodem anno eos debellavit. Anno 727 Apulejus bellum intulit Cantabris, & Augustus petivit insulas Britannicas, & moratus est in Gallia, condidit lustrum; illam provinciam administravit, inde pervenit in Hispaniam anno 729 ad devincendos rebelles Cantabros. Hæc certe ne divinare quidem Augustus poterat. Hæc Ode præcessit victoriæ, qua eos populos Princeps omnino imperio subjecit anno 734.

V. 1. Ait *mecum*, ut ostenderet, Septimium sibi maximo amicitiæ vinculo obligatum. Ita alibi Mæcenatem alloquitur, qui conscendere debebat classem Octavii contra Antonium iturus. (Ode 1. lib. 5.) Ideo quod Poeta de Gadibus, & Syrtibus loquitur, haud necessario credebat se iter facturum in Hispaniam cum Septimio, & secuturum Augustum. Gades enim & Syrtes tota Hispaniæ longitudine a Cantabris distant. Contra Dacierius: historici dicunt Augustum misisse classem in hos populos. Sed quis unquam notum

Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Æstuat unda:
Tibur Argeo positum colono,
Sit meæ sedes utinam senectæ:
Sit modus lasso maris, & viarum,
Militiæque.
Unde si Parcæ prohibent iniquæ,

notum fecit Horatio, Augustum, qui in insulas Britannicas profectus est, in Cantabros iturum fuisse, & tunc eos submissurum, cum Classem illam miserit? Hoc igitur Poeta sibi vult, nempe Septimium paratum esse secum ire per mare Libycum periculosum, & usque ad extremam Hispaniam. Hoc puerile est, subjungit Dacierius, inducere Septimium puerili more loquentem; Hispania non tam longe abest Roma, ut Horatius validissimum Amicitiæ argumentum esse testetur iter in Hispaniam. Sed Dacierius meminisse debebat Alpes, & Adriacum fretum minus abesse Roma, quam Hispaniæ fines: Nihilo tamen secius Ovidius ingentis amoris instar esse ait eas rupes superare: & Propertius Adriacum fretum navigare. Verbo, hi dicendi modi Poetici plurimum valent ad significandum amorem mutuum Horatii & Septimii.

V. 3. Dacierius quoniam videt Syrtes longe abesse a via, quam carpere debebant naves ex Italia in Hispaniam ituræ, contendit, nomine Syrtum venire mare Africanum. Sed fatetur ipse hunc locum favere interpretum sententiæ; quod certe argumento est, significari mare, & Syrtes Libyæ.

V. 7. Nulla est hic ironia. ait: quidquid fata ferant, sive teneatur iter facere terra, vel mari, ita volente fortuna, sive stipendia merere; se maxime optare, ut tandem lassas tot laboribus vires Tibure reficere posset. Ille versus certe non probat, Poetam profecturum fuisse in Hispaniam, & arma recepturum. Præterquamquod nominat Syrtes, & Gades, qua sane Roma in Hispaniam non itur. Horatius nomen dederat militiæ, Mæcenatem comitatus fuerat in conventu Brundusii, & in bello Siciliensi. Omnes hæ res bellicæ parum cum ejus ingenio faciebant, & corporis temperatione. Idcirco quietem optabat. Ordo est: *Tibur sit mihi lasso modus maris, viarum, & militiæ. maris*, i. navigationum.

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Baccha Venafro:
Ver ubi longum, tepidaſque præbet
Jupiter brumas: & amicus Aulon
Fertili Baccho, minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Poſtulant arces: ibi tu calentem
Debita ſparges lacryma favillam
Vatis amici.

V. 10. In regione Tarentinorum arietes lanam ferebant optimam, & pulchram. tegebantur pellibus, ne nivis vi, & aeris intemperie læderentur. *Galeſi flumen*, ut alibi *flet roſæ*, & Virg. *Urbs Patavi*.

V. 11. Tarentinum agrum.

V. 13. Hoc conditionale eſt, ut colligere licet ex 9 verſu. Tibur præſtat, quam ager Tarentinus in mente Poetæ, ſed Tarentum ei videbatur anteferendum omnibus locis excepto Tibure. Verſibus ſequentibus ſuaviter deſcribitur rus.

V. 14 *Angulus*. (V. Ind. *Apulia Meſſapia*).

V. 18. Aulon eſt mons Calabriæ vino generoſo celeber a vicina convalle, ubi eſt oppidum Aulonia, quaſi Vallonia, quæ & Aulon, & Caulonia dicitur.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN VII.

AD POMPEJUM GROSPHUM.

Amicum sibi ac Patriæ restitutum gratulatur.

O Sæpe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis, Italoque cœlo,
Pompei, meorum prime Sodalium?
Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos, & celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula,
Quum fracta Virtus, & minaces

Viso Amico, qui jamdiu abfuerat, Horatius supprimere lætitiam nequit; vocem tollit, prægestit, memoria revocat tempora, quibus eadem simul voluptates, & pericula ipsi sensere. Ille reditus adeo expectatus est veluti solemnis dies, quem celebrare incipit Poeta eo ferme momento temporis, quo dilectum Amicum amplectitur; sumtus facit, parari jubet convivium, dulcissimo Amoris sensu prope illiquefit. hoc tanquam extemporale Carmen est sane affabre factum. Hic mentis animique partus feliciter in lucem est editus obstetrice ipsa Natura, & auxiliante arte, Dacierius huic Carmini adponit annum 719, Masso vero, cujus potior sententia est, annum 715 (V. Horat. Vitam.)

V. 1. In summum vitæ discrimen.

V. 3. Hæc interrogatio non est dubitantis, aut ignorantis, sed quædam exclamatio, & vivida, naturalisque lætitiæ significatio regresso Amico, quem jamdiu studia partium amoverant. Sensus est. Quis te casus restituit? quam felici tandem fato restitutus fuisti!

V. 6. Longiores ætatis dies.

V. 8. Coronatus capillos nitentes malobathro.

V. 9. Senfi Philippicam fugam, interfui.

V. 11. Virtus ipsa resistendo impar fuit viribus. Sic Poeta

Turpe ſolum tetigere mento.
Sed me per hoſtes Mercurius celer
Denſo paventem ſuſtulit aere:
Te rurſus in bellum reſorbens
Unda fretis tulit æſtuoſis.
Ergo obligatam redde Jovi dapem:
Longaque feſſum militia latus
Depone ſub laurâ mea: neu
Parce cadis tibi deſtinatis.
Oblivioſo lævia Maſſico
Ciboria exple: funde capacibus

Un-

ta victos purgat, & victores laudat. meliores copiæ merebant ſub Bruto & Caſſio, ſed Victoria penes Octavium & Antonium fuit. quo formidoloſior eſt hoſtis, eo glorioſior ejus clades.

V. 12. Inquinatum ſanguine. pulchra ἀντίθεσις, & imago ad vivum expreſſa, quæ horrorem incutit. Victor prope morderi juſſi pulverem a ferocibus pugnatoribus.

V. 13. Me involvit nube, & a mediis hoſtibus ſurripuit.

V. 14. Nitet Allegoria aptiſſimis, egregiiſque verbis enunciata.

V. 17. Exſolve fidem datam, lita Jovi.

V. 18. Militia quinquennis infeliciter habita tædio afficit juvenem, qui arma cepit proſperæ fortunæ ſpe ductus. Groſphus ſecutus eſt Brutum anno 710, & Romam reverſus 715.

V. 19. *Lauru* in ſingulari numero pro plurali; diſtributivum pro collectivo.

V. 21. Oblivionem inducente curarum.

V. 22. *Ciboria* vocabant Ægyptii quaſdam fabas, quarum ſiliqua ſuperius ſe aperiebat, cum matureſcebat; idem nomen impertiti ſunt poſtea huic ſiliquæ, qua tanquam patera utebantur, tandem ciboria vocatæ ſunt omnes pateræ, quacumque conſtarent materie. *ciboria exple* non refertur ad ſervum, ſed ad Pompejum. ſenſus eſt: bibe ingentia pocula Maſſici, ſic diſſipabis curas. perperam Donatus interpretatus eſt Terentii locum in prima ſcena actus 5. Hecyræ: nempe *exple animum iis*; nam τὸ *iis* refertur ad τὸ *mulieribus*, *non rebus*.

Digitized by Google

Unguenta de conchis: quis udo
Deproperare apio coronas,
Curatque Myrto? Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est Amico.

V. 23. Conchæ sunt vasa conchilii figuram habentia. *udo*, viridi, recenti.
V. 24. *Deproperare*, festinanter nectere.
V. 25. Loquitur de talis, non de tesseris (V. Ind. *Venerius jactus*.)
V. 27. Volo hodie Bacchanalia agere.

CARMEN VIII.

AD BARINEM.

Non esse cur ei juranti credatur, formosarum enim perjuria a Diis non vindicari.

ULla si juris tibi pejerati
Pœna, Barine, nocuisset unquam:
Dente si nigro fieres, vel uno
Turpiter ungui;
Crederem; sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis

Pul-

Elegantissima & mollissima est hæc Ode. latet ejus tempus. Satis est, scire, majorem tenerorum Carminum partem ante 40 ætatis annum Horatii prodiisse. inscriptio Odæ inventa est a Georg. Fab. *in Juliam Barinem Romanam*, & a Cruquio in codice quodam *in Juliam Barinem*.
V. 1. (V. Ind. *Veteres*.)
V. 5. Fortasse Barinem perfidiæ objurgaverat; & ipsa pollicita ei fuerat mutuum & parem Amorem, & inde scriptum est hoc Carmen hoc sensu. Si tua perjuria punita essent, fides promissis tuis haberetur, quia ob curam servandæ formæ caveres, ne, quæ exequi nolles, promitteres. *votis* ablativus.

Digitized by Google

Pulchrior multo, juvenumque prodis
Publica cura.
Expedit matris cineres opertos
Fallere, ac toto taciturna noctis
Signa cum cœlo, gelidaque Divos
Morte carentes.
Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphæ, ferus & Cupido,
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.
Adde quod pubes tibi crescit omnis:
Servitus crescit nova: nec priores
Impiæ tectum dominæ relinquunt,
Sæpe minati.
Te suis Matres metuunt juvencis,
Te senes parci, miseræque nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

CAR-

V. 9. Quoniam tua perjuria te pulchriorem efficiunt, prodest tibi violare cineres maternos, & diis fucum facere. fortasse hi 4 versus sunt quædam explicatio sacramentorum Barines, quæ audacter juraverit per manes maternos, per astra, per deos.

V. 16. Ostendit, Amoris crudelitatem. cos cruenta est, vel quia sagittæ sanguinem cotem inquinant, & cruentant, dum acuuntur, vel quia Amor pro oleo, & aqua utitur sanguine, dum eas acuit. Vividissima est utraque imago, vel, cum cos princeps causa sit, cur sagittæ Amoris infligant asperiora vulnera, ideo dicitur *cruenta*.

V. 17. Interpretes hujus loci artem minime animadverterunt. Ait Poeta: tibi, Barine, juvenes adolescunt. egregie dictum, perinde ac si illa fuisset Numen, cui devovendi essent homines a pueritia, & cujus etiam vestes, & colores sumendi. Hoc in usu erat apud veteres, quemadmodum etiam apud nos.

V. 18. *Priores*, i. veteres amatores.

V. 21. Metaphora a tauris juvenibus desumta.

V. 23. Poeta sibi fingit taurum, qui juvencam adesse sentit, & qui nares aperit ad excipiendam auram odore grato mixtam. *aura* est odor. apud Virgilium Æn. 6. *discolor*

Digitized by Google

lor unde auri per ramos aura refulſit : *aura* eſt ſplendor, ut explicat Servius. Horatius fruſtra depinxiſſet Barinem omni ex parte pulchram ſi ut volunt Tanaquillus, & Dacierius ipſa allexiſſet Amaſios obſcœno illo odore. *Aura* igitur hic eſt quidquid pellicere poteſt Amantes: nempe vultus, inceſſus, motus molliculi membrorum, vocis blanditus &c. Videtur idem eſſe, ac *ſpirabat amores*. O. 13. lib. 4.

CARMEN IX.

AD TITUM VALGIUM.

Amicum mœrentem de Filii morte conſolatur.

NOn ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ
Uſque, nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, ſtat glacies iners
Menſes per omnes; aut aquilonibus

Quer-

Non omnibus datum eſt per verba triſtes homines dolore levare. quo major eſt dolor, & juſtior, eo difficilius eſt, valida rationum momenta excogitare, quibus ſuperetur. Præterea ſi de iis rebus agatur, quæ ſemel amiſſæ, reparari minime poſſunt, non menti, ſed animo medendum eſt. Obnitendum eſt, ut vivida ſenſuum vis retundatur, reliqua jam tempus moderabitur. Simplices & minus exquiſitæ conſolationis cauſæ potius proferendæ, quam graviſſima philoſophiæ moralis præcepta, & argutulæ ſententiæ. Hac arte uſus eſt Poeta erga Patrem dilectiſſimi filii morte conſternatum. Non hoc ſibi ſumit, ut dolorem eius illico reprimat. Octo poſtremi verſus demonſtrant, Odem confectam eſſe anni 734 ultimis menſibus.

V. 1. Imitanda eſt natura. Hoc primo exemplo Valgium docet, triſtitiam moderandam eſſe. Cum terræ aſſiduis imbribus imbibuntur, fiunt hiſpidæ, i. cœnoſæ.

V. 5. Poeta Titus Valgius ab Horatio & Tibullo non ſemel laudatus eſt,

Digitized by Google

Quercta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademtum, nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.
At non ter ævo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos: neque impubem parentes
Troilon, aut Phrygiæ Sorores
Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum: ac potius nova
Cantemus Augusti tropæa
Cæsaris, & rigidum Niphatem,
Medumque flumen gentibus additum
Victis, minores volvere vortices:
Intraque perscriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

V. 7. Hæ sunt dicendi formæ, quæ animant, ut ita dicam, res, quæ percipi sensu nequeunt. hæc est lyrica elocutio.

V. 9. *Urgere* significat rem obnixe insectari, premere.

V. 10. *Mysten* est vox religionis, quæ sonat *conservatum*, *initiatum mysteriis*. fortasse erat cognomen Titi Valgii. Solebant Veteres quandoque sacrare filios alicui Deo.

V. 12. Consulto noluit duo nomina præbere stellæ matutinæ, & Vespertinæ, ut indicaret eam esse unam, eandemque stellam.

V. 13. Alterum exemplum proponit Valgio. (V. Ind. *Nestor*.)

V. 18. Nihil validius afferri poterat Valgio, ad compescendum dolorem, quam ut communi lætitiæ vacaret. Denotat Augusti res gestas in Oriente, & Romana insignia restituta.

V. 20. Per *Niphatem*, i. Tigrim, intelligit Armenos, per *Medum flumen*, i. Euphratem, Parthos.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN X.

AD LICINIUM VARRONEM MURENAM.

Hortatur, ut mediocritate contentus æquanimitatem retineat.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Sævius ventis agitatur ingens
Pinus: excelsæ graviore casu
Decidunt turres: feriuntque summos
Fulmina montes.
Sperat infestis, metuit secundis

Alte-

Hic Licinius Varro Murena frater Proculeji fuit adolescens ingenio ardenti, irrequieto, ambitioso, prosperæ, & adversæ fortunæ sustinendæ impar. Optimis indigebat præceptis, quæ ab Horatio traduntur, sed iis minime usus est. Summopere cavet solertissimus Vates, ne verborum aculeis juvenem feriat. Omnis doctrinarum apparatus variis metaphoris veluti integumentis circumvestitur. Breve est hoc Carmen, facile captu, egregiis versibus contextum, & multis comparationibus exornatum. Disciplina moralis summa animi provisione pertractanda est, ne sermonis ariditate molestiam afferat, & prolixitate. Confectum fuit post annum 724, quo bella civilia terminata sunt, & ante 732, quo erupit Fannii Cæpionis, & ejusdem Licinii conjuratio.

V. 1. Metaphora nobilis & apta.

V. 9. *Sævius agitur ventis pinus*, quemadmodum dixit: *excelsæ turres, & fulmina gravius feriunt summos montes*.

V. 13. Vir virtute decorus instabilitate fortunæ utitur in rem suam, putat timendum sibi esse in rebus prosperis, spe-

Alteram ſortem bene præparatum
Pectus. informes hyemes reducit
Jupiter, idem
Summovet. Non ſi male nunc, & olim
Sic erit. Quondam cytharæ tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.
Rebus anguſtis animoſus, atque
Fortis appare; ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

ſperandum vero in adverſis, & felicitatis fontem in utroque ſtatu nanciſcitur.

V. 15. *Informes*. inſignis vox. hyems faciem rerum omnium conſtriſtat, & mutat, Naturam deturpat.

V. 19. *Muſam cytharæ*, i. cytharam. Poetica φράσις & ingenioſa. ſignificat, chordas cytharæ ad numerum ducere: *accordar lo ſtrumento*.

CARMEN XI.

AD QUINTIUM HIRPINUM.

Animum Quintii a publicis privatiſque curis ad hilaritatem convertit.

QUid bellicoſus Cantaber, & Scythes,
Hir-

Sunt qui felicitatem adipiſci aut neſciunt, aut nolunt, τῆς φαντασίας arbitrio addicti, quot rerum vices offendunt, totidem ſolicitudinis cauſas ſibi adſtruunt; triſtiſſimas eventuum ſuppoſitiones pro factis repugnante veritate ſuſcipiunt. Hujuſmodi erat Quintii ingenium. In media urbe, in domo locupleti, ab omnibus belli terroribus ſemotus, fortunas ſuas, & imperii jam fatiſcere & labare uſque verebatur. Studebat ſemetipſum undequaque tueri contra malorum impetum, quæ nunquam eventura eſſent. Proviſarum rerum multitudine prope infinita ſemper onerabat animum ſuum,

Digitized by Google

Hirpine Quinti, cogitet, Adria
Divisus objecto, remittas
Quærere: nec trepides in usum
Poscentis ævi pauca. Fugit retro
Levis juventas, & decor, arida
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemque somnum.

Non

suum, dum commentitia mala effugere connitebatur. Poeta huic Amici sui morbo remedium adhibere aggreditur. duo vel tria proponit consideranda sane optima, brevia, & naturalia. Postremum est, omnes curas vino mergendas esse. Piaculum esset, ab Epicureo homine hoc remedium missum fieri, quod adeo efficax esse asserit, & præsens, ut in diem posterum differendum non sit. Hæc Ode videtur ex officina Epicuri prodiisse, cui brevitas humanæ vitæ non satis visa est habere spatii ad voluptates perfruendas. Scite perficitur hoc Carmen. Scena primum gravis, deinde sensim hilaris fit, & ambo Actores tandem in secessu campestri, in fluminis ripa pocula manu tenentes genio indulgent. Hoc tempore Poeta canos habebat capillos. Ergo hoc Carmen cecinit post annum 730. fortasse etiam pluribus annis post 730, inter 45, & 50 ætatis annum. De Cantabris, & Scythis verba non feciisset, nisi bellum cum ipsis tunc gereretur. Putat Cruquius hanc Odem inscriptam fuisse ad *Quintium Crispinum*, qui gessit eo tempore Consulatum cum Druso Nerone, dum hujus frater Tiberius bellum faciebat adversus Dalmatas, Pannonios, & Dacos.

V. 2. Non est sermo de Consule, ut credit Dacierius; ipse Quintius, de quo res est, erat jam ætate provectus, ut apparet ex 8, & 15 versu, cum Consul esset adhuc juvenis post Horatii mortem. *Adria divisus*, i. longe submotus ab Adria nobis objecto. duæ res præsto sunt tranquillando Quintii animo; Mare Adriacum est Italiæ velut propugnaculum, & Barbari longe absunt.

V. 4. Nec anxius unde undique quæras, quomodo vitam sustentes, quæ contenta est paucis.

V. 5. Scite tractat τὸ πάθος. imago est numeris omnibus absoluta. Cernere est, a senecta pelli juventutem, amores, & somnum. Hinc collige, quam divina ars sit Poesis. sed præclare & laudabiliter ficta a veteribus hodie vilescunt assiduo usu, & imitatione servili.

V. 6. *Levis* pro leviter.

Digitized by Google

Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis, neque uno Luna rubens nitet
Vultu. Quid æternis minorem
Conſiliis animum fatigas?
Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pino jacentes ſic temere, & roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque nardo
Potamus uncti? diſſipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocyus
Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lympha?
Quis devium ſcortum eliciet domo
Lyden? eburna, dic age, cum lyra
Maturet, incomptam Lacenæ
More comam religata nodo.

V. 9. Quintius ætate provehebatur, tempus erat igitur, quo ſe ſolatio dederet.

V. 13. Videtur Horatius ruri fuiſſe.

V. 15. *Odorati*. participium paſſivum, antiqua Aſſyria vocatur hodie *il Diarbeck*.

V. 18. *Quis puer*. en poetici ſpiritus ſubita vis.

V. 21. Interpretes intelligunt meretricem minime publicam, quam opponunt poſtribulo quod erat meretrix vaga. nimis acute. *Devium* hic forte ſignificat a via magna, & publica remotum. Roſellus teſtatur, deviam vocatam Lyden, quia ipſa ignorabat, qua via aditura eſſet Horatium, qui Roma aberat.

V. 23. *Incomtam*, i. negligenter fuſam. Roſellus, qui legit *in comptum nodum* ita vertit: maturet fuſa capillos, more Lacenarum, nec eos colligat nodo eleganti, ut ſolent Romanæ.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XII.

AD MÆCENATEM.

Se molli ſua lyra uſum non poſſe ad graviora adſurgere argumenta, & a Muſa vocari ad dicendas Terentiæ laudes.

NOlis longa feræ bella Numantiæ,

* Dacierius & Sanado, ut ceteros taceam, ab Horatii mente longe abſunt, minus tamen ille, quam hic. Ac ille quidem putat, Horatium a Mæcenate compulſum ad deſcribenda ultima bella allegorice locutum fuiſſe, & comparaſſe Brutum & Caſſium Gigantibus, & Antonium vinolento Hyleo. Incredibile ſane eſt, Horatium, qui horum duorum ducum cineres ſemper veneratus eſt, duos priores ſecutus eſt, alterius filium dilexit, repente omnibus maledicere. Deinde putat una cum Coſta, hanc Odem ſcriptam fuiſſe in nuptias Mæcenatis & Terentiæ. Si ita ſe haberet, potiori jure Mæcenas avocandus erat a condenda bellorum, & victoriarum Auguſti hiſtoria. Credibile eſt præterea multo ante annum 725, quo (ut ex 11. verſu colliges) exarata fuit hæc Ode, Mæcenatem in matrimonium accepiſſe Terentiam. Aliter enim nimium provectus ætate eam ſibi adjunxiſſet eo anno, quo 40 ferme ætatis annum agebat, cum contra Auguſtus anno 716, annos natus 27 quartam uxorem duxerit Liviam. Sanado vero tale conſtituit hujus Odæ argumentum: Nempe Horatium Licymniæ Sorori aut Filiæ Julii Licinii Liberti J. Cæſaris (quem poſtea Gallis præfecit Auguſtus anno 736, & cujus rapinas refert Dio lib. 54) addictum non poſſe ad graviora argumenta aſſurgere. Deinde Odas *Scriberis Vario*, & *Pindarum quiſquis* eſſe huic ſimiles, ſed hanc diverſo modo contextam fuiſſe, & prolixiori ratione cauſam tractari, qua ſe purgat; Elegiam vero primam libri ſecundi Propertii, & hujuſmodi Odem eſſe perſimiles, atque adeo geminas. Errat ſane Sanado. Poterat quidem Horatius ex præſtanti ingenii vi, poeticoque ſpiritu ingenito longum Poema condere, ideoque jure a

Mæ-

Digitized by Google

Mæcenate, Agrippa, & Augusto sæpe ad id efficiendum urgebarur. Sed ipse natura sua longorum operum impatiens erat, multis amoribus, variisque identidem distinebatur, mollibusque versibus scribendis assueverat. Turpe vero fuisset Horatio dicere, se amore detentum Filiæ liberti non posse Poema conficere. Propertius elegiarum scriptor longeque inferior ingenio & judicio excusandus, si propter puellæ amorem a conficiendis Poematibus avocaretur. Horatius igitur ea, qua præditus est ingenii calliditate potissimam causam affert, quam Mæcenas necessario probare debebat. dicendum enim est, cum Dacierio, Rodillio, aliisque ibi verba fieri de Terentiæ Mæcenatis uxore, & Poetam non amantis instar, sed admirantis pulchritudinem nobilis feminæ laudibus efferre, dulcibusque imaginibus suum Patronum mirum quantum delinire. Nec vero Acro hallucinatus est, ut putat Sanado, in notis ad Sat. 2. lib. 1, ubi ait, *semper incerta pro certis, ut alibi: me dulcis dominæ Musa Liciniæ, pro Terentiæ*. Licinia enim erat nomen incertum, cum plures familiæ essent Liciniorum Romæ, ex quarum una erat Licinius Murena, Proculejus, & Terentia eorum soror. Ergo iis verbis nullus inest nec Acronis, nec exscriptorum error. Secunda vero syllaba in *Licinia* vel corripi vel produci pro lubitu poterat, non reclamante prosodia. Quemadmodum idem Horatius producit secundam syllabam in *Apulia* & corripit in *Appulus*. Gratis vero asserunt nonnulli, nondum Mæcenati nuptam fuisse Terentiam, dum Poeta hanc Odem concinnabat. Accipe nunc quod sentio de hujus Odæ argumento. Mæcenas, qui Horatii ingens & sublime ingenium, & acre judicium probe noverat, eum sæpe ad conficiendum Poema hortatus est. Fortasse etiam multa argumenta vel ex fabulis, vel ex historiis depromta proposuit. Deinde ejus idem Patronus ita efflictim Terentiam deperibat, ut eam osculari, & amplecti coram Amicis non vereretur, ut olim coram Sempronio Galba, qui se dormire simulabat. Idem tamen eam sæpius repudiaverat nonnullis de causis, & rursum receperat. Hinc teste Seneca eam millies duxisse dicitur, cum semel duxerit. Huc adde, quod Terentia die festo Dianæ præsentibus fortasse Horatio, & Mæcenate cum ingenuis puellis saltavit. His præmissis dico, Poetam postulante Terentia hanc Odem scripsisse, ut Mæcenas offensionum oblivisceretur, & eam rursus duceret. Hinc callide & apte initio statim occasionem arripit supprimendi & eludendi importunas ejusdem Mæcenatis voces de Poemate Epico, ut supra diximus. Sublimia illa argumenta tam fabulosa, quam historica confu-

Digitized by Google

Nec durum Annibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum sanguine, mollibus
Aptari cytharæ modis:
Nec sævos Lapithas, & nimium mero

fusim, ac summatim in modum contemnentis coacervat, aitque satis esse, bella, victoriasque Cæsaris ab eodem Mæcenate describi, ut melius. Et repente ostendit, se ita artibus & forma Terentiæ vinci, ut eam solam suis Carminibus dignam prædicet, omnibus argumentis præferendam. Poterat ne Mæcenas effœminatissimus homo, uxorisque perdite amans id negare Poetæ? Idcirco Flaccus in eo totus est, ut in describenda affabre Terentiæ forma, amatoriisque artibus veluti incantamentis Patronum suum permulceat, ac voluptate prope illiquefaciat, & in suam sententiam pertrahat. Cognoscamus aliquando tandem Horatii ingenium. Bipartito dividitur hæc Ode. Prima pars magnifico stilo, sed eodem tempore defunctorie pertractatur, ut altera magis eluceſcat, quam mollibus versibus, maxime ad naturam factis, & ad τὸ πάθος ingeniose ac vivide persequitur. Dedita opera ornatum in verbis quærit, ut ad Mæcenatis stilum quoad fieri sine vitio possit, accedat. *

V. 2. Τὸ *durum* opponitur τῷ *mollibus*. agit de primo bello Punico, quo Romani tribus maximis præliis Pœnorum copias profligarunt in mari Siculo. Primum administratum fuit a C. Duillio, alterum a Conss. Attilio Regulo, & Manlio Vulso, tertium a Luttatio Catulo. In secundo Classis 360 navium prorsus eversa est, & 27000 Pœnorum capta.

V. 3. Non hoc sibi vult, quod putant Lambinus, & Torrentius, res graves & Tragicas Lyricis versibus non convenire, nam Carmina Pindari, & Horatii contrarium probant. Indicat Lyram suam aptam esse duntaxat dulcibus sonis emittendis.

V. 5. *Nolis*, i. frustra a me expectares, ego nequeo canere &c. nempe significat, se se imparem esse, canendis rebus magni momenti, & heroico Carmine dignis. Quatuor argumenta Heroica proponit: nempe bellum Numantinum, bella Punica, bella fabulosa, & bella Augusti. Servius lib. 2. Georg. Virgil. ait, Mæcenatem scripsisse Augusti vitam; & Plinius lib. 7. c. 46. testimonio utitur Mæcenatis, dum aliqua refert illius Principis vitam spectantia. Stultus essem, inquit, si canere aggrederer bella Numantiæ, cum tu Mæcenas melius celebres Augustum. perinde

ac

Hyleum, domitoſque Herculea manu
Telluris juvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: tuque pedeſtribus
Dices hiſtoriis prælia Cæſaris,
Mæcenas, melius, ductaque per vias
Regum colla minantium.
Me dulcis dominæ Muſa Liciniæ
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis Virginibus, ſacro
Dianæ celebris die.
Num, tu, quæ tenuit dives Achæmenes,

Aut

ac ſi diceret, res præclare geſtas illius Principis prodigiis hiſtoriæ, & fabulæ antiſtare. Adulatur maxime Auguſto, & Mæcenati. *pedeſtribus*, i. ſtilo ſimplici, proſa Oratione. non hortatur hic Mæcenatem ad canendas Auguſti laudes, fortaſſe Mæcenas jam vitam Auguſti multo ante deſcribendam ſuſceperat, ſed indicat, eum ſolum parem eſſe tanto oneri.

V. 13. * Imperio Muſæ compulſus canere debeo Liciniam, i. Terentiam, quæ dulcem emittit vocem dum canit, & ex oculis fulgorem, & tibi fida eſt in amore. Hæc eſt altera Odæ pars, & præcipua. par erat ſane, atque æquum aliquando tandem Poetam ſicut in cæteris in hoc etiam gratificari, & obſequi Mæcenati, ut tam pulchram, tamque dilectam feminam, eamdemque maxime illuſtrem laudaret. *.

V. 17. Quam maxime decet, vel quæ maxime excellit in Choreis ducendis, in jocis apte & belle in Matronarum cœtu concinnandis.

V. 18. Porrigit manum puellis, quæ coeunt ad celebrandum Dianæ diem feſtum.

V. 19. *Ludentem*, i. ſaltantem.

V. 21. *Achæmenes* Perſarum Rex. * hic Sanado in omnem faciem ſe vertit, ut aliquo modo Horatii locum explicet, ex ſua ſemel ſuſcepta ſententia. (ait enim) per ſuppoſitionem

Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes
Permutare velis crine Liciniæ,
Plenas aut Arabum domos?
Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem, aut facili sævitia negat,
Quæ poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet.

nem loquitur sic: si tu Mæcenas agnosceres omnia decora, quæ ego aspicio in Licymnia, præcipue ejus corporis habitum, animi hilaritatem, ingenii vim, & solertiam demitareris. quid inquam? comæ ipsius forma videretur tibi divitiis Regum anteferenda: si ita verba Poetæ accepisset Dacierius non ausus fuisset dicere, ridiculum sensum iisdem ineſſe. hactenus Sanado. Sed profecto errat. Animadvertendum est hoc loco Horatium imitari Mæcenatis stilum, & fortasse eosdem dicendi modos usurpate, quibus ille laudabat uxorem suam. sensus est. Num tu, cum agnoscas tot decora Terentiæ, vel crinem ejus permutare velis opibus Persarum, Phrygum, vel Arabum? ait *permutare crine opes* per Hypallagen. hæc sententia maxime e natura est, & denotat de nulla alia femina, quam Terentia verba fieri. Cur enim Poeta dicat, *num velis*, &c.? Nonne notum erat Poetæ a Mæcenate unam Terentiam in oculis ferri solitam?

V. 25. Elegantissimi sunt hi postremi versus, & prioribus conjunguntur. sensus est: dum illa alio colla detorquet ab tuis osculis, vel dum specie evitare vult tua oscula, os suum facit obvium ori tuo.

V. 27. *Τὸ Poscente* conjungitur cum *τῷ eripi*. ordo est: *quæ oscula sibi eripi a poscente magis gaudeat*.

V. 28. *Occupet*, i. ipsa prior interdum properet rapere, dum se defendit, & elabi velle simulat. ea lusus amantium.

Digitized by Google

CARMEN XIII.

Diræ in arborem, cujus casu pene fuerat obtritus.

Ille & nefasto te posuit die,
Quicumque primum & sacrilega manu

Pro-

Poetarum illustrium est, res momenti vel parvi nobilitare. Casus arboris parum solidæ materiæ exhibet Orationi. Sed Poeta ex ingenii sui penu plurima ac egregia adjuncta depromsit, moralia nempe præcepta, Alcæi, & Poetriæ Lesbiæ laudes. Hæ lyricæ digressiones a quibusdam nimis rigidis censoribus non omnino probantur, qui rem ita Vati persequendam esse contendunt, ut ne latum quidem unguem ab argumento discedat. Hujusmodi litteratores vim & ingenium Poeseos, & præsertim Odarum ignorant. Lyrica enim Poesis permittit, postulat etiam quandoque illos τῆς φαντασίας volatus, qui rem elevant, & ditant. Non ego rationem obtendo omnibus digressionibus, quibus se totum dedit Pindarus, aliique Poetæ. In eo Horatii dexteritas admiranda, quod ejusdem rei vi rem ipsam deserere cogitur. Ex V. 17, & 18. licet pespicere, hanc Odem scriptam fuisse ante 734 annum, quo pacis fœdera sancivit Augustus cum Phraate Parthorum Rege, qui Romana vexilla reddidit.

V. 1. Perturbatum locum hunc agnoverunt interpretes, & alii aliter explicant. aliqui hunc ordinem proferunt. *o arbor, quicumque te manu sacrilega produxit primum, te, inquam, exitio posterorum, ac sempiternæ pagi tui ignominiæ natam, ille nefasto die te posuit.* Hoc modo non solum magis perturbatur Ordo, verum etiam dicendi formæ mutantur. alii vero ita: *o arbor, ille & posuit te nefasto die, & sacrilega manu produxit in nepotum perniciem, opprobriumque pagi:* vel *o arbor, quicumque te posuit & produxit, ille te & posuit nefasto die, & sacrilega manu in nepotum perniciem, opprobriumque pagi; te, inquam, triste lignum, te caducum* &c. Hic postremus ordo est Dacierii & aliorum, & a Bentlejo improbatur, quia subaudiendum sit iterum τὸ *posuit*, & *produxit*, quibus vocibus posponendum fuerat τὸ *quicumque primum*, non autem interponendum. Torrentius ait; *principio admodum perturbato utitur Horatius velut recenti*

Produxit arbos in nepotum
Perniciem, opprobriumque Pagi:
Illum & parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, & penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colcha,
Et quidquid usquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui statuit meo,
Te, triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas. Navita Bosphorum
Pœnus perhorrescit, neque ultra
Cæca timet aliunde fata:
Miles sagittas, & celerem fugam
Parthi: catenas Parthus, & Italum
Robur: sed improvisa leti
Vis rapuit, rapietque gentes.
Quam pene furvæ regna Proserpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum,

centi adhuc discrimine. Pentlejus mutare verba Auctoris solitus ita legit, & sibi plaudit: *Illum, o, nefasto te posuit die, quicumque* &c. *illum parentis* &c. Sanado locum planum & facilem putat esse, miraturque tot viros insignes cæcutiisse. ita igitur ille: *quicumque*, vel *quisquis ille* &, *posuit te primum nefasto die, & sacrilega manu produxit .... illum crediderim* &c. (V. ind. *dies nefastus*.) *posuit*, i. *fevit. produxit*, i. educavit, promovit in altum. *statuit*, i. transtulit, transevit. arbor sata fuit & educata in agro Sabino, inde translata in fundum, quo a Mæcenate donatus fuit Horatius.

V. 4. Serio agit simul, & jocatur.

V. 10. *Caducum*, i. casurum. Statuit te eo consilio, ut caderes. ille hoc capitis periculum subiit Cal. Martiis: ut apparet ex primo versu Carminis *Martiis cœlebs*.

V. 13. Altera pars Carminis; a casu arboris gradum facit ad disputandum de cautionum inanitate, quas homines curiose parant ad evitandam mortem, quæ semper tamen eos aliquo casu occupat, quem nunquam præsensere.

V. 26. Tertia & ultima Odæ pars.

Digitized by Google

Sedeſque diſcretas Deorum, &
Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus!
Et te ſonantem plenius aureo
Alcæe, plectro. dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli.
Utrumque ſacro digna ſilentio
Mirantur umbræ dicere: ſed magis
Pugnas, & exactos tyrannos
Denſum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum, ubi illis carminibus ſtupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
Quin & Prometheus, & Pelopis parens
Dulci laborem decipitur ſono:
Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

V. 25. *Popularibus*. populares dicuntur qui ſunt ejuſdem conditionis, & gentis.

V. 27. *Navis*, i. navigationis. pericula maris, quæ obivit Alcæus.

V. 34. Cerberus. arbitrio Poetarum corpora & membra aut diverſi aut ejuſdem generis coaleſcunt, vel multiplicantur.

V. 37. *Pelopis parens*. Tantalus.

V. 38. *Decipitur*, i. decipit, fruſtratur, active.

Digitized by Google

CARMEN XIV.

AD POSTUMUM.

Nec vitari mortem posse, nec retardari; divitiis, dum vivimus, liberaliter utendum.

EHeu fugaces, Postume Postume,
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti;
Non si tricenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plu-

Præcepta sæpius iterata plurimum quidem molestiæ, parum vero fructus afferunt. Fastidium vicit hic Horatii dexteritas, qui scite ex fontibus Philosophiæ Naturæ consentaneas præceptiones hausit, & tam jucunda rerum varietate condivit, ut eæ videantur novæ, & tu Amicum quidem sermocinantem, non præceptorem differentem audire videaris. Aliquæ sententiæ de vitæ brevitate ad optimam vitæ rationem capessendam Postumum sensim ducunt. Hoc Carmen mirabile est propter affabre constructæ ratiocinationis dignitatem in disciplina Epicurea, & propter singularem versuum harmoniam. Nullus certus adscribi potest annus huic Carmini; sed credibile est, Poetam eo tempore fuisse ætate provectum.

V. 1. Filius post Patris mortem genitus vocabatur *Posthumus*, sed extremus filiorum *Postumus*, i. postremus. Hic Postumus non est Julius Florus, ut putat Dacierius, nec ille Postumus, ad quem Propertius scribit elegiam: *Postume plorantem*. Nam Florus erat deditus militiæ, Postumus vero evitabat quidquid bonæ valetudini servandæ obesse poterat, tumultum belli oderat, & itinera. At Julius Florus erat Orator, Jurisconsultus, & illustris Poeta; si has animi dotes habuisset Postumus, eas profecto laudavisset Poeta; idem dicendum de Postumo Propertiano, qui fuit Æliæ Gallæ conjux.

V. 3. Vel generatim, vel ratione ætatis suæ, & Postumi jam provectæ.

V. 5. Trina Hecatombe.

V. 6. Active flecti nescium. *places*, i. tentes placare.

Digitized by Google

Extenta viſentur Lucrino
Stagna lacu: platanuſque cœlebs
Evincet ulmos: tum violaria, &
Myrtus, & omnis copia narium
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori.
Tum ſpiſſa ramis laurea ſervidos
Excludet ictus: non ita Romuli
Præſcriptum, & intonſi Catonis
Auſpiciis, Veterumque norma.
Privatus illis cenſus erat brevis,
Commune magnum: Nulla decempedis
Metata privatis, opacam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum ſpernere ceſpitem
Leges ſinebant. oppida publico

Sum-

V. 4. *Cœlebs* quia vineæ non conjungitur, non maritatur.

V. 5. Superabit altitudine. omnia verba in futuro poſita, *relinquent*, *viſentur*, *evincet*, *ſpargent*, *excludet*. ergo ſermo eſt de luxu futuro.

V. 6. Bella imago. ait, flores eſſe opes odoratas. Cicero ait. *copia agri*, i. opes camporum. Hic dicendi modus videtur audax Dacierio, ſed licet Poetis Lyricis aliqua in dicendo licentia uti. Roſellus ſuſpicatur, τὸ *copia narium* eſſe pro copia in uſum narium. *Proviſion per il naſo*. *Myrtus* num. plur.

V. 7. In viridariis, ubi olim erant conſita oliveta, quæ magnos reditus ferebant priori domino.

V. 14. Ordo horum verſuum idem eſt, atque illorum, quem videmus. *Creſcentem ſequitur cura pecuniam, majorumque fames*. genus ſecundi adjectivi differt a primi, quia refertur ad ſubſtantivum ſubauditum neutrius generis. In ſecundo exemplo τὸ *majorum* refertur ad τὸ *bonorum*, in primo *commune* eſt adjunctum τῷ *bonum*.

V. 15. *Privatis*. dandi caſus, pro *privatorum*. ordo eſt: *nulla porticus metata decempedis excipiebat privatis opacam Arcton*.

V. 17. Significat, veteres Romanos uti ſolitos cœtilibus lapidibus, aut mollibus ad domos privatas conſtruendas, & marmora reſervaſſe ad ædificia publica extollenda.

Digitized by Google

Sumtu jubentes, & Deorum
Templa novo decorare saxo.

CARMEN XVI.

AD POMPEJUM GROSPHUM.

Felicitatem coercendis cupiditatibus comparati.

OTium Divos rogat impotenti
Pren-

Cum Horatius doctrinas ab ipso Epicuri fonte deducit, fatendum est nihil æquius a Sapientibus pronunciari. Illius Philosophi *voluptas*, qua licentiosi homines abusi sunt, quam rerum imperiti execrati, nihil aliud est, quam optima tranquille & jucunde vivendi ratio, quæ sane in mutua ineſt mentis animique consensione, & quæ remotis omnibus, quæ tanto bono obsunt, ab æqua officiorum administratione exoritur. Opibus ex hoc principio petitis veluti seminibus sua consevit opera Poeta, & præcipue hanc Odem, qua ea tradit præcepta Amico, quæ ab ipsamet ratione dictata videntur. Postquam de corporis quiete in primis sex versibus locutus est, maxime expetendam proponit animi tranquillitatem, & in septimo versu ex prima ad alteram speciem gradum facit. Hic gradus interpretes præteriit. Poesis lyrica ordinatas, religiosasque locorum colligationes sæpe negligit, quæ τῆς φερτυσίας ignem certe imminuerent, & ingenitum impetum retardarent. His animadversis clarius fiet argumentum, & Carminis decora facilius in apricum proferentur. Dicendi formæ, & versuum numerus argumento, & scribendi rationi respondent. Torrentius, & Dacierius putant ex hac Ode colligi Octavii consilium de relinquendo Reip. regimine anno 725, vel 726. Verum Octavius simulabat, se velle tradere Senatui summam rerum potestatem, ut curis nimiis liberaretur. Cum contra Poeta hic Grosphum doceat, quænam sit vera sapientis felicitas. Quies Octavii erat prorsus externa, alterius vero intima. Deinde quomodo Horatius Agrippæ sententiam modo præponere voluerit Mæcenatis? repetitio τῆ̃ *otium* nihil facit pro Dacierio. Tibullus enim quinquies τὸ *spes* in postrema Elegia secundi libri, & τὸ *pax* in ultima libri primi Elegia repetit;

&

Prenſus Ægæo, ſimul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera Nautis:
Otium bello furioſa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Groſphe, non gemmis, neque purpura venale, nec auro.
Non enim gazæ, neque conſularis
Summovet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum:
Nec leves ſomnos timor, aut Cupido
Sordidus auſert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa, quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul

Se

& Ovidius ſex *tò tempus* in 6. Elegia lib. 4. Triſtium: Hæc pulcherrima Ode concinnari non potuit anno 719, quo tota Sicilia in Octavii ditionem venit. Carminis indoles & conditio palam facit, Poetam ætate provectum fuiſſe. Præterea Groſphus dum agros depoſcit, dum amiſſas fortunas reparat, dum bona multa congerit, non parum temporis inſumſit.

V. 1. *Impotenti*, i. violenter agitato.

V. 2. Circumventus, deprehenſus, ita ut evadere nequeat.

V. 11. Ingenioſe dictum & vere. dum privatus homo in mediocri rerum ſtatu ſuaviter vitam ducit, ditiſſimus contra triſtibus curis diſtinetur. eadem ferme ait Lucretius lib. 2. v. 47. *laqueata*, i. circa tecta laquearibus ornata.

V. 14. *Pars* pro toto. pro iis omnibus, quæ moventur, & uſui ſunt in menſa. *ſplendet*, i. ſplendidum habetur, pretioſæ ſupellectilis loco ducitur.

V. 15. Dives quieto ſomno minime fruitur ob metum amittendi opes. *timor* eſt cupido eas augendi.

V. 17. Nos anguſto dierum ſpatio circumſcripti cur per innumera vota fines tranſilire volumus?

V. 19. Omnes æeris plagæ, omneſque dies inter ſe diſſimiles ſunt. *alii ſoles*, i. alii dies, aut regiones.

Digitized by Google

Se quoque fugit?
Scandit æratas vitiosa naves
Cura: nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.
Lætus in præsens animus, quod ultra est,
Oderit curare; & amara leni
Temperet risu: Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum, Siculæque circum
Mugiunt Vaccæ, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa: te bis Afro
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ: mihi parva rura, &
Spiritum Grajæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

V. 21. Veteres ære proras & puppes navium armabant. Utebantur etiam clavis æreis pro ferreis in trabium, assiumque nexibus. *vitiosa*, quæ consumit, rodit, vel, quæ facit hominem vitiosum, active.

V. 25. Metas ponere votis, & tranquille subire mala, quæ evitare non possumus, est via sola reprimendi cupiditates, quandoquidem eas abradere animo nequimus.

V. 26. *Leni* opponitur τῷ *amara*. metaphora.

V. 35. Curribus jungebantur pulcherrimi, & optimi equi in Circo. Equorum grex magno erat proventui Grospho.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XVII.

AD MÆCENATEM.

Mæcenatem perpetua febre laborantem consolatur, eique se negat fore superstitem.

CUr me querelis exanimas tuis?

Nec

Mæcenas a nativitate insolitum morbum contraxit, cui 60 & amplius annos, i. usque ad necem obnoxius fuit. torquebatur perpetua febri, qua sensim consumebatur. *Quibusdam*, ait Plinius, *perpetua febris est, ut Cilnio Mæcenati*. Intimus hic ignis habitudinem corporis progressu temporis ita debilitabat, ut extremis 10 aut 12 vitæ annis maximum membris languorem induceret. Credibile est, Mæcenatem in tam infirma valetudine Amico suo tristitiæ sensum aliquando significasse. Errat Dacierius, qui putat tantum virum rerum desperatione ductum mortem concupivisse, cum contra se vitam vel in extremis suppliciis velle ducere in quodam Carmine testetur, Seneca teste. Ille igitur tantummodo suaviter dolet, sibi relinquendam esse vitam, quæ licet infelix, tamen expetenda videbatur. Poeta his querelis auditis hanc Odem confinxit, in qua primum orat Mæcenatem, ne tam tristibus lamentis animum opprimat, deinde declarat, se non posse ejus morti supersesse, tum ejus Horoscopum cum suo convenire; idque probat fatorum consensu, & præsertim duplici eventu, quo ambo vita periclitati sunt. Tertio, ad removendas tristium rerum cogitationes statuit renovandum utrinque sacrificium reddendi causa diis grates pro communi beneficio accepto. Ode est concinne facta: sententiarum dulcedo, & suavitas non minus Mæcenati, quam Horatio honori est. Dacierius ait, hanc Odem scriptam post repentinum, eundemque diuturnum Mæcenatis morbum, a quo nondum ad firmiorem valetudinem restitutus fuerat; Masso vero, post extremum ejus morbum, nempe insomniam, qua tres postremos annos laboravit. Sed neuter sententiam suam Horatio consentaneam facit. * fortasse Mæcenas in theatro deliquium animi passus est, quo paulo post cessante spiritum recepit, & vires,

Digitized by Google

Nec dis amicum est, nec mihi, te prius
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
Ah! te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror alteram,
Nec charus æque, nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam: non ego perfidum
Dixi Sacramentum; ibimus, ibimus,
Utcumque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.
Me, nec Chimæræ spiritus igneæ,
Nec si resurgat centimanus Gyges,
Divellet unquam. Sic potenti
Justitiæ, placitumque Parcis.

vires, ideoque plausus illi editi sunt. *. Horatius hoc loco verba facit de casu arboris, quem narrat in Ode, *Ille & nefasto*; ergo hæc est posterior anno 734.

V. 2. Mæcenas cum valetudinem suam in dies infirmiorem fieri sentiret, sæpe Horatio dicebat, se non sperare, fore ut illi superstes esset, & jam cito obiturum; cui respondet se optare, ut contra res accidat, & non dubitare, quin dii votis annuant; Revera Poeta mense uno ante Mæcenatem obiit.

V. 5. Si fati ira partem animæ meæ, nempe te, rapit ante diem, quæ pars mihi carior est, quam quæ mihi reliqua foret; nihil profecto me in vita detinere posset mei ipsius potiori dimidio orbatum. Videbat Mæcenas morbum illum esse insanabilem non tamen inconsultis, sed subobscuris verbis hoc dicit; quod certe de improviso morbo non pronunciasset. *τὸ maturior vis* denotat Mæcenatem ea ætate fuisse, qua mors ejus visa fuisset præmaturior, ideoque extremum morbum non significat, obiit enim 60 annos ferme natus. * vel significat vim morbi maturioris, i. febris in dies ardentioris, magisque debilitantis corpus *. Rosellus ita legit: *quid moror, altera, nec carus æque*: ut sensus sit: quid moror ego, qui sum altera pars, nec integer superstes, nec carus æque ac tu Mæcenas, Augusto?

V. 11. Statim ac præcedes. Videbatur Mæcenas esse revera præcessurus.

V. 16. Tener animi sensus vel potius assentatio vivide

&

Digitized by Google

Seu Libra, ſeu me Scorpius adſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ, ſeu tirannus
Heſperiæ Capricornus undæ:
Utrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum: te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucriſque fati
Tardavit alas, cum populus frequens
Fauſtum theatris ter crepuit ſonum:
Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum

Dex-

& ingenioſe patet. Hæc duo Horatium Mæcenati amoris vinculo obſtrinxerunt, juſtitia ſcilicet, i. grati animi ſenſus beneficiorum acceptorum cauſa, & Deorum voluntas, quæ ex fatis utriuſque congruentibus emicabat.

V. 17. Libra, Scorpius, & Caper ſunt ſeptimum, octavum, & decimum Zodiaci ſignum. Stulti Aſtrologi primum adſcribunt Veneri, ſecundum Marti, tertium Saturno, & virtutes etiam eis deſtinant. Capricornus 18 ſtellis conſtat, oritur 16 Cal. Janu. & occidit 18 Cal. Feb. Horatius Mæcenatis imbecillo animo indulget.

V. 21. Verſus hic proſaicus videtur, ſed cum conſonis verſibus intermiſceatur, idem facit, ac ſonus diſcors, apte concordi adjunctus in concentu Muſico.

V. 22. Caper Saturno adſignatus eſt ſidus mortiferum, dicunt iſti ſomniorum interpretes. *refulgens*, i. contra fulgens, Jupiter oppoſitus Saturno.

V. 24. Fatorum congruentiam exponere vult Poeta. Caſus Poetæ erat improviſus, externus, mortalis; Mæcenatis, vis rapida fati, *volucriſque fati;* & diem ſignificat, quo id evenit, *cum populus frequens* &c. ideſt eo die Mæcenatem periculo ſimili evaſiſſe. Ergo conjici poteſt, eventum Mæcenatis a cauſa externa manaſſe, quæ mortifera eſſe poterat. Maſſo credit, Mæcenatem diſcrimen vitæ ſubiiſſe in aliquo ludo, ut Suetonius refert de C. Nonio Aſprenate, & Eſernino Pollionis filio: id fieri poterat.

V. 28. Suam ſalutem beneficio vertit Fauno campeſtri deo, quia id rure accidit. * Errat Roſellus, qui arbitratur, Horatium mactare agnam Mæcenati, ut celebret diem ejus natalem. Nam patet ibi Mæcenatem una cum Horatio ſacra facere, quod ſimili fato evaſiſſent.

Digitized by Google

Dexter levasset, Mercurialium
Custos virorum, reddere victimas,
Ædemque votivam memento,
Nos humilem feriemus agnam.

CARMEN XVIII.

In quemdam luxu & avaritia & crudelitate insignem.

NOn ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettias
Premunt columnas ultima recisas
Africa: neque Attali
Ignotus hæres regiam occupavi:
Nec Laconias mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.

* Cuncti hanc Odem interpretantur tanquam generatim scriptam in Romanorum luxum, & avaritiam. Ego vero suspicor, eam lucubratam in quemdam senem divitem, luxu, avaritia, & inhumanitate insignem. fortasse homo Sabinam villam ab Horatio ædificatam contemtui habuit, sicut Quintius Ep. 15. lib. 1. vel aliquid aliud simile exprobraverat, ut multi invidi; idcirco Poëta injurias ulturus in eum invehitur, atque se paucis contentum, quæ a Mæcenate dono acceperat, cum ille contra nullum ædificandi, nullum quærendi, nullum rapiendi modum faciat, nihilque de morte sibi proxima cogitet. Videtur Horatius ætate provectior hoc Carmen exarasse, postquam villam suam in agro Sabino rursus ædificavit. Lautissimum est hoc Carmen, graves sunt sententiæ, sublimis nervorum plenus, versificatio numerosa, & castigata *.

V. 8. Lanas purpura infectas. dicendi modus audax & Lyricus. *honestæ* satirice dictum. Non esset reprehendendum dominatum jussu lanas a Clientis suis duci, sed indignum hoc onus imponi Matronis honesto genere natis. * fortasse iste dives per ambitum Provinciam Mysiam administrandam obtinuit, ibique multis illustribus feminis usus est, quæ sibi purpureas lanas texerent. *

Digitized by Google

At fides, & ingeni
Benigna vena est: pauperemque dives
Me petit: nihil supra
Deos lacesso: nec potentem amicum
Largiora flagito;
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novæque pergunt interire Lunæ,
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus: & sepulchri
Immemor struis domos,
Marisque Bajis obstrepentis urges
Submovere littora,
Parum locuples continente ripa.
Quid quod usque proximos
Revellis agri terminos, & ultra
Limites clientium
Salis avarus? pellitur paternos
In sinu ferens Deos

Et

V. 9. *Fides*, i. morum probitas.

V. 12. *Amicum*, i. Mæcenatem.

V. 14. Totum pro parte, Sabinorum regio pro fundo Horatiano.

V. 15. Licet tempus volet, & tu funeri proximus sis, tamen plurima avaritiæ & prodigentiæ argumenta præbes, veluti in longius ævum victurus.

V. 18. *Locas*, i. agis cum redemtore de secandis marmoribus ad ædes struendas idoneis.

V. 20. *Urges*. accurate das operam, non contentus parva continente satagis, properas, ut jacias fundamentum, & ædifices in mari littoribus submotis.

V. 21. Dilatare solum, imperare mari, ut recedat.

V. 25. *Clientium*, quibus magis, quam tibi prospicere debes, agros Parronus insolens usurpas.

V. 6. *Avarus* est hic, qui avidissime cupit per fastum nova semper prædia, ac res alias sibi acquirere. *pellitur*. mirari subest τὸ πάθος. invidiam etiam concitat seni avaro, & inhumano. *pellitur* &c.

V. 29. Opponit aviditati hujusmodi invasoris, & latronis mortis vim quæ eum bonis omnibus exuet, quibus ipse alios injuria spoliavit.

Digitized by Google

Et uxor, & vir, sordidosque natos.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci sede destinata
Aula divitem manet,
Herum. Quid ultra tendis? æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris: nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coercet: hic levare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus, atque non vocatus audit.

V. 32. Æque tellus operit divitem, ac pauperem.

V. 34. *Satelles*, i. Charon, qui lingua Ægyptiaca significat *portitor*. Munus ei obtigit trajiciendi manes ad inferos.

V. 38. *Hic audit levare*: nempe hic dicitur levare. Hactenus visus est Poeta nullum discrimen avarum inter & innocentem interjicere, dicens, utrumque moriturum. hic vero sententiam suam aperit, aitque mortem pauperibus fore quietis principium, ut significet diviti avaro contra fore omnium voluptatum finem.

V. 40. Rosellus pro *audit* libenter legit, *audet*.

CARMEN XIX.

DITHYRAMBUS.

Sibi fas esse Bacchi laudes, ut ejus Numine pleno, & concitato, canere postulat.

BAcchum in remotis carmina rupibus
Vidi

Quantum Poesi polleat Horatius satis hoc Carmen demonstrat. Qui sententiarum fulgor! quæ varietas! Numine Bacchico totus afflatus, non est ille amplius Poeta, qui cogitet,

Vidi docentem, credite posteri,
Nymphasque discentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evohe, recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur. evohe, parce Liber,
Parce, gravi metuende thyrso.
Fas pervicaces sit mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis & uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.
Fas & beatæ conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disjecta non levi ruina,
Thracis & exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare barbarum;

Tu

gitet, qui loquatur, est repente Deus ipse Poeseos, qui Horatii lingua usus sensa animi profert. Ex aliquo fortasse Bacchi festo die occasionem arripuit Poeta hujus confingendi Carminis, egregie Bacchum laudat. Hic Deus toto terrarum Orbe sui Numinis reliquit impressa vestigia. Cœlum, terra, mare, inferi ejus potentiam sensere. Hæc Ode vocatur Dithyrambus *regularis*, qui specie differt ab *irregulari*. Alter extat: *Quo me, Bacche, rapis* &c.

V. 1. Sublime exordium, est veluti pictura, quæ ferit, suique complet τὴν φαντασίαν, simplicitas campestris cum gravitate certat.

V. 5. Commovetur, agitatur.

V. 7. Poeta sibi fingit, nihil sibi propius esse, quam ut ictu Thyrsi a Deo percellatur, quia ejus injussu verenda mysteria audet recludere; veniam ideo petit, & ejus iram laudum illecebris sedat.

V. 9. Bacchæ currebant furiosæ in Orgiis. Θύειν, violenter currere. In tres partes distribuitur Bacchi Elogium. Prima continet ejus beneficia, secunda ultiones, tertia res gestas.

V. 13. (V. Ind. *Ariadna*.)

V. 15. *Non levi*, i. maxima.

V. 17. Romani barbaros vocabant populos, qui nec Itali, nec Græci erant, deinceps eos dumtaxat, quos nondum im-

Digitized by Google

Tu ſeparatis uvidus in jugis
Nodo coerces viperino
Biſtonidum ſine fraude crines:
Tu, quum parentis regna per arduum
Cohors gigantum ſcanderet impia,
Rhœtum retorſiſti leonis
Unguibus, horribilique mala:
Quamquam choreis aptior, & jocis
Ludoque dictus, non ſat idoneus
Pugnæ ferebaris. Sed idem
Pacis eras mediuſque belli.
Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, & recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

imperio ſubjecerint. Præcedentium verſuum ambitus a ſequentium optime ſecernitur.

V. 18. Adhibetur aliquando *uva* pro τῷ vinum.

V. 20. Sine incommodo. Alii referunt τὸ *ſine fraude* ad Bacchum, alii ad Biſtonidas.

V. 21. *Per arduum*, i. iter, aera.

V. 23. Poeta in Leonem eum transformat, Ovidius in capram, ſed fortaſſe, ſicut timor eum convertit in capram, ita audacia in Leonem. Hujus Carminis ratio in 8 ultimis verſibus ſublimiores videbatur ſententias requirere. Sed vide notas ad O. 1. l. 1. V. 4.

V. 25. *Jocis*, i. vivida animi vi, quæ maxime in cœtibus micat.

V. 28. Non minus aptus pacis commodis, quam belli laboribus.

V. 30. Fortaſſe ex ſua μεταφόρᾳ ex Capra in Leonem cornua illi hæſerunt.

Digitized by Google

CARMEN XX.

AD MÆCENATEM.

Æternam sibi ex suis Carminibus famam pollicetur.

NOn usitata, non tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates: neque in terris morabor
Longius, invidiaque major
Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,

Di-

* Cum primam suorum Carminum εἰσαγωγὴν Augusto petenti obtulerit Horatius, eamque in Bibliothecam Palatinam, & subinde Mæcenatis, Pollionis, aliorumque receptam videret, non potuit, quin jure sibi placeret, & gratularetur: audivit etiam, sua carmina a plurimis maxime probari. Poeta igitur hac occasione data, ut arbitror, confecit nobile hoc Carmen & novitatis laude insigne. fortasse nondum 40 ætatis annum agebat. Pythagoream μετεμψύχωσιν amplectitur. Se transformat in cycnum, inde polos transvolat, & sui modulamine cantus vel barbarorum oculos in sui admirationem pertrahit. Certe Poeta eventura præsensit animo. Dum enim vigebit litteris honor, Horatii laudibus totus orbis circumsonabit. *

V. 2. Voce *biformis* indicat inchoatam suam μεταμόρφωσιν, non absolutam, vel se esse Poetam Lyricum & Satyricum.

V. 4. Oportet vel editissimum, vel infimum locum occupemus, ne invidiæ ventis circumflemur. Si primum, suspicimur, si alterum, deploramur. Horatius per aliquot annos rivalium invidiæ restitit, paulatim vero eam superavit.

V. 5. Nobilitas generis ex se germanam laudem homini non tribuit. Pusilli animi est, eam veluti proprium meritum prædicare, stulti vero eos contemnere, qui tantum habent præsidii. Invidi homines generis humilitatem Poetæ exprobrabant.

V. 6. Qui legunt, *vocant*, subaudiri volunt τὸ *rivales*, *invidi homines*. Qui legunt, *vocas*, ajunt, Horatium invitatum fuisse a Mæcenate ad cœnam. Bentlejus ait; „ hæc

„ in-

Dilecte Mæcenas, obibo,
Non Stygia cohibebor unda.
Jam jam residunt cruribus asperæ
Pelles: & album mutor in alitem,
Superne: nascunturque leves
Per digitos, humerosque plumæ.
Jam Dædaleo tutior Icaro
Visam gementis littora Bosphori,
Syrtesque Getulas canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, & qui dissimulat metum
Marsæ cohortis Dacus, & ultimi

No-

„ interpretatio parasiti potius gulam, quam gratum Clientis „ animum exprimit; quasi vero præstaret cum Mæcenate pul„ menta comedere, quam vitam, pecuniam, & agrum in Sa„ binis ei debere. „ Dacierius conjungit *vocas* cum *τῷ dilecte*, i. quem vocas dilectum, quem compellas dilecti nomine. Hoc parum honorificum est Poetæ: quasi dicat, sum pauper, sum tuus cliens, tamen non moriar; perinde ac si Mæcenatis favor obsisteret immortalitati. alii vero ita: *dilecte Mæcenas non ego obibo, quem vocas, sanguis parentum pauperum*. Sed alienum ab ingenio Mæcenatis exprobrare generis humilitatem Amicis suis. Rosellus inquit, *vocas* hic est pro *desideras*. Poeta enim mutatus in aliam formam, & velut e terris sublatus in æthera alloquitur Mæcenatem sic: ne temet angas; ille, quem velles rediturum apud te, non redibit, jam mutatus est in alium. Hic est verborum sensus, quem indicant ea inferius posita: *compesce clamorem*.

V. 9. Crura cycnorum pelle scabra teguntur, velut squamis texta in speciem annulorum latorum, & depressorum.

V. 13. Fortasse sequentibus versibus indicat sua Carmina libenter perlegi ab Amicis suis, in longinquis regionibus degentibus, quibus petentibus eadem miserit, v. g. Tiberio, Agrippa, Scæva, & aliis.

V. 16. Russi Septentrionales inter Volgam, & mare Album vocantur hyperborei, quia Boreæ proximi sunt.

V. 17. Parthi a clade Antonii usque ad insignium Romanorum redditionem longe lateque per Romanorum provincias discurrebant.

V. 18. Marsa cohors est peditatus, non equitatus. Fallitur Tartaronus, qui contradicit.

Digitized by Google

Noſcent Geloni: me peritus
Diſcet Iber, Rhodanique potor.
Abſint inani funere næniæ,
Luctuſque turpes, & querimoniæ.
Compeſce clamorem, ac ſepulchri
Mitte ſupervacuos honores.

V. 19. *Geloni* ſunt Lithuani Poloniæ ſeptentrionalis populi. In Hiſpania vero, & Gallia tunc ſcientiæ & artes florebant.

V. 22. In funeribus tibicen lugubre ſonabat tono Phrygio, & canebat laudes demortui viri. domus & compita mulierum luctibus, & ululatibus circumſtrepebant; ſæpe extincti nomen uſurpabatur, & poſtremum vale iterabatur. Poeta ait, ſe his ritibus funebribus non indigere. idem cecinit Ennius hoc diſticho.

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit; cur? volito vivu' per ora virum.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM
LIBER TERTIUS.

CARMEN I.

Felicitatem in honoribus & divitiis positam non esse.

ODi prophanum vulgus, & arceo.
Favete linguis: carmina non prius

Au-

* Videtur Horatius hoc Carmen, & alia plura, ut videbimus, ceciniſſe, poſtquam Auguſtus moribus conformandis præfectus eſt a Senatu, nempe poſt annum 735, certe ipſe voluntati Auguſti obſequitur. Eos præcipue ſugillat, qui opibus, & honoribus nimium, quam par erat, inſerviebant, iiſque opponit eos, qui tranquillam vitam agunt. præcipue docet Romanam juventutem, homines videri inæquales, ſed revera æquales eſſe inter ſe. Rara doctrinarum ſupellex mirabili divinæ poeſeos dignitate decorata maxime in hoc Carmine ſplendet, ex quo apparet in Horatio jam ætate provecto ne minimum quidem illum τῆς φαντασίας ignem deferbuiſſe, nec illam ingenii amœnitatem, quæ in primis ejus operibus ineſt, defloruiſſe. *

V. 1. Numine afflari videtur Poeta. tam nobiliter rem proponit, ut in ſui venerationem audientes rapiat. de re agitur maximi momenti.

V. 2. Hæ ſunt Religionis formulæ, quæ triplicem habent ſenſum. In primo religioſum ſilentium exigunt, in ſecundo monent, ne quid dicatur, quo turbari poſſint ſacra, & vis precum tolli, in tertio invitant cœtum hominum ad dicenda bona verba, ad confirmanda litantium Sacerdotum vota, nec non Principis, aut Magiſtratuum, qui feſto præſunt, & puerorum, qui Hymnos canere debent.

non

Audita Musarum Sacerdos
Virginibus, pueriſque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis
Clari giganteo triumpho,
Cuncta ſupercilio moventis.
Eſt, ut viro vir latius ordinet
Arbuſta ſulcis: hic generoſior
Deſcendat in campum petitor:
Moribus hic meliorque fama
Contendat: illi turba Clientium

Sit

non prius. Horatius, ut ipſe alibi fatetur, fuit primus, qui lyrica Carmina ſcripſit Romana lingua. Sanado, qui hunc quaternionem præmittit Carmini ſeculari, ait, dici ab Horatio *Carmina non prius audita*, quod 132 anni effluxerint ab ultimis uſque ludis ſecularibus, ideoque nemo tunc vivens poema ſeculare audire potuerit. quam belle hoc nobis obtrudit ſagax interpres! quamquam etiam Dacierio hi quatuor verſus videntur adſcribendi Carmini ſeculari. Affirmare non dubito cum Scaligero hunc quaternionem perperam præpoſitum Carmini *Regum timendorum*.

V. 4. Sanado ait, poema ſeculare a pari numero puerorum & puellarum ſcilicet 54 cani ſolitum duobus Choris a ſe invicem ſejunctis, quorum alter 27 puerorum, alter totidem puellarum.

V. 5. τὸ *grex* dedecet tam magnificum exordium. deinde *greges*, *Reges* jocus eſt.

V. 6. Omnis Vir Princeps, qui ſua magnificentia gloriatur, & tumet, eam profecto ignorat. Se revera omnium Principem eſſe credit, ſed ab altero pendet. Supremum enim Numen eum e dignitatis gradu dejicit, & ſubditorum numero inſerit.

V. 7. Hi duo verſus maximis laudibus Jovem extollunt. Quis triumphus æquari victoriæ poteſt, quam de Gigantibus reportavit Jupiter? Quis Regum concutit ſupercilio Naturam?

V. 9. *Eſt*. fit ut, accidit ut. a Regibus ad magiſtratus deſcendit, in quibus virtus minus honeſtum locum habet.

V. 11. Nobiles viri habitabant in collibus, unde nota eſt deſcenſio in forum, & in campum Martium iis, qui Romæ fuerunt.

Digitized by Google

Sit major. Æqua lege neceſſitas
Sortitur inſignes, & imos,
Omne capax movet urna nomen.
Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborarunt ſaporem,
Non avium cytharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agreſtium
Lenis virorum non humiles domos
Faſtidit, umbroſamque ripam:
Non Zephyris agitata Tempe:
Deſiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſolicitat mare,
Nec ſævus Arcturi cadentis
Impetus, aut Orientis hœdi:

Non

V. 14. Mors æquat omnes, agitat nomina in urna, ſors cadit in nobiles & ignobiles nulla habita dignitatis ratione. Opponit timores Tyrannorum, anxietatem avarorum, curas ambitioſorum, & divitum quieti, & dulci ſomno eorum, qui fortunæ mediocritate contenti ſunt. Hinc præclarum illud documentum, quod in proverbium abiit. *Regum timendorum in proprios greges* &c.

V. 17. Spectat hiſtoriam Dionyſii Tiranni, & Philoſophi Damoclis. Divites ſpecie quidem felices ſunt, ſed in eo felici ſtatu triſti mortis inevitabilis, ſemperque imminentis cogitatione perpetuo torquentur. egregie philoſophatur Poeta. Licet hæc nova non ſint, tamen inſolita Poeſeos vi efferuntur. Atqui reprehenditur Horatius, quod initio Carminis tam magnifice loquatur, ac multa magnaque polliceatur. Adeo verum eſt, Poetam inſtructum eſſe debere rariſ doctrinarum opibus, ut jure id prædicare poſſit: *favete linguis*.

V. 18. Sicula convivia in proverbium abiere. inſignes coqui erant Siculi. τὸ *elaborabunt* explicat curam, & diligentiam, quam adhibebant in parandis epulis Siculi.

V. 21. *Somnus lenis non faſtidit humiles domos virorum agreſtium*. bella ἀντίθετα in ſequentibus verſibus.

V. 26. *Solicitat*, quaſi citat ſolo, movet loco.

V. 27. Bootes 14. ſtellis conſtat, & Urſam conſequitur. *Hœdi* pro hœdorum. ſidus capræ.

Digitized by Google

Non verberatæ grandine vineæ,
Funduſque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hyemes iniquas.
Contracta piſces æquora ſentiunt,
Jactis in altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemtor
Cum famulis, dominuſque terræ
Faſtidioſus. Sed timor & minæ
Scandunt eodem, quo dominus: neque
Decedit ærata triremi, &
Poſt equitem ſedet atra cura.
Quod ſi dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum ſidere clarior
Delinit uſus, nec Falerna
Vitis, Achemeniumque coſtum:
Cur invidendis poſtibus, & novo
Sublime ritu moliar atrium?

Cur

V. 29. ὑσεργικῶς. grandinis cadentis ſtrepitus ad vivum exprimitur. *mendax* & *culpante* metaphora, quæ vim, & venuſtatem ſententiæ ingerit.

V. 33. Præclara imago!

V. 35. Conductor, qui pacto pretio ædificium erigendum ſuſcipit.

V. 37. Qui habitationes continentis faſtidit, & dedignatur. *ſed timor*: decora apprime & ingenioſa imago, animata, naturæ filia.

V. 39. Triremis erat, quæ utrinque tres habebat remiges ſingulis remis innixos, quicumque eſſet remorum numerus.

V. 41. Concluſio. Phrygius lapis teſte Strabone magni habebatur, & cupide conquirebatur.

V. 42. Figurate & audacter. purpura, cujus uſus eſt ſole ſplendidior.

V. 44. Coſtus erat quædam planta odorifera, cujus radix valde odorifera, ex qua excellens aroma conficiebatur vocatum *coſtum*. naſcitur in inſula Patalena, ad oſtia Nili.

V. 46. Grande veſtibulum, ubi cuſtodiebantur imagines majorum, & quo Clientes cogebantur, ut Patrono obſequentur. *novo ritu*, *alla moda*, *di nuovo guſto*.

Digitized by Google

Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

V. 48. Opes magis animum implicantes, & turbantes.

CARMEN II.

AD AMICOS.

Publicam fortitudinem, probitatem, & arcani fidem commendat.

ANgustam, Amici, pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta:
Vitamque sub Dio, & trepidis agat
In rebus. illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, & adulta virgo

Su-

* Ad Patresfamilias tanquam ad Amicos se convertit, eosque monet, ut filios assuefaciant bellicis laboribus ab ineunte ætate perferendis, deinde vitæ civili laudabiliter excolendæ, & traducendæ, demum arcani fidei servandæ. versus hujus Carminis concinni sunt, vividæ imagines, graves sententiæ. eo ferme anno, quo præcedens Carmen, scriptum fuit, & fortasse utrumque recitatum in bibliotheca Palatina, jussu Augusti. *

V. 1. *Angustam*, *robustus*, *acri* adjuncta egregia. τὸ *robustus* denotat pueritiæ finem, & juventutis initium, scilicet ætatem 17 annorum. Tunc nobiles juvenes nomen dabant militiæ, & Tyrocinium ponebant.

V. 3. Hoc verbo *condiscat* notatur assuetudo quædam ferendi incommoda belli.

V. 4. *Vexet*. egregium verbum, magnam vim habens.

V. 6. Pulcherrima & affluens opibus imago, nobiles figuræ, τὸ πάθος e natura expressum. fortasse Tyrannus, de quo hic sermo est, Parthorum Rex est, & suam filiam uxorem destinavit juveni cuidam Principi.

Digitized by Google

Suſpiret: Eheu, ne rudis agminum
Sponſus laceſſat regius aſperum
Tactu Leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
Dulce, & decorum eſt pro patria mori.
Mors & fugacem perſequitur virum:
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoque tergo.
Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
contaminatis fulget honoribus:
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via,
Cœtuſque vulgares, & udam
Spernit humum fugiente penna.
Eſt & fideli tuta ſilentio
Merces: vetabo, qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaſelum. Sæpe Dieſpiter
Neglectus inceſto addidit integrum.
Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

V. 13. Strenui viri morti occurrunt, ſed mors ignavos perſequitur. illorum virtutem mercede compenſat, horum vero ignaviam pœna multat.

V. 18. Honores incontaminatos vocat illos, qui nec ambitui, nec corruptelæ debentur.

V. 22. *Negata* aliis: vel, difficili, ardua.

V. 23. *Udam*, i. cœnoſam, ut ſignificet cupiditatum quaſi lutum, quo præpediuntur homines, quominus ad virtutem ſublimes ferantur.

V. 25. Loquitur de arcani fide, qua nihil utilius humanæ ſocietati, & nihil rarius eſt.

V. 30. Sceleſtum cum innocente punivit.

V. 42. Licet veniat lenta & claudicans, tamen elabi non ſinit impunitum ſceleſtum.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN III.

Augustum, ne sedem Imperii Trojam transferat, clam dehortatur.

JUstum ac tenacem propositi virum

Quid perfectius ex Horatiano penu, quid ex ipsius Poeseos sinu præstantius depromi poterat quam hoc Carmen! Nobilis audacia, inventionis singularis laus, ars summa scribendi, poeseos sublimitas, sententiarum delectus, vis & ἐνέργεια verborum, figurarum opes ubique diffusæ primas tanto operi jure optimo tribuunt. Numquam alias Poeta rem salebrosiorem pertractandam suscepit, eamdemque felicius expedivit. Vides in hoc Carmine rarum exemplar poeticæ dexteritatis, prodigio prope par. Quo enim propius finem sibi propositum Poeta attingit, videtur ab eo recedere, eumque tum demum assequitur, cum prorsus ab eodem aberrasse creditur. Julius Cæsar (hoc est verum Carminis argumentum) & Augustus pluries voluntatem suam in Trojam, unde familia Julia ortum duxit, propensam significarunt. Primus eam instaurari jussit, alter colonias illuc deduxit, & ambo multis eam cumulavere benefactis. Augustus præterea Rhœtæis Troadis populis restituit insignem Ajacis statuam, quam Antonius in Ægyptum transferri jusserat. Timor communis, populi rumor & fortasse etiam Mæcenatis consilium & Agrippæ Horatium ad hanc Odem edendam induxere. Quod quidem tam prudenter & scite ille absolvit, ut pauci rei veritatem dignoscere potuerint. Tanaquillus unus fuit, qui Horatii mentem assecutus est, nixus Suetonii testimonio, qui in vita Jul. Cæsaris c. 70. ait: *Valida fama percrebuit migraturum Alexandriam, vel Ilium, translatis simul opibus imperii, exhausta que delectibus Italia.* Nisi ita hoc Carmen accipias, sensus vagus est, & imperfectus; ignoratur quo tendat Poeta, sententiæ nullo affinitatis vinculo conjunguntur, forma ipsa abest. Quis autem in animum sibi inducat credere, Poetam tam longo Carmine nihil certi animo intendisse? Hinc a nonnullis, quos Horatii mens latebat, 16. primi versus loco suo expuncti sunt, & Carmini proxime antecedenti adjecti. Baste-

Digitized by Google

sterius contra hic sibi videtur internoscere ἀντίθεσιν quamdam Augustum inter & Antonium. Ille, ait, honores divinos vivus accepit, virtutum causa, hic infeliciter ob perfidiam, & mollitiem perit. Quare omnes Dii extinctis prorsus bellis civilibus unanimi consensu Romanum imperium constabilire nituntur. Verum quoad hanc Basterii sententiam Augustus duobus solummodo versibus laudatus parum emineret, cum alii Dii, & Heroes amplioribus laudibus cumulentur; praeterea longa illa digressio, qua Juno orat, & Romuli ἀποθέωσις, & interdictum Junonis de renovando Trojano imperio longe ab re esset, deinde ridiculum foret, omnia naturali sensu accipi quoad Augustum, & allegorico, quoad Antonium; tum plures hujus Carminis loci vim paterentur, si allegorice acciperentur; demum ex 11. versu apparet, Octavio nomen Augusti tributum, & honores divinos, unde colligitur non statim post bella civilia hoc Carmen scriptum fuisse. Sed contra Rodillius ait: Suetonius rumorem refert, quem Jul. Caesaris adversarii sparsere, ad invidiam ei conflandam. Sed licet hoc Rodillio concedatur, tamen hic rumor vehementer invaluit. *valida fama percrebuit* &c. Id efficiebat dictator, ut ansam praeberet civibus judicii hujusce ferendi; praeterea Romani hoc idem de Augusto suspicari poterant. contra Rodillius: Augustus, qui sibi civium benevolentiam conciliare volebat, adeo eos offensos habere voluisset? Respondemus. Augustus speciem quamdam libertatis populo exhibebat, sed revera suprema fungebatur auctoritate. Deinde, cum singulae hujus Carminis partes mancae per se sint, sensuque perfecto careant, ad quidpiam certi referendae sunt. His adde, quod nil mirum est. Horatii mentem tamdiu latuisse interpretes, cum de industria hinc Augustus, & hinc Horatius id consilii celaverint, & ideo huic Carmini tenebrae dedita opera offusae sunt. Verum nihil obstat sententiae nostrae, Trojam Augusti tempore stetisse, & a Marte velut antea excisam repraesentari. Nam distinguenda sunt, quae ait Juno ab iis, quae Dea Poetae animo suggerit. Post mortem Romuli, id-est tempore, quo Poeta Junonem loquentem induxit, 39 anno ab U. C. nulla erat Troja. Alexander Magnus anno 420 vix urbis reliquias nactus est, eamque rursus aedificari jussit. Lysimachus novam Trojam muro cinxit. Haec urbs muris destituta erat, cum Galli illuc irruerunt anno 477; Et anno 564, quo primum Romani in Asiam ingressi sunt, Troja exiguus pagus erat. Fimbria Syllae legatus eam diruit anno 668 in bello Mitridatico, sed Caesar rursus instaurandam curavit. Cum igitur Poeta vetat ab Augusto iterum

Tro-

Digitized by Google

Non Civium ardor prava jubentium
Non vultus instantis Tiranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tegres, indocili jugum

Trojam construi, hoc sibi vult, nempe avertere Augustum a transferendo illuc imperio. Verbo, Juno magna petit, ut pauca consequatur. Ea est Poetæ mens, ut, quod Dea dixit de Troja Romuli ætate, ad Trojam referatur tempore Augusti. Scripta hæc Ode videtur anno 734. Augustus tunc erat in Oriente, in Samo, in Bithynia, aut in Syria, ideoque parum Troja aberat, ut facilius propositum sibi consilium caperet.

V. 1. Justi propositi tenacem. Subobscuris verbis laudat Augustum. Constantia est Deorum virtus. Ita Poeta in primo versu rem proponit.

V. 2. Non tumultus, seditio, sed furor, cupiditas. Obstare solent constanti viro voluntas hominum, furor, cupiditas, & causæ physicæ. Hæc Augusto non obstabant, nec eum aliter sentire cogebant.

V. 4. Mentis firmitudinem labefactat.

V. 6. Quæ sublimis imago! Quanta in his verbis vis! a priori posterior, & sic deinceps vim sumit, decusque majus, omnesque invicem eo impensius corroborantur, quo graviores, & nervosiores sententiæ progressu Carminis copulantur.

V. 8. Leve vulnus acciperet, adeo fortis est. *illabatur* proprie denotat motum dulcem, sed vocis amplitudo, & litteræ *l* repetitio vim addit.

V. 10. Qui conatus est ascendere.

V. 11. Poeta adscribit Augustum eorum Deorum numero, qui constantia cæteris præstiterunt: quasi dicat: ob hanc virtutem Augustum Deum fieri.

Digitized by Google

Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acherontа fugit.
Gratum elocuta consiliantibus
Junone divis; Ilion Ilion
Fatalis, incestusque judex,
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi,
Castæque damnatam Minervæ
Cum populo & duce fraudulento.

Jam

V. 15. Nihil conducibilius excogitare poterat Poeta, quam ut Junonem ea loquentem induceret, quæ nemo Augusto dicere ausus fuisset. hæc laus Coriphœum Poetarum, & Politicorum hominum decet. Idem erat ac si diceret, Augustum eo consilio præpostero in Junonis, cæterorumque Deorum odium venturum.

V. 16. Elevatæ mentis rapiditatem vivida, & cita numerorum vi exprimit. Senatorum commentum imitatur, qui ad sedandos populi turbulentos motus ob Romuli mortem testati sunt, eum in cœlum elatum esse.

V. 17. Dii, qui Romani imperii gloriæ prospiciebant, Romulum urbis conditorem cœlis inferere volebant. Sed Junonis offensionem verebantur; lætati tamen sunt de mutata ejus opinione, eo facili constituto pacto. Juno sermonem instituit ea Majestate, ea eloquentiæ vi, quæ Deorum Reginam maxime decet. *consiliantibus*, deliberantibus.

V. 18. Ordo est: *ex quo Laomedon destituit Deos mercede pacta, fatalis, incestusque judex & mulier peregrina vertit in pulverem Ilion Ilion damnatam mihi & Minervæ. ex quo*, nempe post illud tempus, quo &c. Exordium hujusce Orationis est ἐναργικόν. verba omnia, eorumque collocatio acerrimam Junonis indignationem ostendunt. Initio causam affert odii sui, & iterat, ut magis, magisque Deorum animis infigat odii sui sensum adversus Trojam. ad contemtum ne nominat quidem Paridem, nec Helenam; hæc est mulier peregrina, ille judex fatalis Patriæ, hospitii violator: ambo impudicitiis infames: Laomedon est perfidus.

V. 19. Paris pomum dedit Veneri, & ita in odium incidit Junonis & Palladis.

V. 23. Adjudicatam, jure traditam. dicitur *Ilios* gen. fem. & *Ilion* neut.

Digitized by Google

Jam nec Lacænæ ſplendet adulteræ
Famoſus hoſpes; nec Priami domus
Perjura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit:
Noſtriſque ductum ſeditionibus
Bellum reſedit. Protinus & graves
Iras, & inviſum nepotem
Troia quem peperit Sacerdos,
Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire ſedes, ducere nectaris
Succos, & adſcribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter ſæviat Ilion,
Romamque Pontus; qualibet exules
In parte regnanto beati:
Dum Priami, Paridiſque buſto
Inſultet armentum, & catulos feræ
Celent inultæ: ſtet Capitolium

V. 28. Hector unus de victoria dimicabat. Major laus Hectori tribui non poterat, quam ut Juno ipſamet id fateretur.

V. 29. In duas factiones diſcindebantur dii in bello Trojano.

V. 30. Superiores verſus ſunt Orationis exordium, ſequitur nunc propoſitio.

V. 31. Romulus erat filius Martis, Mars Junonis.

V. 33. Obſtare, quominus Romulus inter deos recenſeatur, idem eſt ac eum Diis eripere, aſſentiri vero, ut Deus ſit, idem eſt ac reſtituere.

V. 37. Vides Carminis ſcopum. Hinc Juno id ſæpe inculcat. *longus* conjungitur cum *ꝙ ſæviat*. Sæviat pontus quam longus eſt Romam inter & Ilion.

V. 38. Juno in reconciliationis argumentum annunciat Romanis felix imperium, iterato tamen pacto perinde ac ſi eorum utilitas omnis a ſervando hoc fœdere penderet. Hic locus adeo ſublimis eſt, ut nihil mirabilius fingi poſſit. Poeta fulgurat, tonat. 30 ſequentes verſus maximas, & prope innumeras Poeſeos opes in apricum proferunt.

V. 40. Quæ Trojæ imago! *inſultare* ſignificat proprie ſaltare, hic vero injuriam facere.

Digitized by Google

Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras: qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro;
Qua tumidus rigat arva Nilus.
Aurum irrepertum & sic melius situm,
Quum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere humanos in usus,
Omne sacrum rapiente dextra.
Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ, pluviique rores,
Sed bellicosis fata Nepotibus
Hac lege dico, ne nimium pii,

Re-

V. 46. Mare mediterraneum.

V. 49. Aureus nummus Romæ primum cusus est anno 647. 62 annis postquam argentei nummi signati sunt.

V. 51. *Cogere*, egregia vox. vim inferre auro, extrahere illud e terræ visceribus, ubi conditum fuerat a Natura.

V. 53. Nempe quicumque terminus orbem terrarum habitabilem clausit.

V. 55. Maxima hujus verbi vis tenuitatem tū *nebulæ*, *pluviique rores* compensat.

V. 57. *Fata*, quæ prædixerat in 16 superioribus versibus.

V. 58. Tertia vice de hac conditione Juno loquitur. Duas præcipuas causas denotat, ex quibus timendum fuerat, ne Troja caput imperii fieret, nempe pietatem, & rerum confidentiam. Cæsares erant Æneæ nepotes. Augustus igitur Trojanis favebat. Pietas quæ præstari solet in Majores conjuncta cum antiquæ originis gloria videbatur vocare Augustum ad urbem Trojanam præoptandam. *pietas*. Sane ea ætate quam facillimum erat id consilii capere. Bella civilia jam confecta fuerant 9. abhinc annis. Hoc annorum spatio iterum Jani Templum clausum est: Augustus cum duobus exercitibus in Orientem proficiscebatur, quorum alter in Syria Principem opperiebatur, alter vero in Asiam minorem duce Tiberio procedebat.

Digitized by Google

Rebuſque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Trojæ.
Trojæ renaſcens alite lugubri
Fortuna triſti clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis & Sorore.
Ter ſi reſurgat murus aheneus
Auctore Phœbo, ter pereat meis
Exciſus Argivis: ter uxor
Capta virum, puerosque ploret.
Non hæc jocoſæ conveniunt lyræ.
Quo Muſa tendis? deſine pertinax
Referre ſermones Deorum, &
Magna modis tenuare parvis.

V. 63. Fingere ſibi quiſpiam poteſt aliquid grandius, magnificentius, & formidoloſius, quam illud ſpectaculum!

V. 65. Tò *ter* tribus vicibus iteratum his quatuor verſibus magnos addit ſpiritus, & ſcopum Carminis clariorem efficit. Exordii magnificentia in hac Junonis Oratione diu ſervari non poſſe videbatur, ſed media pars eſt fortior, poſtrema vero cæteras longe vincit.

V. 68. Conjugem ſuum.

V. 69. Res leniter tractanda erat, ideo Poeta coercet impetum Muſæ. Periculoſum nobis eſt, id palam facere Principibus viris, nempe eorum cogitationes innoteſcere.

Digitized by Google

CARMEN IV.

Se vi poeseos, qua pollet, id maxime effeciſſe, ut Auguſtus lenis & docilis fieret, qui tamen pariter potens, juſtus, & timendus eſt.

DEſcende cœlo, dic age, tibia

Re-

* Sanado aliique interpretes arbitrantur, hoc Carmen Deorum cultui promovendo ſacrum eſſe. Velim meminerint ingenium, moreſque Horatii, quem ipſi fatentur Epicuri aſſeclam fuiſſe. qua vero de cauſa, a quo impulſus tam luculentum Carmen elaboravit? Hoc puto eſſe Argumentum. Confecto antecedenti Carmine *Juſtum ac tenacem*, & ab Auguſto perlecto res ceſſit ad voluntatem. Princeps a præpoſtero illo conſilio capeſſendo deſtitit; fortaſſe etiam cum mentem Mæcenatis, & Poetæ affecutus eſſet, ſignificavit, ſe nunquam Romam relicturum; laudavit quoque Carmen, ut par erat. hinc maximis laudibus elatus eſt Horatius, ſibique ſummopere placuit, & continuo hoc Carmen concinnavit, quo oſtendit modeſte, ſibi Muſas ſemper faviſſe, earumque ope omnia poſſe efficere. Hæc allegorice ſibi vult, cum dicit, *tentabo Boſphorum, & arentes arenas* &c. *viſam Britannos, Concanum, Gelonos* &c. deinde aperte declarat, ſe dediſſe *Muſa auſpice lene conſilium Cæſari, & dato gaviſum eſſe*: V. 41. h. e. ſe Cæſarem a prima illa ſententia amoviſſe. Hinc V. 42. Lyrico ritu gradum facit ad laudandum Auguſtum, qui licet clementes mores imbiberit Muſarum ope, tamen juſtus pariter eſt. Animadvertendum eſt, a Poeta tacite indicari conjurationes Lepidi junioris, Fannii Cæpionis, & Murenæ, & deinde M. Egnatii, ex in Planci Rufi in vitam Auguſti. eſt igitur ſenſus: Titanes bello in Jovem indicto fulmine perculſi ſunt, & in Tartara dimiſſi, ſic illi turbulenti cives & impii ab Auguſto profligati ſunt, & rigidis pœnis multati. V. Vellej. lib. 2. Certe niſi hæc nefaria conſilia intendiſſet animo Poeta, quorſum 38. verſibus Jovis ultiones referret? præterea vidimus V. 11. Carminis præcedentis comparatum eſſe Auguſtum Jovi, Polluci, & Herculi propter fortitudinem, & conſtantiam, ut videbimus etiam initio Carminis quinti *Cœlo Tonantem*. optime congruit comparatio, Titanes potentes erant, magnum terrorem cœlo intulere. Fannius

Cæ-

Digitized by Google

Regina longum, Calliope melos,
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus, citharave Phœbi.
Auditis? an me ludit amabilis
Insania? audire & videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos & aquæ subeunt & auræ.
Me fabulosæ Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliæ
Ludo, fatigatumque somno
Fron-

Cæpio, Murena, Rufus, Egnatius potentissimi cives erant, ingentemque metum non modo Augusto, verum etiam Senatui Populoque R. incussere. Sed sicut Jupiter eos debellavit, & puniit auxiliantibus Diis omnibus, sic Augustus Senatus præsidio & vigilantia adjutus hos oppressit. Poterat ne impensius Principem laudare? Adeo sagaciter rem pertractat, ut eo attentiorem efficiat legentis animum, quo plura addit. Allegoria usus est prudenter, ne dolore afficiat Proculejum Murenæ Fratrem, & Mæcenatem levirum, & alios. Nobile est argumentum Carminis, & unum, quia clementia justitiæ arctissima cognatione devincitur in optimo Principe. Magnificus est stilus, & versuum structura. Anno 733 circiter, i. tribus ferme annis postquam Marcellus Octaviæ filius decessit, illæ conspirationes depressæ sunt. Versu 27. loquitur de casu arboris. Sanado asserit, V. 39. agi de copiis ab Augusto dimissis anno 744, quo Jani templum clausum est tertio & postremo. Sed constat, pluries antea copias dimissas fuisse, præcipue devicto Antonio. Crederem hoc Carmen confectum esse inter 736. & 737, quo temporis spatio Romæ Augustus pace fruebatur dimissis exercitibus, legem tulit de maritandis ordinibus, & seculares ludos celebravit. *.

V. 2. *Longum*, i. dignum, quod apud posteros celebretur.

V. 4. Citharæ fidibus.

V. 5. Hic poeticus spiritus admirabilis est. Vix invocata Musa se exaudiri sentit, jam audit cantus, quos poscit, & sibi fingit, a quolibet eos exaudiri. *amabilis insania* est species quædam insaniæ, sed amabilis.

V. 9. Probat se frui Musarum patrocinio. *Fabulosæ*, i. de qua plurimus sermo est.

Digitized by Google

Fronde nova puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsæ nidum Acherontiæ,
Saltusque Bantinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti:
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem, & ursis, ut premerer sacra
Lauroque, collataque Myrto,
Non sine dis animosus infans.
Vester, Camœnæ, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuere Bajæ.

Ve-

V. 11. Dormiendi desiderio oppressum, lassum propter somnum obrepentem.

V. 12. Viridibus ramis.

V. 14. Cacumina Vulturis extollebantur inter puerum, & Apuliam, extra quam erat latus Vulturis, ubi dormiebat Horatius; & ita puer subtrahebatur oculis spectantium.

V. 21. Omnia considerandæ sunt, quæ a docta manu prodeunt. Non patitur Poeta, legentes languescere. Imagines suas omnes animat, mira rerum varietate nos detinet. in exordio Poeticum spiritum effundit, quo repente tranquillato narrat rem, quæ sibi infanti contigit. Inde rapido volatu tollitur, & nos secum transfert in Sabiniam, Præneste, Tibur, & Bajas. Juvat illic jucundo otio frui. Deinde nos ducit in Musarum antrum, videmus Augustum inter doctas Deas, & eruditis utilibusque documentis intersumus, quibus Principem imbuunt. hæc, ut dixi, allegorice dicta lenitatem Augusti aperte declarant, ad quam Poetæ Carmina eumdem redegere. Sed repente horridum spectaculum nostras mentes percellit, tumultu Gigantum terra subvertitur, totum cœlum sedibus suis prope convulsum ad summum Deorum Regem tuendum confluit. Hac imagine allegorica repræsentatur Augusti justitia. Hunc locum de justitia cum præcedenti non connectit abreptus τῆς φυτικοῖς impetu. Quicumque Vates rem suam optime pertractat, longa Carmina profecto non scribet; licet enim revera longa sint, tamen semper brevia esse videbuntur: sed necesse est, ut ad aliquid certi & singularis tendat, nec sine causa.

Digitized by Google

Vestris amicum fontibus, & choris,
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non extinxit arbos,
Non Sicula Palinurus unda.
Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosphorum
Tentabo, & arentes arenas
Littoris Assyrii viator,
Visam Britannos hospitibus feros,
Et lætum equino sanguine Concanum,
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Cæsarem altum, militia simul
Fessas cohortes reddidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium & datis, & dato
Gaudetis almæ. scimus ut impios
Titanas, immanemque turmam

Ful-

V. 33. Assyria proprie dicta distabat a mari undequaque, ergo hic est pro Syria.

V. 34. *Concanum* populum in Hispania.

V. 36. Mare Caspium.

V. 37. *Altum* ab alere.

V. 40. Augustus doctus erat, subsecivis horis operam dabat Philosophiæ, linguæ Græcæ studio, Eloquentiæ, & Poesi, maxime Horatii Carminibus legendis delectabatur, (V. Horatii Vitam.)

V. 41. Musæ dulcium morum mel Augusti animo instillarunt. quasi dicat; meis Carminibus effeci, ut Augustus consilium relinquendæ Romæ deponeret. Callide autem rem occultat, ut alibi.

V. 42. (V. Præf. de Lyrica Poesi, ubi agitur de vacuis inter duas sententias intervallis.) ait, Musas maxime utiles fuisse Jovi in bello contra Titanas. Nomine Jovis, & cœlestium Numinum, quæ artibus & litteris præsunt, intelligit Augustum, & aulicos viros Sapientes, qui consiliis suis eidem Principi sæpe opitulabantur.

Digitized by Google

Fulmine ſuſtulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum, & umbras, regnaque triſtia,
Divoſque, mortaleſque turbas
Imperio regit unus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi,
Fidens juventus horrida brachiis,
Fratreſque tendentes opaco
Pelion impoſuiſſe Olympo.
Sed quid Typhœus, & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion ſtatu,
Quid Rhœtus, evulſiſque truncis
Enceladus, jaculator audax,
Contra ſonantem Palladis Ægida
Poſſent ruentes? hinc avidus ſtetit
Vulcanus, hinc matrona Juno, &
Nunquam humeris poſiturus arcum,
Qui rore puro Caſtaliæ lavit
Crines ſolutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemque Sylvam
Delius & Patareus Apollo.
Vis conſili expers mole ruit ſua,
Vim temperatam Di quoque provehunt
In majus: iidem odere vires
Omne nefas animo moventes.
Teſtis mearum centimanus Gyas
Sententiarum notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virginea domitus ſagitta.
Injecta monſtris terra dolet ſuis:
Mœretque partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum: nec peredit
Impoſitam celer ignis Ætnam:

In-

V. 44. Glorioſius eſt Jovi oppreſſiſſe Titanas, cum paſſus eſt fulmen in eos cadere, quam ſi jaculatus eſſet. Errat igitur Bentlejus, qui aſſerit hac voce *caduco* infirmitatem denotari.

Digitized by Google

Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Custos: amatorem trecentæ
Pirithoum cohibent catenæ. 80

V. 78. Nempe additus Tityo custos propter nequitiam, *custos*, i. tortor. *additus*, i. adpositus, adfixus. *nequitiæ*. i. homini nequam.*

CARMEN V.

Augustum laudat, quod armorum suorum metu Britannos, maxime vero Parthos subegisset.

CŒlo Tonantem credidimus Jovem
Re-

Ille verus germanusque est Heros, & maximis dignus laudibus, qui sine cæde sibi hostes submittit. Qui vero omnia diripit, & stragibus provincias complet non Heros, sed hominum osor, & eversor nuncupandus est. Merito Augustus vocatus est Princeps propter duo præclara facinora, quæ huic Carmini materiem præbuere. Primum est, quo Parthos sine cæde sibi subjecit, de secundo autem ita loquitur Strabo lib. 4, qui ea ætate florebat. „ Nunc viri „ quidam Principes ejus loci legationibus obsequiisque Cæ„ saris amicitiam consecuti, & dona Diis immortalibus in „ Capitolio posuere, & pene propriam Romanis, totam in„ sulam fecere. „. Hæc duo igitur facinora prope similia in unum coegit Poeta, quamvis 6, aut 7. annorum intercapedine inter se distarent. Verbum unum de primo eventu fecit, secundo vero longius immoratus est communis lætitiæ causa. Carmen hoc acris judicii partus est, robustum, grave, eloquentissimum. Oratio Reguli est numeris omnibus absoluta, & Personæ maxime accommodata. Reditus hujus in Africam imago miserabilis est, & τῦ πάθους pleniſſima. Augustus ab Oriente Romam venit 4. idus Octobris anno 735; eo ferme tempore scriptum est hoc Carmen. Præcipua mens Poetæ est, ut Augusti triumphos laudet, ejusque præclarum ingenium in tuenda militum disciplina occupatum. Cernendos præbet milites Romanos fideles, strenuos, invictos sub Augusti signis, sub Crassi vero ignavos, patriæ proditores, hostium socios, & servos. Quid

plu-

Digitized by Google

Regnare: præsens divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.
Miles ne Crassi conjuge barbara
Turpis maritus vixit? & hostium
(Pro Patria, inversique mores!)
Consenuit socerorum in arvis,
Sub Rege Medo, Marsus & Appulus
Anciliorum nominis & togæ
Oblitus, æternæque Vestæ,

In-

plura? opponit, orante Regulo, veteres milites catenis vinctos sub Poenorum potestate recentiotibus militibus, qui Augusto duce Britannos perdomuerunt. Hæc adulandi ars vix sub sensum cadit. Poeta vix videtur sentire comparationis vim, quam affert. Videtur ipse τῆς φαντασίας impetu abripi, & obliviscì præsentes triumphos, ut præteritas calamitates recenseat. En Odæ præstigia. τῇ φαντασίᾳ. Poetarum multæ vim sternuntur, per quas libere vagentur, quominus tamen ipsi migrent leges a Natura datas animi motibus. (Marmontel.)

V. 1. Illustris comparatio. Plurimum tribuit Augusto, quominus quidpiam detrahat Jovi. Hic quidem hostes suos ultoribus fulminibus adurit, ille sine cæde sibi subjicit. Jupiter est Deus vetus, *credidimus*: Augustus recens Deus factus est aliquot abhinc annis, *habebitur*.

V. 2. Salutaris, prosper, propitius.

V. 5. Quo probrosior fuit nomini Romano Crassi clades, eo gloriosior Augusto ejus ignominiæ deletio.

V. 6. Dupliciter infames erant milites, quod extraneas uxores ducerent, & quod per hæc conjugia sanguinem Romanum cum hostili conjungerent. Justum ac legitimum matrimonium minime censebatur, nisi saltem contractum fuerit inter cives Romanos.

V. 7. *Patriâ*; subauditur *inversa*.

V. 8. Antiqui suis mancipiis curam demandabant custodiendi gregis, colendorum agrorum &c. plurimæ mulieres barbaræ nubebant illis captivis Romanis. Rosellus, qui legit *armis*, ait, hac voce indicari instrumenta artis cujusque; quasi dicat Poeta, Romanos captivos exercuisse apud Parthos easdem artes, quas soceri. Ergo ipsi obliti sunt Capitolii; quæ est ingens infamiæ nota.

V. 9. *Sub rege*. Singularis pro plurali.

Digitized by Google

Incolumi Jove, & urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum;
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus sine cæde (dixit)
Derepta vidi; vidi ego Civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, & arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco:

Nec

V. 13. Hæc pulchra digressio maxime ad rem facit. Invidi gloriæ Augusti fortasse maligne opponent Augustum Regulo, qui censuerat negligendos esse captivos in pœnam ignaviæ. Poeta contra ostendit, Augustum optime assecutum Reguli mentem. Postquam enim per plures annos recusavit redimere captivos, & insignia a Parthis, armorum suorum gloria, & terrore usus est nominis, ut ferocibus hostium animis fractis debitum Romæ pareret honorem.

V. 18. Cic. lib. 3. de Off. ait: „ Regulus in Senatu sententiam dicere recusavit; „ quia ut captivus jure Senatoris, & civis Rom. privabatur, & ideo suffragium ferre non poterat.

V. 20. Exprobrat Regulus militibus animi abjectionem, dum se hostibus dediderunt projectis armis.

V. 25. Egregia ironia.

V. 27. Suet. c. 40. in Octavio ait: „ Magni præterea „ existimans sincerum, atque ab omni colluvione peregrini „ ac servilis sanguinis incorruptum servare populum, & civitatem R. parcissime dedit, & manumittendi modum „ terminavit. „

V. 28. Fucus est arbusculum marinum, quod lanam purpureo tingit colore. τὸ *fucus* etiam adhibebatur pro omnigeno colore. *medicata*, i. tincta quovis aromate sive bono sive malo admisto.

Digitized by Google

Nec vera Virtus, quum ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus:
Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners, timuitque mortem.
Hinc unde vitam ſumeret aptius,
Pacem & duello miſcuit; o pudor!
O magna Carthago, probroſis
Altior Italiæ ruinis!
Fertur pudicæ conjugis oſculum,
Parvoſque natos, ut capitis minor,
Ab ſe removiſſe, & virilem
Torvus humi poſuiſſe vultum,
Donec labantes conſilio Patres
Firmaret auctor numquam alias dato,
Interque mœrentes Amicos
Egregius properaret exul.

At-

V. 30. Virtus negat honorem recipere, quo a vitio olim ſpoliata fuit.

V. 31. Timida cerva retibus extricata Venatori potius concurret.

V. 32. I'ρωικὰς.

V. 33. Τὸ *credidit* opponitur τῷ *hoſtibus*. prima vox denotat Militum R. confidentiam, altera Pœnorum perfidiam.

V. 34. *Altero*, ſcilicet certamine.

V. 35. Catenas.

V. 38. Quanto eſt hoc dedecori Romæ!

V. 40. Hæc victoria te extollit ſupra ruinas Italiæ. Sed tua gloria noſtræ ignaviæ debetur.

V. 42. *Minor* ratione capitis. *caput* eſt ſtatus, conditio vitæ. Regulus redit Carthaginem ad toleranda atrocia ſupplicia, quæ ſibi parata eſſe intelligit. Hic animi ſenſus in Regulo ſublimis eſt, non vividus. Horatius in eo terribili ſtatu Reguli tranquillitatem conſiderat, hoc ſpectaculo percellitur, poetico impetu fertur; in Poeta animi ſenſus vividus eſt, non ſublimis. (V. Præf. de Subl.)

Digitized by Google

Atqui ſciebat, quæ ſibi barbarus
Tortor pararet. Non aliter tamen
Dimovit obſtantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam ſi clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

V. 53. Carthaginem reverſus eſt æque tranquillo vultu, ac ſi confectis negotiis ſuorum Clientium proficiſceretur in floridos campos Venafri, aut Tarenti, ut ſe improbis laboribus levaret.

CARMEN VI.

AD ROMANOS.

Religionis contemtum, & morum corruptelam maxima Romanis mala intuliſſe.

DElicta Majorum immeritus lues,

* Horatius, qui Reip. Statum optime callebat, & Mæcenatis, Agrippæ, & Scatilii Tauri, aliorumque politicorum virorum familiaritate utebatur, facile intelligebat Religionem potiſſimum frenum eſſe, quo populus in officio contineretur, eaque contemta mores maxime corrumpi, artemque militarem obſoleſcere. Hinc hoſtes ignavia Romanorum civium in dies inſoleſcere. Ut his incommodis occurreret Poeta fortaſſe conſilio Mæcenatis & Agrippæ Romanos hortatur, ut Deos colant; proponit mala, quibus Reſp. obnoxia diu fuit propter Deorum contemtum. Auguſtus anno 726 Apollinis Templum excitavit in ea parte Palatinæ domus, quæ fulmine icta fuit, quod Templum deſiderari a Diis aruſpices pronunciarunt. Sane non gratis hoc Carmen ſcripſit Poeta, nam hortante Auguſto multa a multis Templa refecta ſunt. „ Sed & ceteros Principes „ viros ſæpe hortatus eſt, ut pro facultate quiſque monu„ mentis vel novis vel refectis, & excultis urbem adorna„ rent: multaque a multis extructa ſunt, ſicut a Marcio „ Phi-

Digitized by Google

Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labentes Deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.
Dis te minorem quod geris, imperas.
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.
Jam bis Monœses, & Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, & adjeciſſe prædam
Torquibus exiguis renidet.

Pene

„ Philippo ædes Herculis, Musarum: a L. Cornificio ædes „ Dianæ: ab Asinio Pollione Atrium Libertatis; a Munacio „ Planco ædes Saturni. &c. „ (Suet. in Oct. c. 29.) diximus alibi a Senatu, qui magno cum doloris sensu morum corruptelam videbat, Augustum per Quinquennium moribus conformandis præfectum fuisse anno 735. hinc Princeps multas leges tulit, quibus populi licentiam comprimeret. Sanado putat, hoc Carmen factum anno 726. vel 727. ego arbitror, aliquot annis post ab Horatio scriptum, & editum, atque recitatum in bibliotheca Palatina jussu Augusti. & Mæcenatis eo ferme tempore quo Augustus hortabatur viros nobiles ad ædificanda templa, & Senatus meditabatur, morum corruptelam per Augustum tollere. Mirari est in hoc Carmine sententiarum splendorem, ac vim, imaginum venustatem, verborum lautitias. *

V. 1. Plato, & Plutarchus viderunt, delicta Patrum a Diis puniri usque ad quartam generationem. Convenit inter quamlibet Religionem ad Deos omnes humanos eventus referendos esse.

V. 2. Templum est proprie locus ab Auguribus circumscriptus, & poterat fieri ædes sacra, si cuipiam Deo sacraretur. „ Vossius ait: Templum per se auguratum est, non „ sanctum: ædes per se sancta, non augurata. „

V. 11. Parthi gestabant torques minores, quam ferrent Galli, & Germani, eosque ornabant gemmis, quas Romanis abstulerunt. videntur Parthi nondum reddidisse signa Augusto. ergo hoc Carmen confectum est paulo ante annum 734.

Digitized by Google

Pene occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus, & Æthiops:
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis:
Fœcunda culpæ sæcula nuptias
Primum inquinavere, & genus, & domos:
Hoc fonte derivata clades
In Patriam, populosque fluxit:
Motus doceri gaudet Ionios
Matura Virgo, & fingitur artibus
Jam tunc, & incestos amores
De tenero meditatur ungui:
Mox juniores quærit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis:
Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,

V. 13. Parum abfuit, quin *Antonius* & Cleopatra cum Dacorum exercitu, & classe Æthiopum Romam jam nostris crudelibus discordiis quassatam subverterent.

V. 14. Daci & Æthiopes in exercitu erant Antonii. *Daci ad Antonium inclinaverant*, ait Dio lib. 51. anno 725.

V. 17. Licentiam morum ex adulteriis manasse ait. ideo Augustus legem Juliam de adulteriis renovavit anno 736.

V. 21. Jonii erant populi voluptuosi, & molles, dediti choreis.

V. 25. Τὸ *Juniores* vel absolute dictum, vel relate ad maritum, vel pro τοῖς recentes.

V. 26. *Vina*, i. convivia.

V. 27. Illicita.

V. 28. Inter tenebras ultro quæsitas.

V. 29. *Non sine conscio* opponitur τῷ *raptim*. addit, a maritis consentientibus impudicitiam & licentiam comprobari.

V. 30. Vel e lecto, vel e mensa venit in amplexus negotiatoris, vel Nucleri peregrinorum hominum, approbante lenone *Marito*.

Digitized by Google

Seu navis Hiſpaniæ magiſter,
Dedecorum pretioſus emtor.
Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico:
Pyrrhumque, & ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemque dirum.
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas, & ſeveræ
Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſtes, ſol ubi montium
Mutaret umbras, & juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

Damno-

V. 31. Mercator, nauta, dominus navis. Hiſpani Romam invehebant vinum, & hinc alias merces devehebant.

V. 32. Præclare dictum. τὸ *pretioſus* idem eſt ac damnoſus, qui magno pretio emit. Denotat mulierum avaritiam, quæ amaſios quærebant mercatores, & magiſtros navium, qui pecuniam largius perſolverent, quam cæteri.

V. 33. Huic picturæ tam vividæ, qua recentes mores repræſentantur, alteram contrariam comparat, qua antiqui. hinc facilius recens dedecus a veteri decore dignoſcitur.

V. 34. Agit de primo bello Punico. poſtremum certamen initum eſt apud Hieriam hodie *Maretimo* prope Siciliam. Lutatius Catulus 50 Pœnorum naves demerſit, & cepit 70.

V. 37. * Vegetius cauſam affert eorum, quæ dicit Poeta. „ Aptior armis ruſtica plebs, quæ ſub dio, & in labore „ nutritur, ſolis patiens, umbræ negligens, balneorum ne„ ſcia, deliciarum ignara, ſimplex animi, parvo contenta, „ duratis ad omnium laborum tolerantiam membris, cui „ geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre, conſuetudo „ de rure &c. „

V. 40. Sabelli ſunt Samnites, illi obcalluerunt in laboribus bellicis, & ruſticis. diem terebant aut in colenda terra ante conſpectum Matris vigilantis, aut in cædendis lignis, quæ congeſta ipſi portabant, cum ſol conficiens curſum vertebat umbram montium Orientem verſus, & laſſis bobus jugum demebat, & quietem dabat colonis.

Digitized by Google

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

V. 45. Hi quatuor postremi versus mirabiles sunt, breviori verborum gyro tot ac tanta dici non poterant.

CARMEN VII.

AD ASTERIEN.

Solatur Asterien de mariti absentia solicitam, & ut in ejus fide perseveret, hortatur.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii,
Thyna merce beatum,
Constanti juvenem fide
Gygen? ille notis actus ad Oricum,
Post insana Capræ sidera, frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrymis agit.
Atqui solicitæ nuncius hospitæ,

Hæc Ode tota moralis est. Fides Sponsi absentis in causa esse debet, cur Asterie omnem animo suspicionem depellat, monet illam, ut modeste vivat, & caveat, ne familiaritate Eripei usa ejusdem amore tandem capiatur. Sententiæ, dicendi modi, versuum numeri suavitate ipsa suaviores sunt.

V. 1. Gyges erat juvenis græcus, & dives mercator, qui nuper uxorem sibi adjunxerat Asterien pariter græcam. Nuncius fortasse Romam allatus de Gyge per aliquot Nautas, qui illinc discesserant.

V. 6. Capræ orientis, an occidentis?

V. 9. Dexter leno Chloes hospitæ Gygi significat amorem sacrum, quo Chloe ardet, & omnia tentat, ut tibi sponsi animum eripiat. Hæc Chloe Orici, in cujus domo Gyges hospes erat, non est valde prudens, Asterie suspectum habere Gygen poterat.

Digitized by Google

Suſpirare Chloen, & miſeram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.
Ut Prætum mulier perfida credulum
Falſis impulerit criminibus, nimis
Caſto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narras pene datum Pelea Tartaro,
Magneſſam Hippolytem dum fugit abſtinens:
Et peccare docentes
Fellax hiſtorias movet.
Fruſtra: nam ſcopulis ſurdior Icari
Voces audit adhuc integer; at, tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus juſto placeat, cave:
Quamvis non alius flectere equum ſciens
Æque conſpicitur gramine Martio:
Nec quiſquam citus æque
Tuſco denatat alveo.
Prima nocte domum claude, neque in vias
Sub cantu querulæ deſpice tibiæ:
Et te ſæpe vocanti
Duram, difficilis mane,

V. 14. Bellerophon rejiciendo turpes Antheæ amores videbatur illi impudicæ fœminæ ſcilicet Chloæ, nimio virtutis ſtudio duci.

V. 19. Vir a ſecretis Chloes cum non poſſet impellere in fraudem Gygem timore periculorum, quæ ſubiere illi duo caſtiſſimi juvenes, conabatur id perficere exemplo contrario eorum, qui voluptatem virtuti prætulere. Antheæ, & Hippolytæ non ſemper Bellerophontes, & Peleos offendunt.

V. 22. Simpliciter ad Aſterien redit. Eam jure monet de fide ſervanda, videbatur illa indigere conſiliis. Enipeus erat juvenis alienigena.

V. 32. *Dura* eſt, quæ ſenſu amoris caret, *difficilis* autem amantibus aſpera. ita Baſterius.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN VIII.

AD MÆCENATEM.

Invitat Mæcenatem ad feſtum domeſticum hilariter celebrandum.

MArtiis cœlebs quid agam Calendis,
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, poſituſque carbo in
Ceſpite vivo,
Docte ſermones utriuſque linguæ,
Noveram dulces epulas, & album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, feſtus
Corticem adſtrictum pice dimovebit

Mæcenas cum Horatii domum petiiſſet, obſtupuit videndo domeſtici feſti apparatus. Poeta rem docet, eumque rogat, ut ſe ſocium feſto adſcribat. Carmen eſt ſimplex, & elegans, quod res ipſa poſtulat. fortaſſe ſcriptum eſt anno 735.

V. 1. Conjuges feſtum celebrabant Calendis Martiis, ad memorandam pacem, quam Sabinæ compoſuerunt inter maritos, & Patres; viri vero ad propitios conjugio, ſuo faciendos Deos.

V. 3. Ex eo, quod Mæcenas obſtupuit, colligitur, Menſem Martium fuiſſe primum, quo Poeta ſibi pereundum putavit arboris caſu. Si Poeta hoc feſtum egiſſet pluribus deinceps annis, Mæcenati hoc palam fuiſſet.

V. 5. Opera, libros.

V. 6. Legerem libentius *altum*, i. nutritum: ut ſit ſenſus: quod me Bacchus morte liberavit in caſu arboris, ſcio me illi debere convivium, & Caprum.

V. 7. Alibi ſuam incolumitatem tribuit Fauno, hic vero Baccho, & ita plurium Deorum fidei ſe commiſſum prædicat.

V. 10. *Corticem*, i. operculum e cortice, vel ſubere picato.

Digitized by Google

Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.
Sume, Mæcenas, cyathos amici
Soſpitis centum, & vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis eſto
Clamor & ira:
Mitte civiles ſuper urbe curas.
Occidit Daci Cotiſonis agmen;
Medus infeſtus ſibi luctuoſis
Diſſidet armis.
Servit Hiſpanæ vetus hoſtis oræ
Cantaber, ſera domitus catena:
Jam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatis nimium cavere, & ut

Dona

V. 11. *Inſtitutæ*. deſtinatæ; vel quæ incepit reddere vinum validum, & fumoſum.

V. 12. Alii putant, agi de M. Tullio Cic., alii de L. Julio Tullo, ſed errant. agitur de L. Volcatio Tullo, qui conſul fuit primum anno 688, iterum vero 721. Tanaquillus, Dacierius, Baſterius cenſent, ſignificari primum hujus viri conſulatum. ergo illud vinum agebat annum 47, & inſulſum erat. nam Plinius lib. 14. c. 4. ait: „ non alia res majus incrementum ſentit ad vigeſimum annum, „ manjuſve ab eo diſpendium. „ Præterea *vina*, teſte Columella lib. 10, c. *6. vetuſteſcunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt*. Et Cic. in Bruto ait: „ nimia vetuſtas nec habet eam, quam quærimus ſuavitatem, nec eſt jam ſane tolerabilis. „ Ergo confugiendum eſt ad ſecundum Tulli Conſulatum, nempe ad annum 721. ergo hoc vinum 13 annum agebat. ſi agitur de primo Tulli Conſulatu, exaggerat Poeta, ut in Ode 14 hujus verſu 18.

V. 15. *Perfer*, conſume totam noctem in compotatione. *eſto*, i. erit. Mæcenas erat placido & dulci ingenio, menſa, & convivarum ſocietate delectabatur, ſed ſtrepitum, clamores oderat. pollicetur Horatius, nullo tumultu perturbatum iri gaudium in convivio.

V. 18. (V. Ind. *Octavius*.)

V. 26. *Privatus* opponitur τῷ *populus*. Invigilabat Mæcenas.

Dona præſentis rape lætus horæ, ac
Linque ſevera.

cenas pro munere ſuo non modo Reip., ſed etiam privatorum ſaluti. Poeta oſtendit, quoad primum, Mæcenatem tranquille agere, quoad alterum vero, tantiſper oblectationi ſe dare debere. Roſellus qui legit *privatus*, vertit, *in loco privato*, *ſolus*, *familiariter*. & ita conſtruit locum: *parce privatus nimium cavere*, *ne populus negligens qua laboret*.

CARMEN IX.

HORATII ET LYDIÆ DIALOGUS

Hor. DOnec gratus eram tibi,
Nec quiſquam potior brachia candidæ
Cervici juvenis dabat;
Perſarum vigui rege beatior.
Lyd. Donec non aliam magis 5
Arſi-

Hujus Carminis ingenium ruſticorum dialogorum ſimplicitati affine eſt, ſimulque aulicæ, & verſipelli amandi tationi. Anceps fert animus, cui anno illud adſcribendum ſit. Certe ſcriptum eſt ante 25 & poſt 8, 13, & 23 libri primi. Poeta nondum ſeneſcebat. Scaliger ait: „ inter cæ„ teras vero duas (odas) animadverti, quibus ne ambro„ ſiam quidem & nectar dulciora putem. altera eſt *donec* „ *gratus eram*: altera, *quem tu Melpomene*, nempe 3. lib. 4. „ quarum ſimiles malim a me compoſitas, quam Pythioni„ carum multas Pindari, & Nemeonicarum, quarum ſimi„ les malim compoſuiſſe, quam eſſe totius Tarraconenſis „ Rex. „

V. 1. Ut prorſus intelligatur hujuſce Carminis vis, ſciendum eſt, duas leges obſervari ſolitas fuiſſe in eo dialogorum genere, quos Græci & Latini vocarunt ἀμοιβαῖα Carmina. Qui poſtremus loquebatur, eodem numero verſuum, & metro reſpondere debebat, & contraria, potioraque, quam alter, dicere. Poeta utramque legem ſatis ſuaviter ſervavit.

V. 2. *Melior*, i. optabilior, felicior.

V. 4. Proverbium ad ſignificandas opes.

V. 5. Poeta ſimpliciter dixerat, *gratus eram*, Lydia vero dicit, *arſiſti*. Lydiæ oratio creſcit.

Digitized by Google

Arsisti, neque erat Lydia post Chloen,
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.
Hor. Me nunc Thressa Chloe regit,
Dulces docta modos, & citharæ sciens;
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animæ fata superstiti.
Lyd. Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornithi;
Pro quo bis patiar mori,
Si parcant puero fata superstiti.
Hor. Quid si prisca redit Venus?
Diductosque jugo cogit aheneo?
Si flava excutitur Chloe?
Ejectæque patet janua Lydiæ?
Lyd. Quamquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice & improbo
Iracundior Adria;
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

V. 7. Singularis dicendi modus. *multi nominis*, h. e. celebris. vel quia multis nominibus claris & gratis nuncupabatur. v. g. Ilia, Egeria.

V. 9. Colligitur hinc Odem 23 lib. 1. contextam fuisse ante hanc.

V. 14. (Vide Od. 9. lib. 1.)

V. 18. Subobscuro sensu quærit a Lydia, an ægre victura fuerit secum arctiori amoris vinculo obligata, quam antea fuerit, sed non absolvit sententiam suam in petitione. Ex quo hic locus insignior fit. Nam hæc ellipsis mirifice amorem, & zelotypiam Poetæ exprimit. id nempe sibi vult, Si primus noster amor rediret, & Venus tenacioribus vinculis nos devinciret, an adhuc illum Calain amplecti cuperes, pro quo inquis te velle mori? Sensus hic firmatur ipsa Lydiæ responsione, quæ simpliciter dicit; si res ita se haberet, tecum viverem & morerer lubentissime. *vè lubens* sententiam sane dulcem explicat.

V. 22. *Cortice*, i. subere. Hæc dictio non significat inconstans Horatii ingenium, sed nugatorium, quod Lydia spectat tanquam causam iræ Horatianæ.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN X.

AD LYCEN.

Eam monet, ut posita duritie sibi supplici parcat,

EXtremum Tanaim si biberes, Lyce,
Sævo nupta viro, me tamen asperas
Porrectum ante fores, objicere incolis
Plorares aquilonibus,
Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulchra situm tecta remugiat
Ventis? & positas ut glaciet nives

Duro

Fragmentum unum vidimus eorum Carminum, quæ Amasii ad fores Amicarum canebant sibi aditum negantium. Nempe Odem 26. lib. 1. Hoc vero Carmen integrum est, quod Poeta ad fores Lyces canit, quodque sane pretiosissimum est. Nam hoc unum latino sermone nobis reliquum est ex tota antiquitate. tibia voci consonabat in cantu. Vocabatur παρακαυστίθυρον.

V. 1. Si nata esses ea in regione, unde oritur Tanais, Lyce erat nobilis femina Hetrusca, aut saltem filia Hetrusci hominis, ut apparet ex v. 12. Contra eandem Poeta scripsit Odem 13. lib. 4.

V. 2. Hæc verba secus accipi possent, ac revera sentit Poeta, quia mulier illustris, crudeli Marito nupta aut barbaro fere amasiis morem gerit. Sed alio sensu intelligendus est hic locus. Significat, sævitiem barbari conjugis non impedimento fore Amicæ, quominus illa pietate moveatur, & coram etiam lugeat videns se prostratum ante fores rigidis hyemis nivibus. *me tamen*, ordo est: *Plorares tamen objicere me incolis aquilonibus porrectum ante fores asperas. asperas*, i. duras, robustas. *incolis*, qui in Scythia, ubi oriuntur, rigidi sunt.

V. 3. Duobus modis hujusmodi carmina dicebantur: vel corpore strato in cantu, vel post cantum. Poeta primum ritum sequitur, Theocritus secundum in Idyl. 3.

V. 6. Hinc licet colligere, Lycen esse illustrem feminam.

V. 7. Lapsas.

Digitized by Google

Duro numine Jupiter?
Ingratam Veneri pone ſuperbiam:
Ne currente retro funis eat rota.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit pater.
O quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus viola pallor amantium,
Nec vir Pieria pellice ſaucius
Curvat, ſupplicibus tuis
Parcas, nec rigida mollior eſculo,

Nec

V. 8. Aer.

V. 10. Fortunam fortaſſe intelligit. Si funis, quo quempiam illa ſuſtulit, rumpitur, jam continuo miſer recidit in humum unde ſublatus fuit. vel loquitur de illis rotis, quas antiqui imponebant pontibus, ut naves ſurſum traherentur facilius, & obſtantes aquas vincerent. ſenſus eſt: mitte tuam feritatem Veneri tam ingratam, ne ſi funis rumpatur, currente aqua retro traharis.

V. 11. Non dicit, Lycen non eſſe Penelopen; præterquamquod enim hoc eſſet minus gratum, contrarium quoque foret ſequenti ſententiæ. ait igitur, eam, utpote quæ Patre Hetruſco prognata eſt, non eſſe natam ut Penelopen ageret, quia Hetruſci erant valde voluptuoſi, & diſſoluti.

V. 15. Eſt nomen fortaſſe meretricis, quam deperibat maritus Lyces, aut eſt nomen patronymicum ex Pieria, ex Thracia, ex Macedonia. Plerique illuſtres quoque viri Romani erant ancillarii.

V. 16. Si Lyce flecti non poterat nec muneribus, nec precibus Amantium, quomodo inquit, *ſupplicibus tuis parcas*? quidam putant τὸ preces ſignificare ſimplices preces, & τὸ *ſupplicibus* amantes, qui genuflexi orabant. Sed falſo. hæc, opinor, eſt Poetæ mens: licet nec munera, nec preces ne minimum quidem valeant apud tuum animum, & tu ſis ſemper crudelis propter φιλαυτίαν, tamen minus crudeliter agere debes cum tuis amantibus, neque eos ad extremam uſque perniciem inſectari. Illi enim non ſemper eo animo adfecti erunt, ut noctes ad januam traducant, & peſſima quæque patiantur. τὸ *ſupplicibus* indicat ſtratum in limine januæ.

V. 17. *Rigida*, refertur ad τὸ *curvat*. hoc dicitur de arboribus, quas colonus curvat, ut vitibus jungat.

Digitized by Google

Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit luminis aut aquæ
Cœlestis patiens latus.

V. 18. *Nec Mauris* &c. refertur ad τὸ *porcas*.

V. 19. Quod Poeta pollicetur Amicæ, accidit aliquot annis post. nam contra eam scripsit Odem 13. lib. 4. hinc licet percipere, Poetam non fuisse senem, cum hanc composuit.

CARMEN XI.

AD MERCURIUM.

Gravissimas vel in Inferis pœnas sævitiæ constitutas esse.

MErcuri, (nam te docilis Magistro
Movit Amphion lapides canendo)
Tuque Testudo, resonare septem
Callida nervis:
Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divi-

Hujus Carminis argumentum commune est, sed fatendum, magnum illi pondus addi ex modo, quo pertractatum est. Injuriæ, quas Poetæ Lyde inferebat, eo devenerant, ut illa ne audire quidem amplius vellet versus. Obfirmatum ejus animum vincere aggreditur hoc Carmine, cujus stilus ad Pindaricam sublimitatem accedit. bipartito dividitur. 24 primis versibus invocatur & laudatur Mercurius, & Lyra, non sine causa. Cæteris 24 pariter carmen veluti sejunctum componentibus Poeta vivide & suaviter Danaidum historiam apte narrans ob Lydes oculos ponit supplicium, quod ejus crudelitatem consequi poterat. Fortasse juvenis admodum Poeta hæc cecinit. fugit, quænam fuerit hæc Lyde. Ode, *Festo quid potius die* indicat, hanc Lydem non semper idem sensisse erga Poetam.

V. 2. Orans Mercurium eloquii, dolorumque patrem, ut Lyden flectat, apte adfert Amphionis exemplum, quem ipse deus sonare lyra docuit.

V. 5. Antequam Mercurius ita te perficeret, ut sonum jucun-

Digitized by Google

Divitum menſis, & amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obſtinatas
Adplicet aures.
Quæ velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigres, comiteſque ſylvas
Ducere, & rivos celeres morari:
Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus, quamquam furiale centum
Muniant angues caput, æſtuatque
Spiritus teter, ſanieſque manat
Ore trilingui.
Quin & Ixion, Tityoſque vultu
Riſit invito; ſtetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde ſcelus, atque notas
Virginum pœnas, & inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,
Quæ manent culpas etiam ſub Orco,
Impiæ: nam quid potuere majus?

Im-

jucundum redderes. teſte Nicandro Mercurius teſtudinem invenit in littore Nili, & ex ejus teſta lyram conflavit. vide O. 3. lib. 4.

V. 10. Saltitat. *metuit*, i. vitat diligenter.

V. 11. Amorum.

V. 12. Immatura.

V. 13. Hiſce duodecim verſibus Poeta ſe convertit ad ſuam lyram. loquitur etiam de Orpheo Poeta, Cantore, & Citharœdo eximio, qui manſuefecit tigres, i. feroces homines.

V. 17. Triceps monſtrum, cuſtos Plutoniæ domus. Tam horribili adſpectu, & facie eum pingit Poeta, ut refugiat animus. quanta vis in imagine, quanta in verbis, & numeris!

V. 27. Supplicium Danaidum ſpectat Lyden.

Digitized by Google

Impiæ ſponſos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, & in omne Virgo
Nobilis ævum.
Surge, (quæ dixit juveni marito)
Surge, ne longus tibi ſomnus, unde
Non times, detur: ſocerum, ac ſceleſtas
Falle ſorores.
Quæ velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos (eheu!) lacerant: ego illis
Mollior, nec te feriam, nec intra
Clauſtra tenebo.
Me Pater ſævis oneret catenis,
Quod viro clemens miſero perperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
Claſſe releget.
I, pedes quo te rapiunt, & auræ,
Dum favet nox & Venus, i ſecundo
Omine: & noſtri memorem ſepulcro
Inſculpe querelam.

V. 34. Dupliciter perfidus fuit Danaus, dum trucidari juſſit generos, & ſpem fruſtratus eſt fratris habendi prolis, quæ Argis imperare debebat.

V. 37. Oratio Hypermneſtræ, qua intimus animi receſſus, ſenſuſque maxime commoventur.

V. 50. *Venus*, i. amor conjugalis.

V. 51. Videtur Hypermneſtra loqui de ſuo ſepulchro non de Lincei. hæc femina certe ſciebat, ſe fore victimam iræ Paternæ, cum tetro carcere clauderetur. Lynceus ope Ægypti patris poterat triſti illo officio fungi ſibi ab uxore impoſito.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XII.

AD NEOBULEN.

Ejus vicem dolet, quod patrui severitate ab amatoriis oblectamentis avocetur.

Miserarum est, neque amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere: aut exanimari metuentes
Patruæ verbera linguæ.
Tibi qualum Cytheræ puer ales, tibi telas,
Operosæque Minervæ studium aufert, Neobule,
Liparei nitor Hebri,
Simul uncus Tiberinis humeros lavit undis;
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
Neque segni pede victus,

Celer

Neobulen munit contra acerbas Patrui duri objurgationes, monetque, ut nihil ejus verba ducat; eodemque tempore laudat amorem, quo illa in Hebrum fertur, juvenem ad unguem factum, valde agilem, deditumque venationi, & Campi Martii exercitationibus. Putat Glareanus hic derideri Neobulen per ironiam, quod relicta muliebri exercitatione capta sit amore, & desideat. Sed hoc consilii discordat ab Horatii ingenio. Ignotum est, quo tempore hæc Ode (seu Odæ fragmentum) scripta fuerit. Græcam scribendi rationem redolet.

V. 1. Indulgere, morigerari.

V. 2. Mala ab amore manantia.

V. 4. Vimineum canistrum, ubi ponebant Matronæ fusos, lanam, pensum &c. Ait, Neobulen dare operam pensis non posse, quia amore Hebri tenebatur.

V. 5. *Operosæ*, i. industriosæ.

V. 6. Nitidus, formosus Hebrus. Lipara est una ex Æoliis insulis Siciliæ.

V. 7. Græce. cadit poeta in vitium, quod Græci vocant κακοζηλίαν.

Digitized by Google

Celer idem per apertum fugientes agitato
Grege cervos jaculari, catus arcto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

V. 10. Agitare, *for levare*. pertinet hæc vox ad venatum.

V. 12. *Fruticeto*, i. loco denſis vepribus conferto. *excipere*, i. opprimere, improviſo aggredi.

CARMEN XIII.

AD FONTEM DIGENTIAM.

Fonti ſacrificium, & ab verſibus ſuis celebritatem ſpondet.

O Fons Banduſiæ, ſplendidior vitro,
Dulci digne mero, non ſine floribus,
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem, & prælia deſtinat
Fruſtra, nam gelidos inficiet tibi
Rubro ſanguine rivos
Laſcivi ſoboles gregis.
Te flagrantis atrox hora caniculæ
Neſcit tangere: tu frigus amabile
Feſſis vomere tauris
Præbes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,

Me

Fons in fundo magni Poetæ immortalis eſſe debet. Digentia ad Horatium pertinebat Lyricorum Poetarum Principem. Ejus fontis memoria æternum duratura eſt per hoc Carmen, campeſtris illius amœnitatis plenum, quæ mentem præſertim titillat. (V. Ind. *Uſtica*).

V. 4. Frons jam tumore oſtentat futuram cornuum eruptionem. hic locus valde elegans, vividus, & naturalis eſt.

V. 13. Fies unus e numero nobilium fontium. hæc Ellipſis concinna eſt, & propria lyricæ poeſeos.

Digitized by Google

Me dicente cavis inpositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphæ desiliunt tuæ.

V. 14. Pars illius nemoris, quod circumdabat fontem, vocabatur nemus Vacunæ.

CARMEN XIV.

AD ROMANOS.

Augusti reditum ex Hispania celebrat.

HErculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Cæsar, Hispana repetit penates
Victor ab ora,
Unico gaudens mulier marito
Prodeat, justis operata divis:

Et

Augustus mense Junio anno 727 Roma discessit ad invadendas insulas Britannicas. Illi populi imminentem perniciem effugerunt. Princeps a supplicibus legatis se placari passus est. Hispaniam petiit, Cantabros, & Asturios devicit, & Romam regressus est anno 730. Poeta Augusti reditum canit, quemadmodum ejus discessum dixerat in Ode, *O Diva gratum*. Hæc videtur prodiisse eodem die, quo ille Princeps Romam pervenit. Postquam publicos hujusce festi ritus descripsit, domum se recepit, ut cum Amicis genio indulgeret. Optima est hæc Ode. In prima parte gravior, in secunda hilarior. Sed rei magnitudini non respondet.

V. 1. Hercules victor in Latium venit post debellatam Hispaniam. Dacierius ait, Herculem nunquam illuc iviſſe. Sed fabula & Dionysius Geographus id asserit. Injuriam facias Poetæ, si locupletiores Auctores ab eo postules. Hujus versus finis molestus est delicatissimi fastidii hominibus.

V. 2. Augustus vita periclitatus erat in expeditione Cantabrica. (Suet. in Oct. c. 29.)

V. 5. Livia.

V. 6. Postquam justis divis operata est. *justis*, quia victoriam & reditum Cæsari merenti dederunt.

Digitized by Google

Et soror clari ducis, & decoræ
Supplice vitta
Virginum matres, juvenumque nuper
Sospitum. vos o pueri, puellæ, &
Jam virum expertes, ab inominatis
Parcite verbis.
Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam tenente
Cæsare terras.
I, pete unguentum, puer, & coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli:
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.
Dic & argutæ properet Neæræ
Myrrhinum nodo cohibente crinem:
Si per invisum mora janitorem
Fiet, abito:
Lenit albescens animos capillus,
Licium, & rixæ cupidos protervæ.

V. 7. Octavia.

V. 10. Tò *sospitum* refertur ad *tò juvenum*, nempe eorum, qui comitati sunt Augustum in Hispaniam, h. e. M. Lollii filii, Plotius Numida, & Julius Florus. Hæc expeditio quibusdam eorum infelix fuit.

V. 11. Quæ nuper vestros conjuges amisistis. *inominatis*, i. mali ominis.

V. 15. *Vis* significat bella externa. *tumultus* bella civilia. Reversus Romam clausit templum Jani exacto mense Junio, anno 730.

V. 18. Hoc vinum 68 circiter annos agere debuerat. exaggerat Poeta.

V. 19. *Potuit*, i. cadus. *cadus* & *amphora* denotat figuram, *testa* materiem.

V. 21. Erat peregrina mulier, quæ suavem, claram, & acutam vocem emittebat.

V. 25. Tunc pene absolverat 41 ætatis annum. fortasse ille janitor non belle excepit Horatium.

Digitized by Google

Non ego hoc ferrem calidus juventa,
Consule Planco.

V. 28. Consulatus L. Munacii Planci incidit in annum 712. eodem anno peractum est Philipense prælium.

CARMEN XV.

AD CHLORIM.

Libidinosam senectutem ipsi exprobrat.

UXor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiæ fige modum tuæ,
Famosisque laboribus.
Maturo propior desine funeri
Inter ludere Virgines,
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non si quid Pholoen satis,
Et te, Chlori, decet. Filia rectius

Ex-

Satyrica est hæc Ode in Chlorin matrem Pholoes. Suspicari possumus eam scriptam fuisse post 33. lib. 1, & post 5. lib. 2.

V. 1. Cum meretrices senescebant, ut impune pergerent vivere, nubebant miseris hominibus, qui earum mancipia potius, quam mariti erant. hujusmodi erat iste Ibycus. „ Pauperes eligunt (ait D. Hieron.) ut nomen tantum „ virorum habere videantur, qui patienter rivales sustine- „ ant, si mussitaverint, illico projiciendi. „

V. 2. Impudicitiæ, quæ ab incontinentia nascitur.

V. 3. Impudicitiis.

V. 5. Saltare.

V. 6. Allegorice, & eleganter dictum. puellas stellis comparat, & anum nigræ nebulæ.

V. 8. Pholoe filia Chloridos. quemadmodum juvenes personati aliquando noctu meretrices invisebant, & earum domos expugnabant, nisi janua sibi aperiretur, ita meretrices idem agebant, ut juvenum domos ingrederentur. (Sen. in præf. lib. 4. Controv. Nat., & Plautus Mil. glor. Act. 4. sc. 6.)

Digitized by Google

Expugnat juvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivæ similem ludere capreæ:
Te lanæ probe nobilem
Tonsæ Luceriam, non citharæ decent,
Nec flos purpureus rosæ,
Nec poti vetulam face tenus cadi.

V. 11. In Ode 33 lib. 1. & in 5 lib. 2. loquitur Horatius de hac Pholoe tanquam de puella, quæ nondum amotis stimulos senserat; hoc loco vero eam inducit amore Nothi insanientem.

V. 12. Saltare, currere.

V. 13. Vetulæ meretrices eo deveniebant, ut trahendis pensis victum sibi quæritarent.

V. 15. Coronæ, serta.

V. 16. Meretrices in conviviis in vinum meracius sese intemperanter ingurgitabant.

CARMEN XVI.

AD MÆCENATEM.

Divitias malorum omnium fontem esse, summum vero bonum in mediocritate consistere.

INclusam Danaem turris ahenea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris:

Qui logicæ methodi studiosissimi sunt hanc cæteris Odem præferent. Divitiæ sunt irritamenta malorum; decens mediocritas magna affert bona; felix ergo qui hac scite utitur. Horsum tendit Poetæ mens, ut scilicet Mæcenati gratias agat de accepta muneri villa, & significat, se feliciorem esse propter hujus exigui agri possessionem, quam si ditissimarum provinciarum imperium sibi demandatum esset.

V. 2. Quernæ, roboreæ. Plautus ait, *carcer robustus*. & Festus *arca robusta*.

Digitized by Google

Si non Acrisium Virginis abditæ
Custodem pavidum Jupiter, ac Venus
Risissent, fore enim tutum iter, & patens,
Converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire Satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo, Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersa exitio: Diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus: munera navium
Sævos illaqueant duces:
Crescentem sequitur cura pecuniam
Majorumque fames. jure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Mæcenas, equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab Dis plura feret, nil cupientium
Nudus castra peto; & transfuga, divitum
Par-

V. 6. Lepida ac bellula ἀντίθεσις, ex hac parte Acrisius irrequietus, suspicioſus sese in omnia vertebat, ut ab insidiis caveret: ex altera autem Jupiter & Venus ambo tranquilli, & voti compotes solicitas hominis curas rident, & multiplices præcavendi rationes.

V. 12. (V. Ind. *Eriphyle*.)

V. 14. (V. Ind. *Philippus*.)

V. 15. Muneribus feroces præfectorum navium animi flectuntur. fortasse quosdam navium duces animo intendit, qui officio suo functi non sunt certis temporibus, ut suspicantur Torrentius & Dacierius.

V. 18. *Majorum*, i. bonorum. Duo alia mala ex opibus fluunt; opes augent curas, & habendi cupiditatem accendunt.

V. 21. Dacierius cum aliis sic explicat: quo quisque magis suam aviditatem comprimet, eo plura dona a diis impetrabit. Rosellus vero τὸ *feret* esse pro *petietur*, & ita vertit. Quo quisque diutius frugalitatem coluerit, & facilius sustinebit adversam fortunam.

V. 22. Conclusio propositionis, quæ in versu præcedenti extat. Videtur Chabotio Horatius hoc loco Bruti partes magis probare, quam Augusti & Antonii.

Digitized by Google

Partes linquere gestio,
Contemtæ dominus splendidior rei,
Quam si quidquid arat non piger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ rivus aquæ, silvaque jugerum
Paucorum, & segetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit sorte beatior.
Quamquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Lestrigonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis,
Importuna tamen pauperies abest.
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia colligam,

V. 25. Hæc conjunguntur præcedentibus. Contemnuntur ea, quæ quærere animus dedignatur. Verum glorioſum eſt, poſſidere bonum, quod ſolicite conquiſitum minime fuerat.

V. 29. *Rivus*, *ſylva*, *fides* regunt τὸ *fallit*. τὸ *Africæ* genitivus eſt, qui a τῷ *imperio*, & *ſorte* pendet. periphraſis. proconſul Africæ. *Sors Africæ* ſignificat Proconſulatum, nam hi magiſtratus ſortito dabantur. τὸ *fallit* non ſignificat *ignoratur*, ſed *opinione ſua decipitur*. ordo eſt: *Ager meus Sabinus Africæ ſorte obtenta beatior fallit Africæ proconſulem*. Proconſul hujus provinciæ ſorti debebat Magiſtratum, Horatius vero ſuum exiguum fundum amicitiæ Mæcenatis. Proconſul ſe Horatio feliciorem putabat, ſed errabat. cur? quia ignorabat duo hæc, nempe divitias & felicitatem valde inter ſe diſferre. Fortaſſe Poeta ſententiæ aculeo ferire vult eum, qui tunc Africæ proconſul erat, & qui pariter fortunam ſuam Mæcenati debebat. Roſcllus ita: Rivus aquæ puræ, & prædiolum, & parva meſſis, quæ meam ſpem non fefellit, efficiunt, ut animo non iniquo eum intuear, qui poſſidet omnes ſegetes Libyæ.

V. 34. (V. Ind. *Lamus*.)

V. 36. Gallia Ciſalpina paſcuis clara extendebatur inter Alpes & Padum. Eſt hodie Pedemontium, Ducatu Mediolanenſis, Mantuanæ Regionis pars, Bergomatum & Brixienſium regio.

Digitized by Google

Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa. bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

CARMEN XVII.

AD ÆLIUM LAMIAM.

Hortatur ad diem crastinum, qui ater & nubilus fore videbatur, hilare transigendum.

ÆLi vetusto nobilis ab Lamo,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirin,

Late

* Haud ita magni momenti videtur esse Senadoni hujus Carminis argumentum; sed animadvertendum, quantopere Horatius tempestatis inclementiam metuerit, quo animi sensu, quo horrore captus eam evitare semper studuerit. sæpe id testatus est ipse, ut videbimus. Hæc igitur magni ponderis res, & digna Carmine. stilus est facilis, fluidi versus. videtur Lamia tunc fuisse ruri. *

V. 3. Conditor primus. *τὸ innantem* pulchram exhibet imaginem lenti cursus, quo Liris suas aquas in mare fert. Campaniæ littora vocat *Maricæ litus* a Circe, quæ in illa regione regnaverat, & vocata fuit Marica post obitum suum. Prope Minturnum erat lacus Maricæ. Hinc fortasse vocata est vitrea Circe a Poeta alibi. falso colligit ex hoc versu Dacierius constructos fuisse ab Lamo aggeres in littore Liris, ne flumen inundaret agrum. *tenuisse Lirin*, idem est ac tenuisse Formiarum regionem. in vulgaribus editionibus reperiuntur post primum versum Carminis quatuor versus, quos posuimus in Variis Lectionibus loco suo. Sed eos hinc expungendos duximus, tanquam indignos Horatiana Musa: fortasse nota quædam veteris Grammatici in margine scripta ab alio Grammatico audaciori intextum intrusa est, & pedibus ligata, atque ita immerito tributa Poetæ. (V. Præf. ad Lect.)

Digitized by Google

Late Tyrannus: cras folliis nemus
Multis, & alga littus inutili
Emissa tempestas ab Euro
Sternet: aquæ nisi fallit augur
Annosa cornix: dum potes, aridum
Compone lignum: cras genium mero
Curabis, & porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

V. 9. *Dum potes*. proverbium, quo hoc sibi vult. fac maxime, ut malum, quod tibi imminet, propulses.
V. 10. Solatio te dabis, genio indulgebis.

CARMEN XVIII.

AD FAUNUM HYMNUS.

FAune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines, & aprica rura
Lenis incedas, abeasque parvis
Æquus alumnis:
Si tener pleno cadit hœdus anno:
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ: vetus ara multo
Fumat odore:
Ludit herboso pecus omne campo,

Quum

Romani putabant Faunum ex Arcadia in Italiam migrare solitum 3 nonas Feb. & redire, unde discesserat nonis Decemb. In ejus discessum sacra fiebant, ut in ejus reditum. Poeta cum esset ruri hunc Hymnum texuit, qui in festis Decemb. caneretur, quæ vocabantur Faunalia. Hæc Ode in duas æquales partes discinditur. Prima continet Poetæ preces, secunda vero Dei beneficia, & gaudia pagorum. Argumentum egregie sumtum est & pertractatum, versus fluidi, sententiæ ingenuæ, nativæ, imagines hilares, & campestres, dicendi formulæ elegantes.
V. 5. *Pleno*, i. exacto.
V. 6. Ingeniose & poetice dictum.
V. 9. Incipit altera pars.

Digitized by Google

Quum tibi nonæ redeunt Decembres:
Feſſus in pratis vacat otioſo
Cum bove pagus:
Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agreſtes tibi ſylva frondes:
Gaudet inviſam pepuliſſe foſſor
Ter pede terram.

V. 16. Vel quia ter pede terram percutiebant ſaltantes, vel quia hæc chorea tribus diverſis temporibus ducebatur, nempe mane, meridie, & veſpere.

CARMEN XIX.

AD TELEPHUM.

Narratorem intempeſtivum ad convivii feſtivitatem ſubito traducit.

QUantum diſtet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, & genus Æaci,
Et pugnata ſacro bella ſub Ilio.
Quo Chium pretio cadum
Mercamur, quis aquam temperat ignibus,
Quo

Poeta in domo cujuſdam Amici ſui exhilarare aggreditur ſodalium convivarum animos neſcio quid proponens honoris gratia in Murenam Augurem juſſum. Telephus adoleſcens græcus & illuſtris de hiſtoria veteri ſuæ regionis differere nunquam deſinebat. Horatius acute & feliciter ad alia eum revocat, quæ magis conſentanea forent ſodalium menti. Ne quis tamen putet, hanc Odem convivii tempore abſolutam fuiſſe quaſi ex tempore. Cum argutiæ facetiſſimi ſalis bene ceſſerint, ille domum ſuam reverſus non abs re eſſe judicavit eas verſibus evulgare. Ode *Natis in uſum* eſt ejuſdem generis, utraque ita elegans & concinna eſt, ut nihil ſupra. hæc lucubrata fuit ante annum 732. fortaſſe hic eſt ille Telephus, qui poſtea in Auguſtum conjuraverat. (Suet. in Oct. c. 19.)

Digitized by Google

Quo præbente domum, & quota
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ, da, puer, auguris
Murenæ. Tribus aut novem
Miscentor cyathis pocula commodum.

Qui

V. 7. *Quota*, i. domo, vel hora, vel summa. quasi Horatius petat, quantum expensarum faciendum in vino, balneo calido, hospitio comparando.

V. 8. Telephus fortasse Poetam duxerat in aliquam villam Pelignorum, ubi minus liberaliter exceptus fuit, quam speraverat; & ingenioſe ei quidpiam exprobrat. Audiamus Roſellum: Peligni montuoſam frigidamque regionem incolebant inter Marſos, & Sabinos. Venti qui ex ea parte flabant Romæ aerem frigefaciebant, & fortaſſe ii venti regnabant, dum Horatius Odem ſcribebat.

V. 9. Subauditur poculum. Telephus non ita facile culpæ rationes obtendere potuiſſet. Derepente igitur Poeta inſurgit, ad largiter potandum ſocios invitat. juvat cernere, quo pacto imperitet, perinde ac ſi eſſet convivii Rex. Numerum cyathorum præſcribit, qui exhauriendi ſint, &, ut exemplum præbeat, ipſemet tria pocula haurit. Hæc urbana agendi ratio tam vivide hic expreſſa mirum in modum legentes delectat. Plurimum id conduxit ad diſſipandam moleſtiam, quæ ex Chronologica Telephi narratione in convivarum animis inſederat. fortaſſe Murena in Novilunio Augur nuncupatus eſt.

V. 10. Lex Horatii vetat, quemquam e menſa ſurgere ante mediam noctem. Augures e numero Patritiorum prius creabantur, inde etiam Plebejorum. Fuerunt primum tres, deinceps quatuor, & quinque; Sulla addidit alios quinque; tandem Augurum collegium 24 conſtitit, cujus Princeps vocabatur *Magiſter collegii Augurum*.

V. 12. Dacierius explicat, tribus vel novem vicibus bibere. Ergo per illum cyathus & poculum unum idemque ſignificant. Pocula erant menſuræ inæqualis, cyathus vero inſerviebat metiendo vino, aut aquæ, quæ poculis infundebatur. Uti Poeta ait: *miſcere pocula tribus aut novem cyathis*: ſignificat, infundere, miſcere, confundere in uno poculo tres aut novem cyathos, bibere uno ſpiritu $\frac{1}{4}$ aut $\frac{3}{4}$ cotylæ partes. Hinc facile intelligentur quatuor

ſequen-

Digitized by Google

Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates, tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis juncta sororibus.
Insanire juvat. Cur Berecynthiæ
Cessant flamina tibiæ?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentes ego dexteras
Odi. sparge rosas: audiat invidus
Dementem strepitum Lycus:
Et vicina seni non habilis Lyce.
Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe, Vespero,
Tempestiva petit Rhode:
Me lentus Glyceræ torret amor meæ.

sequentes versus. ait, potatorem Poetam in novem Musarum honorem uno spiritu novem cyathos debere bibere, sed Gratias velle, ut dumtaxat tres per vicem bibantur.

V. 13. Argute laudat Murenam. Bibens ait ter aut novem Auguri novo. laudat igitur ejus ingenium politioribus artibus, & eruditione excultum.

V. 15. Postquam præscripserat certum bibendorum cyathorum numerum, permittit, ut bibatur vinum nulla habita mensuræ ratione.

V. 21. Vult omnes festum peragant, & ii, qui mensæ non accumbunt, nec convivis ministrant, cantent, & sonent cithara, fistulaque.

V. 23. Horatium agnosces in hoc loco satyrico. Solet enim in fine Carminum urbano sale adspergere aliquem præter opinionem. Lycus ignotus homo nobis est.

V. 26. De hoc Telepho vide Od. 14. lib. 1. & 11. lib. 4.

V. 28. Hanc Glyceram adamavit Tibullus. ergo hæc Ode est posterior 34. lib. 1. & hoc argumento est, Odem 34 scriptam fuisse, antequam Horatius 44 ætatis annum ageret. Nam hoc eodem anno Murena morte multatus est, quia contra Augustum conjuraverat.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XX.

AD PYRRHUM.

Monet, quanto periculo Nearchum juvenem amanti Puellæ eripuerit.

NOn vides quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Getulæ catulos Leænæ?
Dura post paulo fugies inaudax
Prælia raptor.
Quum per obstantes juvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum,
Grande certamen, tibi præda cedat
Ma-

Hujus Carminis decora in verborum proprietate, & in imagine vera, quam Poeta exhibet mulieris, cui raptus est adolescens amasius, consistunt. Eam Leænæ comparat, cui catuli abrepti sunt. Consistunt etiam in facetissimo sale, quo insanam amore mulierem, ejusque rivalem adspergit. Adolescens ille interim vel ob stupiditatem, vel ob contemtum siccis oculis utriusque certamina intuetur, omnesque motus & conatus pariter ludos facit. Contendit Acro, hanc Odem allegorice sumendam esse, & Regi Pyrrho accommodandam, cum ille Tarentinis opitulatus bellum gerebat cum Romanis. Leæna, ait, est Roma, fœtus ejus Patres, & Quirites, Nearchus aliquis dux juvenis illorum temporum ab Epirotis captus. Horatius non sine maxima de causa allegoriis usus est, nempe ut suæ ætatis, ac summi momenti eventus, quos palam facere omni ex parte temporibus exclusus non poterat, aliquo modo significaret. quid obstabat Poetæ aperte loqui de Pyrrho? Ego puto, hunc Ducem, ne in mentem quidem ei venisse.

V. 2. Pyrrhus est Græcus vir, ut Telephus, Nearchus.

V. 3. *Inaduax*, timidus. Horatiana vox.

V. 5. Ergo innumeris aliis amasiis unum Nearchum anteponebat. Illi juvenes non obsistebant illi feminæ, ut faverent Pyrrho, sicut interpretes perperam affirmant.

V. 7. Tibi ne potius præda major cedat an illi? vel τὸ *major* ponitur ratione *amoris*, quem alteruter testatur majorem, & potiorem. *major* pro τῷ *magis*, *potius*.

Digitized by Google

Majòr, an illi.
Interim dum tu celeres ſagittas
Promis, hæc dentes acuit timendos;
Arbiter pugnæ poſuiſſe nudo
Sub pede palmam
Fertur, & leni recreare vento
Sparſum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquoſa
Raptus ab Ida.

V. 9. Sagittæ ſunt meliora arma iis, qui eminus vel fugientes præliantur. dixit ſuperius, Pyrrhum jam evitaturum prælia.

V. 11. Nearchus arbitet & pretium pugnæ. Dat Poeta Nearcho ramum palmæ, quem puer in contemtum ſub pedibus ponit, & quo ventulum ſibi facit. Concinna ſane imago eſt iſta: vel hæc accipe allegorice. nempe Nearchum contemſiſſe utrumque, nihil laboraſſe de pugnæ ſucceſſu. Hoc deſumſit Horatius ex Trachiniis Sophoclis, qui pugnam deſcribit Herculis & Archeloi pro Dejanira habenda, cujus pugnæ arbitra erat Venus virgam manu tenens, quæ præerat amori. Videtur Nearchus poſuiſſe ſub nudo pede palmam eo temporis momento, quo a Pyrrho raptus eſt, perinde ac ſi hæc femina viribus omnibus obnixa fuerit, ne id fieret. Si Odem attentius conſideres, videbis Poetam locutum de iis, quæ egit ille juvenis, poſtquam raptus eſt, & dum hæc femina furens Pyrrhum inſequebatur rapiendi cauſa Nearchum, & dum Pyrrhus paratus erat ad ſuſtinendum ſingulare certamen, ut ſervaret prædam.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XXI.

AD AMPHORAM.

Monet ut in Meſſalæ gratiam vinum promat generoſum.

O Nata mecum Conſule Manlio,
Seu tu querelas, ſive geris jocos,
Seu rixam, & inſanos amores,
Seu facilem pia teſta ſomnum:

Quo-

(V. Ind. Meſſala) Scriptum igitur hoc Carmen fuit anno 722; nam bella Siciliæ occupatiſſimum habuere Horatium præcedentibus annis. Familiariter uſus eſt Poeta Meſſala in exercitu Bruti & Caſſii, & multo magis in poſterum. Cum olim Meſſalam arceſſiviſſet ad cœnam domum, ut ſignificaret, quanto ſibi honori hoc verteret, hanc Odem ſcripſit; vel: Poetico & ingenioſo commento Amphoram vocat ad optimum vinum effundendum, quod muneri hoſpiti tam præſtanti detur. Quot bona hic liquor pariat, ſatis vivide, & hilariter differit; verſuum ſtructura valde conſpicua, dicendi modi egregii, & acri judicio delecti. * Sanado arbitratur, ſi pluribus Meſſala laudatus fuiſſet, futurum fuiſſe ut plus ponderis ineſſet huic Carmini. Sed tunc prorſus mutanda fuerat tota ejus ratio, & ſtructura. Compotationis imago ſententias hilares non graves poſtulabat. idcirco Poeta parce attingit Meſſalæ laudes, & ſeria. *.

V. 1. Impleta. loquitur de vino, non de amphora.

V. 2. Videtur ipſe ſibi contradicere: ſi amphora triſtitiam fovet &c. quomodo pia eſſe, h. e. ſuccurrere poterit? Notandum eſt, tres poſtremos verſus primi quaternionis bona & mala vini generatim ſumti diſtribute numerare per ſuſpenſionem, & interrogationem. *ne ſeu* eſt pro *an*. præterea quintus verſus correctionem quamdam continet, qua Poeta malis vini procul amandatis, de bonis dumtaxat loquitur. Deinde *ne pia* adhæret invocationi, non enumerationi; referendum eſt ad primum verſum non ad tres ſequentes: Ordo eſt: *O pia teſta nata mecum Conſule Manlio deſcende* &c.

Digitized by Google

Quocumque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende Corvino jubente,
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Liæo:
Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque, & addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, &, si læta aderit Venus,

Se-

V. 5. Vinum optimum ex toto Massico electum. *nomine*, i. causa, effectu, nota.

V. 7. Romani in horreis in summo domus tabulato vinum ponebant, ut fumi tenore matureſceret.

V. 8. Significat maturitatem quamdam vini, & vetustatem, qua dulceſceret quidem, non autem fieret insulsum & vappa.

V. 9. Tò *Madet* desumtum est a Baphiis. Messala Academicus erat.

V. 10. Vultus ferox, & sylvestris plerumque fit ex scientiis, quæ animum postulant cogitabundum.

V. 11. Catonis Censoris.

V. 13. Suavi vi mansuefacis indomitos animos.

V. 20. Responsat iratis regibus potentissimis, congreditur exercitui magno.

V. 21. Cara Amphora, Bacchus, & gratiæ sorores invicem sibi conjunctæ nostras voluptates protrahent a luminibus accensis usque adeo ut sol suo reditu dissipet nocturnos ignes; & si Venus est læti, jucundique ingenii, eam bonorum participem faciemus. Timet amorem, vult enim, ut sit lætus, sed non insanus.

Digitized by Google

Segneſque nodum ſolvere gratiæ,
Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

V. 22. Quæ nunquam diſſociantur, nunquam vincula ſocietatis rumpunt. Roſellus ita vertit. Quæ ægre ſolvunt nodum zonarum ſuarum, ægreque patiuntur veſtes, & vela ſolvi.

V. 23. Amphora Latinorum erat maximum vas, aliter ſuppetere non potuiſſet præbendo vino, quo per totam noctem convivæ maderent.

CARMEN XXII.

AD DIANAM.

Ob Amicam partu feliciter levatam ſacrum annuum pollicetur.

MOntium cuſtos nemorumque Virgo,
Quæ laborantes utero puellas,
Ter vocata audis, adimiſque letho,
Diva triformis.
Imminens villæ tua pinus eſto:

Argumentum & tempus hujus Carminis nos latent: fortaſſe Poeta cum rure eſſet Sabino, gratum quempiam nuncium accepit enati feliciter partus, cujus edendi difficultate gravi laboraverit nota quæpiam inſigniſque femina. ex tempore 8 verſus cecinit, ſimplices ſane, fluidos, & numeroſos, puro flumini, & copioſo ſimiles.

V. 3. Myſticus eſt numerus ternus, vel ob tria Deæ nomina; in cœlis enim erat Luna, in terris Diana, & in inferis Proſerpina. Triceps etiam vocabatur. & pingebatur. Capita enim habebat Leonis, Tauri, & Canis.

V. 5. Hinc conjicere licet, Poetam ante oculos poſitam habuiſſe & digito monſtraſſe arborem, de qua loquebatur: Cum dicit, arborem umbras inducere domui ſuæ, denotat, eam ſibi fuiſſe caram, eoque conſilio poſitam, ut ſacra ipſe ſub umbra faceret, quæ gratiora fierent Dianæ hac de cauſa.

Digitized by Google

Quam per exactos ego lætus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

V. 6. Figurate & poetice videtur honore sacrificii, quod Dianæ pollicetur, arborem cumulare.

V. 7. Apri ferire aliquem nequeunt, nisi caput torqueant, quia eorum dentes extant utrinque ex malis. Fortasse Poeta indicat figuram dentium Apri, qui obliqui incurvantur.

CARMEN XXIII.

AD PHIDILEN.

Deos non tam sumtuosis, quam puris muneribus conciliari.

Cœlo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidile,

Si

Utrum veretur Horatius, ne a villæ suæ custode femina, quæ largos in sacris facit sumtus, lectasque de grege victimas mactat, res familiaris pessum detur; an vero eadem mulier ab eo petiit amplius stipendium, quod sibi suppeteret tot faciendis in re sacra expensis? Alterutrum fortasse spectat hæc Ode. Lepida sane res est, Poetam Epicureum nimiæ hujus feminæ religioni modum ponere. Illa simpliciter credere poterat, herum suum hæc sibi mandare, germana & antiqua in Deos pietate ductum; cum contra nihil aliud ipse petat animo, quam impensis parcere, & rebus suis prospicere. lepidissima est hæc Ode, & elegantissima.

V. 1. Romani volam ad Cœlum vertebant, cum Deos superos, & ad terram, cum inferos orarent.

V. 2. Feminæ rusticæ libenter exteriori Deorum cultui se dabant. quilibet mensis & hebdomada Religionis colendæ occasionem præbebat. modo calendæ aderant, modo nonæ, modo idus, ne dicam de festis præcipuis, Panis, Dianæ, Priapi, Palis, Fauni &c. Poeta ut custodis menti in deorum cultum nimis affectæ mederetur, imperat, ut illa ineunte duntaxat quolibet mense sacrum unum peragat, & sumtus faciendi rationem præscribit.

Digitized by Google

Si thure placaris, & horna
Fruge Lares, avidaque porca:
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno;
Nam quæ nivali pascitur Algido
Devota, quercus inter, & ilices,
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, Pontificum secures
Cervice tinget. Te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium,
Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto,
Immunis aram si tetigit manus;

V. 3. *Horna*, i. illius anni.

V. 7. Rubigo est morbus segetum. accidit, ubi pestifer ventus, aut matutinum frigus eas corrumpit. Alii putant, Rubiginem esse viscosum rorem, qui hæret segeti, eamque arefacit, & urit, cum sol prodiens eum vix lapsum, & in globulos volutum radiorum spiculis ferit. Guttæ enim vitri veluti convexi figuram gerunt, in quas radii incidentes & coacti facillime granum perurunt.

V. 8. Tempestas perniciosa, multos morbos afferens.

V. 9. Ait, dona diis dare debere pro suis quemque opibus, & multum interesse inter publica, & privata sacrificia. Vera dicit, sed callide suam mentem tegit, parsimoniæ proclivem.

V. 10. In bonam vel malam partem accipitur τὸ *devota*, ratione adjuncti.

V. 15. Opponit hæc præcedentibus. Pontifices mactabant Diis Romæ imperiique tutelaribus victimas exquisitis pascuis saginatas, sed tibi, quæ solos deos domesticos, & campestres unius villæ præsides colis, coronæ satis sunt &c. venuste ludos facit Deos.

V. 17. Aliqui putant τὸ *immunis manus* significare manum vacuam, quæ nec victimam, nec hostiam, nec thura offerat. Bentlejus nominativum facit τὸ *sumtuosa hostia*: sed ita pertutbat loci sensum. τὸ *immunis* habet eum sensum, quem rejiciunt Dacierius, Costa, Bentlejus. *immunis*, ajunt, non potest esse idem, ac innocens, pura. Sed

lis

Non ſumtuoſa blandior hoſtia,
Mollirit averſos penates
Farre pio, & ſaliente mica. 20

iis repugnat Plinius, qui dixit, *caprificus omnibus immunis eſt, quæ adhuc diximus*, i. vitiis. & alio loco, *oculis tantum immunibus*, i. malo; ita τῷ *manus immunis* ſubauditur ſceleris. Ordo eſt: *ſi tua manus aram immunis tetigit, non blandior molliverit averſos Penates cum ſumtuoſa hoſtia, quam cum farre pio & ſaliente mica*. Quamvis hoc videatur ad Phidilen pertinere, tamen tanquam moralis ſententia accipi poſtet. Roſellus accipit τὸ *immunis* pro τῷ *ſine munere, & officio*, eumdemque habere ſenſum ait, atque illa ſuperius: *te nihil attinet*: ita ut Poeta moneat Phidilen, ut in ſacris faciendis ſe meminerit eſſe vere immunem, ideſt *ſine munere, & officio*.

CARMEN XXIV.

AD AVARUM.

Seculi ſui vitia inſectatur, & eorum remedium proponit.

INtactis opulentior
Theſauris Arabum, & divitis Indiæ
Cæ-

* Dum ſeculi ſui vitia inſectatur, & eorum remedium proponit, graviter nos inſtruit, & magnopere delectat, ad virtutem accendit, eodemque tempore, ut opinor, hominem illum avarum & inhumanum fugillat, in quem ſcripſit quidem Odem 18. lib. 2. Hæc tamen, quam præ manibus habemus, non paucis annis illi præceſſit. Tripartito dividitur. In prima parte ſeculi ſui vitia exponit, in ſecunda cauſas eorum aperit, in tertia remedia adhibet. laudanda ob ſententiarum ſublimitatem, numerorum concinnitatem, figurarum audaciam, verborum vim, locorum varietatem, ornamentorum delectum, colligitur ex v. 26. factam eſſe ante annum 724, quo bella civilia finita ſunt, ſaltem ante Arabicam expeditionem, nempe annum 727. *

V. 1. Nuncupat theſauros Arabum pro Arabibus ipſis, qui theſauros poſſidebant.

Digitized by Google

Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, & mare Apulicum:
Sic figit adamantinos
Summis verticibus dura neceſſitas
Clavos: non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campeſtres melius Scythæ
(Quorum plauſtra vagas rite trahunt domos)
Vivunt, & rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt:
Nec cultura placet longior annua:
Defunctumque laboribus
Æquali recreat ſorte vicarius:
Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens:

V. 3. Indicat ingentes illas lapidum moles, quas avarus dives in mare conjiciebat ad conſtruendas ædes. Similia fere exprobrat in Ode 18. lib. 2. quod ſcilicet locet ſecanda marmora, & domos ſtruat ad Bajas ſubmotis littoribus & nihil cogitet de morte ſibi proxima &c.

V. 6. *Verticibus* non ſignificat magna ædificia in mari erecta, nec capita eorum, qui ea extollebant, nec clavorum, quos tenet manu *neceſſitas*, ſed metaphorice dictum eſt: *vertex* eſt faſtigium magnitudinis, ſummæ fortunæ, pro τῷ *apex*.

V. 12. Conjungit duas voces, quæ ſecum pugnant. prima diviſionem excludit, altera vero ponit. τὸ *liberas fruges* oſtendit Poetæ mentem, & indicat jocum in verbis. apud Getas agri non ſunt addicti privatis, nec per diviſionem, nec per proprietatem. Juſtinus ait de his populis: „ *hæc continentia eis morum quoque juſtitiam dedit nihil alienum concupiſcentibus; quippe divitiarum cupido eſt, ubi eſt uſus*.

V. 14. Opera ruſtica annum integrum durant, vices cuique ſuæ obtingunt. Qui munere ſuo functus eſt, & tempus datum inſumſit, alteri hæredi locum cedit, aut potius alteri ſequeſtri eorumdem amorum, ideſt curarum.

V. 18. Temperat ſibi a privignis. Latini dicebant *privignus* pro τῷ *prius genitus*. Novercæ innocentia morum

pa-

Digitized by Google

Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultero,
Dos eſt magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas,
Et peccare nefas, aut pretium mori.
O! ſi quis volet impias
Cædes, & rabiem tollere civicam:
Si quæret pater urbium
Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
Clarus poſt genitis; quatenus (heu nefas!)
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Quid

parum nota inter nos non inſidias tendunt vitæ privignorum. Roſellus ita explanat locum: novercæ eos filios de medio tollunt veneno, quorum Matres obiere: aitque τὸ *temperat* ſpectare potionem venenatam.

V. 20. Plautus in Epid. act. 1. Sc. 2. & in Aſin. Act. 1. ſc. 1. ait: *pulchra dos eſt pecunia, quæ marita non eſt*, & hanc adfert cauſam: *argentum accepi, dote imperium vendidi*.

V. 20. *Nec fidit*, i. maxime diffidit.

V. 21. Quatuor res felix efficiebant conjugium apud Scythas, 1. optima, & liberalis puerorum inſtitutio a patentibus ſuſcepta, charitas ſumma uxorum, & fides in maritos, horror conjugalis infidelitatis, & legum ſeveritas, quæ illud crimen morte luendum curabant. *peccare* eſt impudice agere. ſciebant igitur uxores maximum ſcelus eſſe *peccare*, & pœnam mortem. *pretium* pœna eſt. Si hominem, de quo loquitur Poeta, & hiſtoriam noſceremus, quam apte hæc dicat, admiraremur.

V. 25. Malorum fons tollendus eſt, ut bellorum civilium ignis extinguatur, ideſt, mores conformandi ſunt.

V. 30. Poſteritas tunc virtutem ejus celebrabit. *quatenus*, quoniam.

V. 32. Invidemus viris magnis vivis, donec utilitati noſtræ timemus: animo infixam ſervamus virtutis exiſtimationem, quæ ſeſe exerit, cum ratio utilitatis non pugnat amplius.

Digitized by Google

Quid triſtes querimoniæ,
Si non ſupplicibus culpa recidítur?
Quid pœnæ ſine moribus
Vanæ proficiunt? ſi neque ſervidis
Pars incluſa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Duratæque ſolo nives
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt æquora navitæ?
Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere & pati,
Virtutiſque viam deſerit arduæ.
Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat, & turba faventium;
Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus. Scelerum ſi bene pœnitet;
Eradenda cupidinis
Pravi ſunt elementa: & teneræ nimis
Mentes aſperioribus
Firmandæ ſtudiis. neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet: ludere doctior

V. 33. Quid proſunt noſtræ querelæ, ſi leges pœnas non ſtatuunt ad refrenanda crimina? quid proſunt leges ipſæ, ſi mores eas non colunt.

V. 36. Τὸ ſi amplectitur S ſequentes verſus.

V. 37. Zona torrida.

V. 39. Ad ſolum uſque, ſolo tenus, ad uſque terræ ſuperficiem. hic locus maſculæ eloquentiæ præbet.

V. 42. Quæ vulgo exiſtimatur eſſe maximum opprobrium.

V. 45. Vel nos feramus aurum, gemmas &c. in Capitolium, quo nos vocat clamor &c.; vel conjiciamus aurum & gemmas in mare.

V. 51. Ex Stoicorum ſententia loquitur, qui omnia ad ſummum jus revocabant. Epicurus vult, cupiditates certis terminis circumſcribantur, ut felicitati inſerviant.

Digitized by Google

Seu græco jubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea.
Quum perjura patris fides
Consortem, & genium fallat, & hospitem,
Indignoque pecuniam
Hæredi properet: scilicet improbæ
Crescunt divitiæ, tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

V. 57. Trochus erat circulus ferreus mobilibus annulis instructus: pueri eum solo circumvolvebant duce virga ferrea per vias; sonitu annulorum monebatur populus, ut ab ejus improviso occursu caveret. Martialis eum describit Epig. 160. lib. 14. sensus est: quis pudor! puer ingenuus equitare nescit, scit tamen probe trocho ludere, & alea a legibus vetita: quis pudor, cum perfidus pater ad ditandum filium deserat fidem in perniciem suorum cohæredum, sociorum, & hospitum? potest ille quidem divitias congerere, sed tamen ejus cupiditas semper instans videt plurima sibi deesse.

V. 62. *Properet* comparare.

CARMEN XXV.

DITYRAMBUS.

Octavii laudes, Bacchо auspice, exequi meditatur.

QUo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quæ nemora, aut quos agor in specus?
Ve-

Dityrambus est Odarum veluti Rex. quoad Poesim lyricam in eadem est ille ratione, hac ipsa Poesis lyrica est quoad Poesim generatim sumtam. Regnare debent in Dityrambo τὴς φαντασίας æstus, sermonis audacia. diversi est hic ingenii atque is, quem superius vidimus. Uterque tamen pari laude dignus. Bacchi laudes ad Augustum referuntur. Poeta humanas mentis vires imbecillas esse sentit, idcir-

Digitized by Google

Velox mente nova? quibus
Antris egregii Cæsaris audiar
Æternum meditans decus
Stellis inferere, & consilio Jovis?
Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio, non secus in jugis
Exsomnis stupet Evias
Hebrum prospiciens, & nive candidum
Thracen, ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen. Ut mihi devio
Rupes, & vacuum nemus
Mirari libet! O Naiadum potens,
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos:
Nil parvum, aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenæe, sequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.

idcirco ab illo Numine opem implorat in suscepto consilio perficiendo. Ita ingeniose ac scite demulcet Octavii aures. Scriptus est, postquam in Deorum tutelarium numerum sublectus est Augustus; ergo anno 725.

V. 4. Exemti e mortalium grege.

V. 5. Cantans.

V. 6. Indicat Octavii consecrationem.

V. 8. *Non secus* &c. id refertur ad ea, quæ initio statim dicta sunt.

V. 10. Festa Bacchi in vertice Rhodopes celebrabantur.

V. 18. Licet temerarium sit, tamen est dulce.

Digitized by Google

CARMEN XXVI.

AD VENEREM.

Amori valedicit.

VIxi puellis nuper idoneus,
Et militavi non ſine gloria:
Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Lævum marinæ qui Veneris latus
Cuſtodit. hic, hic ponite lucida
Funalia, & vectes, & harpas
Oppoſitis foribus minaces.
O, quæ beatum diva tenes Cyprum, &
Memphim carentem Scythonia nive,
Regina, ſublimi flagello
Tange Chloen ſemel arrogantem.

CAR-

Poeta diu Amori obnoxius fuerat, nunc ſtatuit excutere collo jugum. Elegans eſt hæc Ode.

V. 4. Solebant milites Romani, qui ſe militia abdicabant, ſacrare arma Marti. Idem dicendum de aliis artibus. Horatius elegit Veneris templum, & arma ſuſpendit lævo parieti. Statuæ Deorum meridiem ſpectabant; Oriens ergo pars felix erat, ſiniſtrorſum.

V. 5. Auguſtus in templo Julii Cæſaris Venerem Apelleam poſuit, ubi hæc Dea ita picta fuit, ut jamjam e fluctu maris exitura videretur. fortaſſe de hoc Templo, & de hac Tabula hic ſermo eſt.

V. 7. *Funalia* ſunt funes intorti, qui cera vel pice obliti facile incenduntur. harpæ ſunt falcati enſes, quibus Mercurius & Perſeus uſi ſunt, ille ad occidendum Argum, hic ad obtruncandum Meduſæ caput.

V. 9. Suaviſſimi verſus! qui tamen in dubio ponunt ea, quæ ſuperius dixit de mutatis ſuis moribus. poſtquam enim Amori valedixit, & arma Veneri ſacravit, queritur de ferirate Chloes, Deamque rogat, ut illam puniat. Sed fortaſſe feritate Chloes permotus valedixit Amori, impunitam tamen eam abire non vult. Chloes erat Threſſa.

V. 10. *Scythonia*, ideſt perfrigida. Thraciæ montes ſemper nive cooperiuntur.

Digitized by Google

CARMEN XXVIII.

AD ÆLIAM GALLAM.

Abeuntem secundis votis prosecutus, navigationis pericula, ac maxime Europes exemplum ipsi proponit.

IMpios parræ recinentis omen
Ducit, aut prægnans canis, aut ab agro
Ra-

Ælia Galla Matrona Romana Postumo nupserat. Conjugii gaudia intermissa sunt propter Postumi discessum, qui comes Tiberio ab Augusto datus Orientem versus profectus est, ubi ille Princeps Asiæ provincias visere, Armeniam aggredi, ad soliumque erigere Tigranem jussus est. Propertius exprobravit Postumo, quod novam sponsam reliquerat in Eleg. 12. lib. 3. Aliquanto post idem Poeta pro Galla aliam Eleg. edidit, nempe tertiam lib. 4, quæ est veluti Epistola, quam hæc Matrona sponso scribit. Sponsus & Sponsa nomine Licotæ, & Arethusæ referuntur. Tot tantæque curæ adeo apud Postumum valuere, ut Gallam ad se arcessiverit. Cum illa inibi esset, ut excederet, Horatius, qui honestæ amicitiæ vinculo illi obligabatur, occasionem arripuit hanc Odem mittendi, in qua, postquam omnia prospera auguratus est, ob oculos ponit navigationis pericula, quibus se illa erat objectura. Deinde Europes historiam longo sermone persequitur, ut ei palam faciat, non decere Matronas maris cursum, idem posse ei, atque illi puellæ evenire, ideoque eam hortatur, ne Europes ritu de se desperet, quæ inconsulto sortem suam deflebat. Hoc proposito argumento facile licet Odem in bono lumine collocare. Locus, quo Europes historia narratur, est eloquentissimus. & suavissimus. Tiberius Roma discessit anno 731, & ex Thracia in Asiam perrexit, hinc in Armeniam anno 734. Interjicienda igitur Odæ hujus dies inter annum 732, & 733 sub finem Novembris.

V. 1. Parra est parva avis mali ominis nobis ignota. aliqui putant esse avem, quam itali *parruzza*, & Festus Pompejus *picum marinum* vocat. Sensus est: impiorum iter infestant hæc tristia præsagia.

V. 2. Comitatur,

Digitized by Google

Rava decurrens Lupa Lanuvino,
Fœtave Vulpes:
Rumpit & ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagittæ
Terruit mannos. Ego, cui timebo,
Providus auſpex,
Antequam ſtantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oſcinem corvum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix, ubicumque mavis,
At memor noſtri Galatea vivas:

Nam-

V. 3. Hanc regionem percurrere debebat Galla Brunduſium uſque.

V. 4. Quæ peperit.

V. 6. Cum per obliquum ſe immittens terret equos.

V. 7. Certe non ferrem, ut carus mihi vir maris curſum iniret, priuſquam orarim Deos, ut Corvum ab Oriente mitterent, qui lævum reditum Cornicis ad paludes præverteret.

V. 9. Mediam ſecat viam.

V. 11. Ab Oriente veniens Corvus proſperum ferebat augurium, cum ſtaret augur contra meridiem. Dacierius ſecus ac oportet hunc locum explicat, cujus ſenſus patet ex verbis præcedentibus, ac ſequentibus. Præterea ille putat, Corvi volatum ab Oriente mali ominis eſſe. quod falſum eſſe evincitur his Roſini verbis: „Corvi ſi ab Oriente occinerent clara voce, præſentem felicitatem ſignificabant„. Ita ſentiunt Acro, Landinus, Figulus, Mancinellius, Alexander ab Alexandro, & alii. anceps autem & varia Auctorum opinio, quam cœli partem ſpectaverint Augures. Varro ait lib. 6. de ling. Lat. „Siniſtra pars ab Oriente, dextera ab Occaſu, antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentrionem. „ hoc idem dicit Feſtus. Hanc ſententiam amplectitur Dacierius. Roſinus lib. 3. c. 9. de antiq. Rom. ait: „ Ex diſtinctis regionibus antica in ortum vergebat, „ poſtica in occaſum, dextera meridiem, Boream ſiniſtra „ reſpiciebat. „ Longum eſſet varias ſententias referre. V. Servium Lib. 2. Æn. ad verſum *Intonuit lævum*. & Alex. ab Alex. lib. 5. c. 19.

Digitized by Google

Namque nec lævus vetat ire picus,
Nec vaga cornix.
Sed vides quanto trepidat tumultu
Pronus Orion? ego, quid sit ater
Adriæ, novi, sinus: & quid albus
Peccet Iapix.
Hostium uxores, puerique cæcos
Sentiant motus Orientis: Austri, &
Æquoris nigri fremitum, & trementes
Verbere rupes.
Sic & Europe niveum doloso
Credidit tauro latus, & scatentem
Belluis pontum, mediasque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum, &

De-

V. 15. Dicunt interpretes, Picum a læva venientem esse mali ominis. Dacierius ait, τὸ *nec vetat* idem esse ac *sinit*, & τὸ *lævus picus* idem esse ac Picus fortunati ominis. Sed sensum perturbat, & omnibus interpretibus contradicit, qui asserunt Picum a læva venientem esse mali ominis. Sed hic accipi potest τὸ *lævus* eo sensu, quo accepit Virg. his verbis: *si mens non læva fuisset*. Quacumque igitur ex parte hic picus volitet, nil impedit, quominus Galla suum iter feliciter suscipiat.

V. 19. *Albus*, i. prosperus. *peccet*, poetice dictum, ut denotet perfidiam illius venti timendam esse, cui diffidere debeat Galla. Sic alibi dixit *albus Notus*, qui ad breve tempus albus, i. prosper est. *Peccare* apud Latinos dicebatur, qui ex bono malus fiebat.

V. 19. Poeta Adriacum mare trajecit anno 708 vel 709, cum Athenas adivit. Dacierius addit, Poetam noviſse hoc mare perfidum, cum Philippis rediens in Epiro navem conscendit, & Brundusium petiit. Vera dicit, sed secum pugnat, cum alibi dicat, Poetam navigasse mare Siculum, & ad Palinurum naufragasse.

V. 22. Horrida tempestatis imago.

V. 25. Sic etiam. hæc comparatio, & digressio maxime splendet.

V. 28. *Palluit* active. hæc est vivida & nobilis duarum sententiarum antithesis, quæ inter se pugnant, eoque consilio conjunguntur, ut majorem habeant vim.

Digitized by Google

Debitæ Nymphis opifex coronæ,
Nocte ſubluſtri, nihil aſtra præter
Vidit & undas.
Quæ ſimul centum tetigit potentem
Urbibus Cretam: o Patris o relictum
Filiæ nomen, pietaſque dixit
Victa furore:
Unde? quo veni? levis una mors eſt
Virginum culpæ? vigilantſque ploro
Turpe commiſſum? an vitio carentem
Ludit imago
Vana, quam porta fugiens eburna
Somnium ducit? melius ne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc Juvencum

De-

V. 31. Nocte, quæ ſolo ſtellarum lumine illuſtratur.

V. 34. Natura ipſa loqui videtur. animatæ, vibratæque ſunt ſententiæ, ſtilus fractus, magna rerum varietas, & ſummus ordo, quæ animum ita impellunt, ut a pudore ad iram, ab ira ad furorem, a furore ad ſummam rerum deſperationem revocetur. ſenſus eſt: tibi, Agenor, Patris, mihi Filiæ nomen periit, & utrumque extinxit furor. *τὸ filiæ* pendet a *τῷ nomen*, ſicut etiam *τὸ Patris pietas* non refertur ad *τὸ relicta* ſubauditum, ſed ad *τὸ victa*. furor eſt violentus amor.

V. 38. *Culpæ* violatæ Virginitatis. Animadvertenda eſt Poetæ modeſtia in hac narratione. Honeſtæ Gallæ fama id poſtulabat.

V. 41. Somnii domus duas portas habebat, corneam alteram, alteram eburneam, a prima ſomnia vera, ab altera falſa exibant. dubitat Europe, an fallatur imagine falſa ſomni. * Solertius Horatius ſententiam effert, quam Virgilius, qui in ſexti Libri fine Æneam egredientem facit e porta eburnea; unde colligimus aperte, non ſolum inferorum pœnas, ſed etiam, quæ de Hiſtoria Romana dixit, falſa eſſe. In quo quidem inconſulto injuriam facit Auguſto, Octaviæ, & ceteris vitis Principibus. *.

V. 45. Locus totus eſt e Natura. Europe cum ſe ſontem & infelicem noverit, neſcit, quo ſe vertat. Taurus, qui eam

vio-

Dedat iratæ, lacerare ferro, &
Frangere enitar, modo multum amati
Cornua monstri.
Impudens liqui patrios penates,
Impudens Orcum moror. O deorum
Si quis hæc audis, utinam inter errem
Nuda Leones.
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræque succus
Defluat prædæ, specioſa quæro
Pascere tigres.
Vilis Europæ pater urget absens:
Quid mori cessas? potes hac sub orno
Pendulum zona bene te secuta e-
lidere collum.
Sive te rupes, & acuta letho
Saxa delectant: age, te procellæ
Crede veloci: nisi herile mavis
Carpere pensum
Regius sanguis, dominæque tradi
Barbaræ pellex. aderat querenti

Per-

violavit, prima sit furoris victima. Vocat monstrum, satis virium habere se prædicat ad illud aggrediendum & trucidandum. Inde in se ipsa furorem vertit, sibi exprobrat crimen, jam statuit morte culpam expiare.

V. 48. Vocat Taurum monstrum ob μετεμψύχωσιν; nam cum ad Cretam appulerit, evanuit repente, & errorem depulit.

V. 57. *Vilis*, i. sontis, vel si referas ad Patrem, Pater spretus a me.

V. 60. Strangulare: Ita Arsace in Heliodoro, Jocasta & Antigona in Sophocle, Phœdra in Euripide, Amata in Virgilio, & uxor Mitridatis in Plutarcho vitam finierunt.

V. 61. Rupes acutis saxis in mare prominentes. *letho*, i. ad lethum, saxa acuminata ad inferendam mortem apta.

V. 63. Nova causa, cur se letho tradat. pensum erat justa lanæ vis, quæ singulis diebus nentibus ancillis dabatur, olim pendebatur, hinc pensum.

V. 66. *Pellex* latine refertur ad feminam. nec Itali, nec Gal-

Digitized by Google

Perfidum ridens Venus, & remisso
Filius arcu.
Mox ubi lusit satis, abstineto,
(Dixit) irarum, calidæque rixæ,
Quum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis esse nescis?
Mitte singultus: bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus Orbis
Nomina ducet.

Galli, nec Angli uno verbo hanc vocem possunt exprimere. *τὸ pellices Jovis* improprie diceretur, perinde ac *concubinæ Junonis*. Duæ veluti tabulæ pictæ se nobis offerunt. Ex hac parte Europe gemebunda, & ad summam rerum desperationem adducta. ex illa Venus, quæ ridet, & Cupido, qui lætatus triumpho relato de Deorum rege, negligenter remittit arcum, perinde ac si nullum reliquum sibi esset præclarum facinus.

V. 70. Subauditur *negotio*.

V. 75. Orbis divisi pars.

CARMEN XXVIII.

AD LYDEN.

Ad transigenda hilariter Neptunalia in ejus domum se invitat.

Festo quid potius die
Ne-

Strepitum & turbam oderat Poeta, ideoque magnis diebus festis parum delectabatur. Solebat seorsum a vulgo cum nonnullis Amicis placide ac tranquille epulari. Festum Neptuni Romam arcessebat magnam advenarum vim, qua viæ occupabantur propter casas ad hospites excipiendos extructas. Poeta igitur secedit domum cujusdam Matronæ amicæ suæ, ubi diei festi magnam partem transigit inter Musicæ, mensæque delicias. hinc scripsit Odem, quæ sane hilare Poetæ ingenium demonstrat. Ita Sanado.* Arbitror, Horatium misisse

Neptuni facias? prome reconditum,
Lyde ſtrenua, Cæcubum,
Munitæque adhibe vim ſapientiæ.
Inclinare meridiem
Sentis: ac, veluti ſtet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli Conſulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
Neptunum, & virides Nereidum comas.
Tu curva recines lyra
Latonam, & celeris ſpicula Cynthiæ:
Summo Carmine, quæ Cnidon,
Fulgenteſque tenet Cycladas, & Paphon
Junctis viſit oloribus:

ſiſſe hanc Odem ad Lyden, qua monet, ut ipſa ſeveritatem morum pauliſper ſolvat; atque exhilaret animum. deinde lepide ſe convivam & ſocium venturum dicit, & cum ea exacturum diem, ac noctem hilare cantu & lyra. *

V. 1. 5. Cal. Auguſti.

V. 4. *Adhibe*, infer. Splendida metaphora. munita ſapientia eſt virtus, quæ maxime cavet, ne circumveniatur.

V. 5. Vides ſolem pluſquam medium curſum diei peregiſſe; ac veluti dies celer gradum fiſtat, &c.

V. 8. M. Calpurnius Bibulus fuit conſul cum J. Cæſare anno 695. acciperem hunc dicendi modum ad ſignificandum dumtaxat vinum valde vetus, ut vidimus in Od. 14. hujus, v. 19. *tò ceſſantem* poteſt referri ad Lyden, & ad Bibulum. * Ex his verbis *prome ſtrenua Cæcubum*; *parcis deripere horreo ceſſantem amphoram* colligit Sanado indicari a Poeta nimiam Lydes parſimoniam, vel taxari maligne iners Conſulis ingenium, qui omnia Collegæ peragenda reliquit. Sed fortaſſe, illis verbis Poeta ſeveram Lyden, timidam nimis, & cautam ſtimulat ad hilaritatem. *

V. 9. * Ingenioſe agit Poeta. non dicit: ego veniam domum tuam, ut convivio excipiar. Urbane ait: nos una celebrabimus laudes Neptuni &c. poſtquam eam hortatus eſt ad depromendum vinum. *

V. 13. Tandem noſtras voces conjungemus ad dicendam Deam &c.

Digitized by Google

Dicetur merita nox quoque nænia.

V. 16. Significat festum diei termino, non circunscribendum, sed justam noctis partem continuandum, vel tacite indicat, & ambigue, se velle cum ea pernoctare. *Nænia* non solum est cantus lugubris, ut alibi, sed etiam magicus cantus, & proverbium inter pueros tritum. hoc loco idem est ac *Hymnus*.

CARMEN XXIX.

AD MÆCENATEM.

Invitat ad frugalem cœnam, & ut anxias de rebus futuris curas omittat, sapienter admonet.

TYrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado

Cum

Quod de Demosthenis Orationibus, de Archilochi jambis, de Epistolis ad Atticum, illud de Horatii Carminibus pronunciari potest. Longiora non minus perfecta sunt, quam breviora. Mirabile est diu inoffenso pede currere, & spiritum sustinere. In hac Ode semper Poeta gradus glomerat, nunquam sistit, ascendit viribus semper integris, & tandem eo celsitudinis, quo nemo unquam, pervenit. Ex hoc argumento tam communi rara omnia eademque pulcherrima elicit decora. Modo campestri, venustaque simplicitate τὸ φυσικὸν delinit, modo præceptis institutisque Philosophiæ mentem illustrat, animumque informat. Animadvertas velim stilum ornatum. Consulto mulcet Mæcenatis aures iis dicendi modis, qui ejus ingenio discincto, ut ait Seneca, & linguæ affines erant. Diximus alibi, tantum virum plurimum fidei adhibuisse Astrologiæ. Huic Carmini adscribi potest Mensis Julius anni 733, quo Mæcenas solus Romæ, Italiæque præerat. Augustus tunc erat in Græcia, iturus in Asiam; Agrippa discedere Roma coactus fuit, & imperium Galliæ sumere, ubi incolæ a Germanis suscitati rebellare aggrediebantur.

V. 2. Dacierius cadum significari ait nunquam prius exhaustum, novum. Sed Horatius vinum pollicetur Mæcenati, quod a nemine prægustatum fuerit, quodque ipsi reservatum. Veteres vinum educebant ex reclinato vase, ut in pocula, vel amphoras infunderent.

Digitized by Google

Cum flore, Mæcenas, rosarum, &
Pressa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me est. eripe te moræ,
Neu semper udum Tibur, & Æsulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga Parricidæ.
Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatæ
Fumum & opes, strepitumque Romæ,
Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo sub lare pauperum
Cœnæ sine aulæis, & ostro
Solicitam explicuere frontem.
Jam clarus occultum Andromedæ pater
Ostendit ignem: jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Jam pastor umbras cum grege languido,
Rivumque fessus quærit, & horridi

V. 4. Myrobalanus, glans unguentaria, ex qua oleum exprimebatur suavissimo odore præditum. vocabatur oleum balanicum, quod ex Petra Arabiæ urbe veniebat. Mæcenas effeminata mollitie perfluebat, erat totus de capsula.

V. 9. Active.

V. 10. Certatim Romani studebant tollere extra modum ædes suas. hinc sæpe domus Romæ ruebant, idcirco Augustus legem tulit, ut domus 70 tantummodo Romanis pedibus altæ conderentur. Strabo lib. 15 ait, *edicto cavit, ne quis supra pedes 70 ædificaret*. fortasse indicatur domus, quam Mæcenas struxit in Esquiliis.

V. 12. *Tò Fumum* significat magna quæque Romæ decora. *Strepitumque:* Quantus strepitus in ea urbe fieri debuerat, ubi tricies centena millia hominum habitabant; cujus urbis circuitus erat 48 millium passuum, & cujus domus vel decem habere possent laqueata denis pedibus alta!

V. 15. Sine tapetiis, peristromatis.

V. 17. (V. ind. *Cepheus*.)

Digitized by Google

Dumeta Sylvani: cavetque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu civitatem quis deceat ſtatus,
Curas: & orbis ſolicitus, times
Quid Seres, aut regnata Cyro
Bactra parent, Tanaiſque diſcors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus;
Ridetque, ſi mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adeſt, memento
Componere æquus. Cætera fluminis
Ritu feruntur; nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruſcum in mare, nunc lapides adeſos,
Stirpeſque raptas, & pecus, & domos
Volventis una, non ſine montium

Cla-

V. 23. Sylvani nom. plur. Dacierius perperam genitivum facit.

V. 28. *Bactra*, i. Parthos, Scythæ, & Sarmatæ non movebant tunc bellum, ſed Mæcenas curis ſuis tam longe progrediebatur, ut bellicos motus præſentiret, quos illi procul diſſiti populi excitare poterant contra Remp. Id fortaſſe exaggerat, ut Mæcenatem ab immodicis ſolicitudinibus avocet.

V. 25. Ἀνθέστης pulcherrima. dum homines & bruta animantia quieſcunt, Mæcenas ſemper tutandæ Romæ invigilat.

V. 31. Non minus vere, quam magnifice dictum. Qui in futurum tempus quam remotiſſimum præſentit, inutiliter angitur, & riſum ſuperis movet. Mæcenas perſuaſum habere poterat, hæc de ſe narrari. hinc collige, quam familiariter Poeta ageret cum tanto viro. Ariſtippi Philoſophiam ſectatur Poeta.

V. 32. Sapienter uti præſenti tempore.

V. 33. Qui præſens tantummodo tempus petit, æquanimitate præſtat. *cætera* &c. quam egregia, bone Deus, imago! quam graphice deſcriptas rerum humanarum vices ponit ob oculos! modi ipſi verſuum & numeri imagini pondus adjungunt.

V. 34. Lyrica Poeſis Horatiana comparari poteſt huic imagini torrentis.

Digitized by Google

Clamore, vicinæque ſylvæ:
Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens ſui,
Lætuſque degit, cui licet, in diem,
Dixiſſe, vixi: cras, vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel Sole puro: non tamen irritum
Quodcumque retro eſt, efficiet: neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens ſemel hora vexit.
Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna:
Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, reſigno quæ dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem ſine dote quæro.

V. 40. Animata pictura. quid nobilius, quid felicius, quid curioſius Poeſis ipſa reperiret? flumina, quæ in Tiberim influunt, ſunt Clanis, Nar, Anio.

V. 42. *Degit* concordat cum *Licet*.

V. 43. Tribus dicendi modis utitur, qui rem gradatim augent. *irritum efficere*: *diffingere*, i. mutare: *infectum reddere*, i. deſtruere.

V. 51. Ex hoc in illum hominem honores devolvit, nunquam conſtans.

V. 53. (V. Ind. *Antiſthenes*.)

V. 54. Figurate *reſignare* ſignificat aperire. hic vero reſtituere.

V. 55. Virtutis veluti ſcuto repellitur fortuna. Probitas morum jacturam bonorum, quæ fortuna eripuit, reſarcit. mirifice hunc locum exornat Poeta. fortaſſe innuit, quod Dio lib. 48, & Seneca Suas. I. narrant de Antonio. Cum ille ſe Bacchum nominari vellet, uxorem ducere Minervam Athenienſium ſtatuit, quam populus adulator ei nuptum dabat. Sed ipſe imperavit, ut dos ſibi tribueretur 2000 talentorum. Quamvis ipſi dictitarent, Jovem accepta conjuge Semele nullam ſibi popoſciſſe dotem, tamen 2000 talenta Antonio Athenienſes vel inviti tradere debuerunt.

Digitized by Google

Non eſt meum, ſi mugiat Africis
Malus procellis, ad miſeras preces
Decurrere, & votis pacifci,
Ne Cypriæ, Syriæque merces
Addant avaro divitias mari,
Dum me biremis præſidio ſcaphæ,
Nudum per Ægæos tumultus
Aura ferat, geminuſque Pollux.

V. 57. Si nave mercibus onuſta Ægæum navigarem, & fera tempeſtas navim everteret, ego ſiccis oculis tot damna cernerem, tot bona, & ſpes amiſſas; & maximas Diis gratias agerem, ſi incolumis evaderem licet nudus levi ſcapha.

V. 58. Lucro intentas, a Diis improbatas, pudendas.

V. 62. Scapha biremis habebat utrinque duos remiges ſingulis remis innixos.

CARMEN XXX.

Famæ perennitatem ſibi ab ſuis verſibus pollicetur.

EXegi monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius:

Quod

Quiſque fere artifex perfecto & omnibus probato opere ſibi plaudere ſolet. Id certe potiori jure concedendum litteratis viris, qui in iis rebus præſertim operam ſtudiumque collocant, quæ hominem proxime attingunt, ideoque cariores eſſe debent. Poetæ ſane ſive boni, ſive mali hoc jure uti volunt. Verum de horum confidentia, & illorum meritis judicium poſteritas fert. Quidquid de ſuis ſenſerat Horatius, poſteri omnes comprobarunt ratumque fecerunt nomen Principis lyricorum Poetarum, & Satyricorum. Hanc Odem fortaſſe ille ultimam ſtatuit trium primorum librorum, quos edidit in lucem multo antequam quartum evulgaret. Hinc fit, ut ſemper ultima remanſerit. Illa eſt magnifico ſtilo, ſententiis nobilibus, & numeroſis verſibus præſtans.

Digitized by Google

Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. uſque ego poſtera
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita Virgine Pontifex.
Dicar, qua violens obſtrepit Aufidus,
Et qui pauper aquæ Daunus agreſtium
Regnavit populorum: ex humili potens
Princeps Æolium Carmen ad Italos
Deduxiſſe modos. Sume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

V. 3. *Impotens*, i. cujus vis frenari non poteſt.

V. 11. Poeta non hoc ſibi vult, nempe ſuam famam non præterituram eſſe Apuliæ Dauniæ fines. Apulia hic eſt pro tota Italia. *agreſtium*, i. bellatorum.

V. 12. Clarus ero, quod primus verſus latinos alio metro ſcripſi, imitatus Alcæum, & Sapphonem. Bentlejus refert τὸ *ex humili potens* ad τὸ *Daunus*, ſed referendum eſt ad ipſum Horatium, qui E. II. 2, 50 ait: *deciſis humilem pennis* &c.

V. 16. Ne dubita, me cingere lauro, quam Apollo ſuis alumnis præbet.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI CARMINUM LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

AD VENEREM.

Se jam per ætatem rebus amatoriis alienum esse, & tamen Ligurini amore teneri.

INtermissa Venus diu
Rursus bella moves? parce, precor, precor,
Non

Pleraque hujus quarti Libri Carmina quinque aut sex postremis ætatis suæ annis concinnavit Horatius. Cave, putes hunc esse quartum illum librum, quem coactus fuit in lucem proferre Augusto jubente, ut aliqui interpretum opinati sunt. Suetonii temporibus alius, atque iste, idest alio ordine exaratus fuerat. Constat enim aliquot Odas priores esse tempore illis, quæ in libris præcedentibus reperiuntur. Hic quartus liber Carminum pulchritudine cæteris præstat. Prima Ode dicata est Paullo Fabio Maximo, qui consul fuit cum Q. Ælio Tuberone anno 743, non Q. Fabio Maximo, qui Consul fuit anno 744 cum Julio Antonio. Ille Maximus, cui scribit Ovidius de Ponto erat fortasse hujus filius. Torrentius inscriptionem evulgavit, quam invenit in veteri quodam manuscripto codice. *Carminum Liber quartus ad Fabium Maximum*. Horatius 50 ætatis annum agebat, ut ex 6 versu apparet.

V. 1. In primo & secundo libro vidimus, Horatium 40 annos natum rebus amatoriis nuncium remisisse, & 3 aut 4 annis post Glyceræ amore captum fuisse, & tandem 50 circiter annos natus ille Ligurini amore flagravit. * Rhobertus Stephanus sejunxit τὸ *intermissa* a τῷ *Venus*, & conjunxit cum τῷ *bella*. Bentlejus eum secutus est, & Sanadon. *. *diu*: decem abhinc annis amare cessaverat.

V. 2. Vivida & poetica repetitio.

Digitized by Google

Non ſum, qualis eram bonæ
Sub regno Cynaræ. Deſine dulcium
Mater ſæva Cupidinum
Circa luſtra decem flectere mollibus
Jam

V. 3. *Bonæ*, i. benevolæ, gratæ, vel dulcis, pulchræ. Tribuitur etiam hoc nomen iis, qui jam emortui ſunt.

V. 4. Tenerorum, parvulorum.

V. 6. * Hæc igitur Ode non facta eſt Conſſ. Q. Fabio Maximo, & Julio Antonio anno 744. Errant Theodorus Marſilius, Tanaquillus Faber, & præſertim Juſtus Lipſius, qui in comm. ad Ann. Tac. lib. 1. ad vocem *Julos* ait: primam, & ſecundam hujus libri Odem ad duos conſules Julium & Fabium & per eam occaſionem conjunctim ſcriptas fuiſſe. Nam præterquamquod Poeta tunc egiſſet 55 ætatis annum, in neutra Ode de conſulatu hoc ne verbum quidem facit. Deinde perperam conjunctæ ſunt ambæ Odæ a grammaticis, prima enim poſterior eſt quam ſecunda 4 annis. Verum utrum Maximo Filio an Patri dicata eſt hæc Ode? Non certe Filio. Nam Ovidius, qui 23 annis minor natus erat, quam Horatius, in Eleg. 3, lib. 2. de Ponto ſcribens Maximo filio ait, ſe vidiſſe eum naſcentem, ſe prima ei dediſſe oſcula, ſe ejus Patri amicum fuiſſe. Fac, orto Maximo Filio Naſonem ſaltem 15 annos natum fuiſſe, ut amicitiæ colendæ Maximi Patris aptus eſſet. Si viginti tribus annos quindecim addas, certe Ovidius 27, Maximus Filius 12, aut 13 annos, & Horatius 50 nati erant. *circa luſtra decem*. Quis autem credat hujuſmodi puero hanc Odem Poetam dicaſſe? Qui puer vocare cauſas pro reis eloquenter poterat? Credibile ergo eſt, Maximum Filium multo poſt ortum fuiſſe, quam putarunt cæteri interpretes, & Poetam hanc Odem ceciniſſe, cum Maximus Pater 37 circiter annos natus, (cum ſenior eſſet Ovidio) quatuor annis antequam Conſul fuit, puellam uxorem (fortaſſe iterum) ducere niteretur, ut patet ex v. 17, & 18. Ex qua Puella ſi natus eſt ille Maximus, ad quem Ovidius ſcribit de Ponto annos natus 54 circiter, ſcilicet poſt 4, aut 5 exilii annos, ille *juvenis rariſſimus* agere debebat tunc 27 circiter annum ætatis. præterea cum dicat Ovidius in laudata Elegia, ſe impulſum fuiſſe a Maximo Patre ad faciendas Carmina, 20 & plures fortaſſe annos natus erat, cum id conſilii cepit; nam tacite ſignificat, ſe orbatum fuiſſe Patre ſuo, a quo ipſe puer juriſprudentiæ operam dare coactus fuerat, & verubus valedicere. Sic omnia inter ſe convenire

Jam durum imperiis. abi,
Quo blandæ juvenum te revocant preces.
Tempestivius in domo
Paulli, purpureis ales oloribus,
Comessabere Maximi,
Si torrere jecur quæris idoneum;
Namque & nobilis, & decens,
Et pro solicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium
Late signa feret militiæ tuæ.

Et

venire posse puto. *. *flectere*, i. sub jugo ponere hominem, qui non potest amplius parere tuis mandatis, nec tuis deliciis frui. *mollibus*. nempe, qui tantum abest, ut ferre possit omnia dura sub vexillo hujus Deæ, ut potius omnia facilia & mollia ferre nequeat.

V. 8. Juvenes leves aliquandiu vale dicunt Veneri, sed dicto citius eam revocant.

V. 10. Græce. quasi dicat: Venus, quæ purpureis oloribus ducta est.

V. 11. Εἰς Κῶμον βαδίζειν, adire Comum conviviorum Deum. Solebant Græci personati turmatim instrumentis & facibus armati & coronis præcincti ingredi alienas domos. Ita hic Venus quasi personata subire debuerat domum Maximi ad epulandum. Vidimus in Ode 15 lib. 3. meretrices personatas petere solitas domos Amasiorum. *comessari* venit etiam a κωμάζειν, quod non solum significat lascivire, & scortatum ire, ut vult Lambinus, & ad Comum ire, ut Dacierius, & alii, sed & hymnum canere. Hoc postremo sensu sæpe usurpatur a Pindaro, quem Horatius imitari solet. Ergo *comessabere* idem est ac *celebrabere*.

V. 13. Oriundus erat ab illo Fabio, qui unus ex 300 reliquus fuit, qui uno eodemque die apud Cremeram cæsi sunt. *Decens*, i. decora, pulchra facie, bono filo.

V. 14. Juvenes agendis causis operam dabant, habitabant in foro, *reis*, i. iis, qui in judicium vocabantur.

V. 15. *Puer*, i. juvenis. vox blandientis.

V. 16. Ait Veneri, Maximum longe laturum ejus insignia, nempe dilataturum fines ejus imperii. Exemplum magni viri plurimum valet ad significandam Amoris potentiam.

Digitized by Google

Et, quandoque potentior
Largi muneribus riſerit æmuli,
Albanos prope te lacus
Donet marmoream, ſub trabe citrea.
Illic plurima naribus
Duces thura: lyraque, & Berecynthia
Delectabere tibia
Miſtis carminibus, non ſine fiſtula.
Illic bis pueri die
Numen cum teneris Virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient humum.
Me nec ſemina, nec puer

Jam,

V. 17. Quandocumque, quando, cum. Tunc Maximus procul dubio rivalem virum habebat, qui effuſiſſimis ſumtibus, & donis ſplendidiſſimis infirmare conabatur, aut ſuperare eorum bonorum vim, quibus præſtabat illi Maximus ex parte animi & corporis.

V. 18. Τὸ *riſerit* non conjungitur cum τῷ *muneribus*, ſenſus eſt: quando ſumma cum voluptate videbit ſe potentiorem.

V. 19. Τὸ *prope* conjungitur cum τῷ *lacus*. Poeta inquit Veneri, Maximum illi erecturum ædem apud illum lacum; qui Maximus fortaſſe ibi domum habebat. Vel etiam loquitur de alio lacu proximo, qui vocabatur *Lanuvinus lacus*, prope quem erat templum Dianæ Nemorenſis. Spem injicit Veneri honorem accipiendi parem illi, quem Dianæ acceperat, nempe ſtatuam & templum prope lacum Albæ. Fortaſſe Maximus hortatum Auguſti ſecutus (Suet. in Oct. c. 29) ut aditum ſibi aperiret ad Conſulatum, Templum Veneri ſacrum, & ſtatuam erigi juſſit.

V. 20. ſtatuam. *ſub trabe*, i. templo, pars pro toto. *citrea*, citrus maximi erat pretii.

V. 22. Senties odores thuris, quod ante tuas aras cremabitur.

V. 23. Delectabere miſtis lyræ, tibiæ, vel cornu Berecynthio carminibus.

V. 25. In illo templo.

V. 28 Ducent Choreas more Saliorum.

V. 29. Explicat diſcrimen, quod inter Maximum & ſe intercedit.

Digitized by Google

Jam, nec ſpes animi credula mutui:
Nec certare juvat mero:
Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur, heu, Ligurine, cur
Manat rara meas lacryma per genas?
Cur facunda parum deco-
ro Inter verba cadit lingua ſilentio?
Nocturnis te ego ſomniis
Jam captum teneo: jam volucrem ſequor,
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

V. 30. Qui ſenex eſt, non debet eſſe credulus, nec ſperare, fore ut ametur.

V. 31. Contendere, uter copioſius vinum bibat.

V. 33. Animadverte τὸ πάθος. hic locus veluti improviſo e Naturæ ſinu effatus ſuaviſſimus eſt, Veneres omnes ſapit intimoſque animi ſenſus pertentat. Nihil dulcius & concinnius ab ipſa Sappho excogitari potuiſſet.

V. 34. Lacrymæ amoris guttatim, & ſenſim fluunt.

V. 35. Hinc colligitur, Poetam in cœtibus lepidum & facundum fuiſſe. Auguſtus eum vocabat *lepidiſſimum homuncionem*.

V. 38. Amplector. videtur ſectari Ligurinum, qui ſe curſu exercebat in campo Martio.

CARMEN II.

AD JULIUM ANTONIUM.

Invitatus Horatius ad Auguſti victorias Carmine Pindarico celebrandas ita ſe excuſat, ut id ipſum maxime præſtet, quod videtur detrectare.

PIndarum quiſquis ſtudet æmulari,
Jule, ceratis ope Dædalea
Niti-

Ille vir Princeps, qui eximium, ſibique obſequentem Poetam in promptu habet, non marmore, non ære indiget ad immortalitatem nominis comparandam. Quemcumque ipſe

Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem

ſe gloriæ gradum aſcenderit, monumento tum illuſtri, tum diuturno conſignatum videbit. Verum ille Poeta, qui ingenio præcellit, & meritis famam conjungendam putat, felix profecto eſt, qui eos Principes viros offenderit, quos ſine dedecoris, aſſentationiſque metu efferre laudibus queat. Auguſtus & Horatius ea ſibi ratione viciſſim gratificabantur: Primus a præſtantiori Poeta laudari, alter vero illuſtriorem Principem nanciſci non poterat, quem laudaret. Jam vero Imperator duobus abhinc annis in Galliis erat, præſentia ſua impetum repreſſit Sicambrorum, qui Lolliana clade magis inſoleſcebant, & Tiberium Druſumque adjuvit in Victoria de Rhetis, & Vindelicis relata. Tota Roma moræ impatiens illum expectabat, magnificum adornatura triumphum. Poſt tam ſingulares res geſtas reditus illius Principis Poeram impulit ad 4 Odas concinnandas, quæ liquido oſtendunt, illum primæ juventutis ignem ætatis maturitate ne minimum quidem deferbuiſſe. Pro duabus primis gratiam habemus Julio Antonio, qui Poetam ad canendum invitarat, propter quas ita ſibi placuit Auguſtus, ut duarum poſteriorum argumentum ipſemet propoſuerit. Præter Julium a multis præterea, & præcipue ab Agrippa & Mæcenate impulſus fuit Poeta ad Poema conficiendum, vel de geſtis Auguſti, vel de alia hujuſmodi re, ſed ita belle ſe excuſat, ut, licet iis minime ſatisfaciat, eoſdem tamen hilares, alacreſque tanquam voti compotes dimittat. Huic Odæ adponi poteſt annus 740 jam elapſurus, quo Principem in urbem cito regreſſurum, ſpes erat. Sed Galliarum, Germaniæ, & Hiſpaniæ res aliquot menſium moram adventui interpoſuerunt.

V. 5. Splendida hæc eſt & apta Pindari ingenio comparatio, qui ſemper magnus rerum inventione, ſublimis cogitatis, rapidus ſtilo, audax figuris eſt. Horatius ejus ſpiritu afflatus ejus quoque lingua loquitur. Hinc iſtæ furioſi, præcipitiſque modulaminis vibrationes, quæ magnam Carminis partem occupant; hinc iſtæ ſtili non inanes ampullæ, iſtud fortium imaginum quaſi agmen, iſte figurarum fulgor, hic verborum audacium apparatus, ac novitas, quæ omnia Dithyrambicum ingenium præſeferunt. Probare nititur, Pindari exemplar inimitabile eſſe, & tamen multis in locis ita illud æmulatur, ut, uter victoriæ palma dignior ſit, dubitandum relinquat.

Digitized by Google

Quem ſuper notas aluere ripas,
Fervet, immenſuſque ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova Dithyrambos
Verba devolvit, numeriſque fertur
Lege ſolutis:
Seu Deos, regeſque canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere juſta
Morte Centauri: cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ:
Sive quos Elea domum reduxit
Palma cœleſtes: pugilemve, equumve
Dicit, & centum potiore ſignis
Munere donat:
Flebili ſponſæ juvenemve raptum
Plorat: & vires, animumque moreſ-
que Aureos educit in aſtra, nigro-
que Invidet Orco.
Multa Dircæum levat aura Cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego, apis Matinæ
More, modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plu-

V. 10. Nova verba condere, & etiam geminare.

V. 12. In Dithyrambis Poeta uniformes numeros negligit, novos tamen verſus, novoſque pedes minime fingit, ſed verſuum formis uſitatis utitur, ſine certo eorum numero.

V. 18. Pindarus eos ex diis oriundos facit, vel quia carmine immortalitati eoſdem commendat.

V. 21. Hæc vox *flebili* active & paſſive accipi poteſt.

V. 25. Horatius ſeſe excuſat. Pindarus, ait, eſt Cycnus ſublimis, ego ſum apes. Dirce fons in Sylva Beotiæ non longe Thebis. Fortaſſe Antonius Horatium hortatus fuerat ad canendum Pindarico ſtilo Auguſtum. Poeta reſpondet, ſe imparem eſſe viribus, ſe eſſe Api ſimilem, eumque contra tanti Poetæ ſtudioſum, ac ſimilem invitat ad laudandum Imperatorem.

V. 28. *Mos* eſt naturæ habitudo, *modus* vero eſt ejuſdem habitudinis ratio.

Digitized by Google

Plurimum, circa nemus, uvidique
Tiburis rivos operosa parvus
Carmina fingo.
Concines majore Poeta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum, merita decorus
Fronde, Sicambros.
Quo nihil majus, meliusve terris
Fata donavere, bonique divi:
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines lætosque dies, & urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meæ (si quid loquar audiendum)
Vocis accedet bona pars: & o Sol
Pulcher, o laudande, canam, recepto
Cæsare felix.
Tumque dum procedet, io triumphe,
Non semel dicemus, io triumphe,
Civitas omnis, dabimusque Divis
Thura benignis.
Te decem Tauri, totidemque Vaccæ,
Me

V. 34. Quandocumque.

V. 36. Hic triumphus, quem Poeta prædicit, anno 740 minime actus est. Augustus ut tot honores evitaret, noctu Romam ingressus est, nec de sui reditus die Patres præmonuit.

V. 42. Romæ vota facta sunt ad impetrandam absentis Cæsaris regressionem.

V. 45. Sequentes versus vividam sententiarum vim continent. Videtur ipse sibi comitari triumphum, gestientis lætitiæ impetum cohibere non potest. quid magis ad Naturam accedit?

V. 53. *Furor Poeticus diu durare nequit. remittitur tandem necessario. Sic Poeta velut resipiscens litandum Augusto Deo putat esse: eodemque tempore significat, quantum differat inter immensas Julii facultates, & suas jam tenues.

Digitized by Google

Me tener ſolvet vitulus relicta
Matre, qui largis juveneſcit herbis
In mea vota,
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium Lunæ referentis orbem,
Qua notam duxit niveus videri,
Cætera fulvus.

nues. Maxime igitur laudat Auguſtum, & Julium licet mente pacata.

V. 55. Adoleſcit. e vitulo fit juvencus.

V. 58. Ejus cornua referunt lunam tertio die creſcentem.

V. 59. Niveus viſu, ſtella candidior nive in eius fronte nitet, totum ejus corpus fulvum eſt. cum hunc formoſiſſimum vitulum in deliciis maximis haberet, τὴν φυσικὴν impetum frenare non potuit eo loci, quo de Juvencis & Vaccis mactandis Divo Auguſto loquebatur; & imitatus eſt opportune Pindarum hac digreſſione.

CARMEN III.

AD MELPOMENEM.

Acceptum illi refert, quod aliquem inter Poetas numerum, & locum obtineat.

Quem tu, Melpomene, ſemel
Naſcentem tacito lumine videris,
Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem: non equus impiger
Curru ducet Achaio
Vi-

Prope divinum ſane eſt hoc Carmen. Poeſeos ſuavitas, & elevatio æque nitent in ſententiis, in ſtilo, & in verſuum ſtructura. Conjecturam facimus, hoc Carmen τῷ Nem. iſthmio præceſſiſſe tempore.

V. 12. E conſpectu ridentis ruris ἡ φυσικὴ dulciſſimis impletur imaginibus, quas ſtatim promere nititur. Avium cantus, pratorum viriditas, nemorum dulce frigus, riverum murmur ita mulcent, ita temperant animi facultates, ut ad poeſim exercendam promptiores fiant.

Digitized by Google

Victorem: neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt,
Et spissæ nemorum comæ,
Fingent Æolio Carmine nobilem.
Romæ principis urbium
Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choris:
Et jam dente minus torqueor invido.
O testudinis aureæ,
Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas,
O mutis quoque piscibus
Donatura Cygni, si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ;
Quod spiro, & placeo, (si placeo) tuum est.

V. 16. Ipse invidia major evaserat, non amplius timebat ejus tela.

V. 17. Testudo animal est tardigradum, a testa nomen habens. ex dorso hujus piscis fingebatur lyra.

V. 18. Modos, & modorum tempora statuis.

V. 19. * Dacierius & Sanado cum cæteris interpretibus hunc locum minime intellexerunt. referuntur hæc verba ad Testudinem, quæ piscis erat, antequam ex ejus dorso fieret lyra. Apollo olim ex testudine in Nili oris inventa lyram conflavit, ut ait Nicander. Hic locus liquido explicatur illis verbis Od. 11. lib. 3. *tuque testudo resonare septem callida nervis, nec loquax olim*, &c. Si aliter acciperetur, insulsus propemodum videretur. huic Carmini faciendo ansam præbuere fortasse insoliti honores Poetæ tributi ab Augusto, Mæcenate, & aliis. *

V. 24. *Quod spiro*: *si je respire*: vertit Dacierius. Sed hoc verbum hic denotat igniculos, quibus animatus erat Poeta a Melpomene. hinc ait, *placeo*.

Digitized by Google

CARMEN IV.

Claudii Druſi Neronis de Vindelicis victoriam celebrat.

QUalem Miniſtrum fulminis alitem,
(Cui Rex Deorum regnum in aves vagas
Permiſit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo)
Olim juventus, & patrius vigor
Nido laborum propulit inſcium:

Ver-

Horatii Aquila vocatur hoc egregium Carmen. duo Carmina petiit a Poeta Auguſtus: alterum quidem ob ludos ſeculares, alterum ob victoriam, quam Tiberius, & Druſus privigni de Pannonia retulerunt. Res geſtæ juvenum Principum materiem hujus Carminis & tertii dedere. Incepit a Druſo nunc primum merente, qui poſtea unus miſſus dux Romani exercitus, & qui apud Auguſtum, & Romanos pluris quam Tiberius fuit. Prima pars Pindarico furore pereita fertur. Media moralibus ſententiis, nobilibus, ſapientibuſque, & τῷ πάθει pleniſſimis diſtincta eſt. Tandem locus maſcula & vehementi eloquentia præfulgens claudit opus. Victoria Druſi de Vindelicis accidit menſe Auguſto, anno 739, ſed cantata fuit poſt Auguſti reditum, i. menſe Martio, anno 741.

V. 1. Magnificum exordium ob imaginum claritudinem, & numerorum gravitatem. Altior volare Poeta non poterat. Jam crederes eum certo caſurum. Sed contra, quo magis ille tollitur, eo magis alarum vires auget. Cum contra Pindarus, teſte Longino c. 27. ultra nubes volat, ut ex editiore loco, & majore cum ſtrepitu decidat. Ordo eſt: *Vindelici videre Druſum ſub Alpibus Rhætis gerentem bella, qualem* &c. Aquila eſt Rex avium, & fulmina Jovis fert. Ejus miniſterio uſus eſt Jupiter rapiendi cauſa Ganymedis ex Ida in cœlum, ubi eum pincernam ſibi ſtatuit expulſa Hebe.

V. 6. Dacierius confundit τὸ *labor* cum τῷ *niſus*. Sanado explicat τὸ *inſcium laborum*, nempe parum peritum pugnandi.

Digitized by Google

Verniſque jam nimbis remotis,
Inſolitos docuere niſus
Venti paventem: mox in ovilia
Demiſit hoſtem vividus impetus,
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atque pugnæ;
Qualemve lætis caprea paſcuis
Intenta, fulvæ matris ab ubere
Jam jamque depulſum leonem
Dente novo peritura vidit:

V. 7. Hunc locum ſecus ac oportet acceperunt Interpretes. plerique legerunt *verni* tanquam Epitheton τῦ *venti*. Scaliger in Poetam invehitur. Aquila, inquit, pullos ſuos gignit ineunte vere, tres dies fovet, qui poſt 6 menſes vix apti ſunt venatui, ergo Poeta fallitur, qui verno tempore Aquilinum pullum cum agnis & Draconibus pugnantem fingit. Torrentius, & Dacierius pro Horatio ſtant. Putant enim τὸ *nimbis remotis* intelligendum eſſe non de veris initio, ſed fine. Sed ne hilum quidem proficiunt. nam cum pullus Aquilinus imbellis ſit Septembri menſe, multo magis erat vix elapſo vere; & ſi æſtas adventans nubes vernas diſſipavit, injuria Horatius ait: vernos ventos adhuc regnare; dicere debebat *æſtivos*. Jam vero ſi legas *vernis*, ut videre eſt in quibuſdam editionibus, ſenſus patebit: falſo crediderunt interpretes, has voces *jam*, *mox*, *nunc* idem tempus ſignificare. Non eodem tempore pullus aquilinus ſuas vires expertus eſt, ſe conjecit in ovilia, & cum draconibus conflixit, ſed interjecto aliquo his rebus intervallo. Hæc ales, inquit, aliquandiu diſcit pennas ſuas explicare; hæc eſt prima exercitatio, nihil amplius tentare poteſt; *verniſque jam nimbis remotis inſolitos docuere niſus venti paventem*: cum ejus alæ robuſtiores evaſerint, ideſt aliquot poſt menſibus Pater, & Mater pauciora ei alimenta præbent, hinc fames, & vividus impetus excitat eum ad quærendam prædam; illa devincit primum aves timidas, & inermes; *mox in ovilia demiſit hoſtem vividus impetus*. Tandem animo cum viribus aucto audet congredi belluis ferocioribus: *nunc in reluctantes Dracones egit amor* &c. Vidimus etiam in Carm. 1. lib. 2. v. 10., τὸ *mox* idem eſſe ac *deinde*, *poſtea*, non *continuo*, ſed *aliquanto poſt*.

V. 15. Refert præteritum tempus.

V. 16. *Novo*, i. cædis inexperto.

Digitized by Google

Videre Rhetis bella ſub Alpibus
Druſum gerentem Vindelici, & diu
Lateque victrices catervæ
Conſiliis juvenis repreſſæ
Senſere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſet, quid Auguſti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus, & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis Patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.
Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcumque defecere mores,
Indecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen, & Aſdrubal

De-

V. 18. Poſt τὸ *Vindelici* ſequitur vitioſa parentheſis ambagibus implexa, & Horatio indigna, 4 fere verſibus conſtans. fortaſſe nota alicujus veteris interpretis in textum ſubducta eſt per exſcriptorem, & in verſus mutata a malo quodam Grammatico.

V. 21. Ordo eſt: *quid poſſit mens, quid indoles rite nutrita ſub fauſtis penetralibus*. Poeta connectit ingenii decora (*mens*) cum animo (*indoles*.) Auguſtus erat alter Pater illorum juvenum. Uxorem enim duxerat eorum Matrem Liviam, & fuit etiam tutor.

V. 28. Ut ſignificet, pullum Aquilinum timidum æque ac Columbam.

V. 31. Indecora faciunt.

V. 33. Poſtquam dixit, Druſum hæredem fuiſſe Virtutis ſuorum majorum, elegit inter eos Heroas unum ſane clariſſimum, qui Remp. ſalvam fecit, formidoloſiſſimo hoſte devicto. Longo ſermone hanc Victoriam perſequitur huic familiæ tam glorioſam.

V. 34. *Metaurum* hoc loco eſt adjectivum.

Digitized by Google

Devictus, ac pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas,
Seu flamma per tædas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit: & impio
Vastata Pœnorum tumultu
Fana Deos habuere rectos:
Dixitque tandem perfidus Annibal,
Cervi luporum præda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere, & effugere est triumphus.
Gens, quæ cremato fortis ab Ilio,
Jactata Thuscis æquoribus, sacra,
Natosque, maturosque patres
Portulit Ausonias ad urbes.

V. 36. Tenebræ, quæ operiebant Italiam, significant Romanorum consternationem causa cladis, & mortis C. Claudii Marcelli, & calamitates, quæ Romæ impendebant, si Annibal & Asdrubal opes suas copulassent. Sed Virtus Claudii Neronis has tenebras dissipavit.

V. 37. *Adorea* est distributum in milites triticum post victoriam. figurate etiam accipitur pro Victoria.

V. 38. *Ut* pro postquam. *Ut dirus Afer per Italas Urbes equitavit: ceu flamma equitat per tædas* &c. Notandus est Pindaricus dicendi modus, & μετάθεσις.

V. 39. Per sylvam tædarum. Latini sæpe accipiebant *tædæ* pro quadam pini specie, ex qua pix eliciebatur.

V. 44. Donec Pœni ferro & igni Italiam vastabant, nulla habita templorum ratione, Dii videbantur prostrati: *jacebant Dii:* Virtus Claudii Neronis eos erexit, & ad tuendam Italiam vocavit.

V. 46. Locus poeticus omni admiratione dignissimus. Magnificentissime laudantur Romani, laudumque veritas ore Annibalis infensissimi hostis comprobatur.

V. 49. Nempe Trojani ex calamitatibus vires sumserunt.

V. 50. Tyrrhenum mare pro Mediterraneo.

Digitized by Google

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes, animumque ferro.
Non Hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monſtrumve ſubmiſere Colchi
Majus, Echioniæve Thebæ.
Merſes profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruit integrum
Cum laude Victorem, geritque
Prælia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuncios
Mittam ſuperbos, occidit, occidit
Spes omnis, & fortuna noſtri
Nominis, Aſdrubale interemto.
Nil Claudiæ non proficient manus:
Quas & benigno numine Jupiter
Defendit, & curæ ſagaces
Expediunt per acuta belli.

V. 59. Surſum miſerunt. (V. Ind. *Jaſon*.)
V. 61. Fortior evenit e profundo.
V. 62. *Integrum*, i. nunquam victum.
V. 69. Poeta loquitur. Complectitur enim ſermone etiam Druſum Juniorem.
V. 72. Metaphora ducta eſt ab homine, qui iter carpit per vias ſalebroſas, & ſaxis acuminatis ſtratas.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN V.

AD AUGUSTUM.

Ut in Urbem quamprimum redeat.

DIvis orte bonis, optime Romulæ
Custos gentis, abes jam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio redi.
Lucem redde tuæ, dux bone, Patriæ:
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit, populo gratior it dies;
Et soles melius nitent.
Ut Mater juvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris æquora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci detinet a domo,
Votis, ominibusque, & precibus vocat:
Curvo nec faciem littore dimovet.

Spes videndi Cæsaris Romam reducis Odem protulit *Pindarum quisquis*, & hujus reditus dilatio hanc, quæ præ manibus est. Hæ duæ Odæ diverso ingenio præditæ omnigeno decorum genere splendent. In illa quidem concitati sunt animi motus, in hac tranquilli, ac pacati sese exerunt; in illa lætitiæ gestientis æstu mens effervescit, in hac animi sensa tanto dulcedinis latice perfunduntur, ut versus suavitate ipsa suaviores fluant. illa est τῆς φαντασίας partus, hæc animi. * notandum in hac metrum aptum dulci argumento. Nam crebri Dactyli mollem efficiunt sonum, leniterque fluunt. *. Consules anno 740 incunte publica vota fecerunt ad impetrandum felicem Augusti reditum. Dies igitur idem hujus ritus adponi potest huic Odæ.

V. 1. To *Divis* non pendet a τῷ *orte*. est abl. absolutus: ut *malo ducis avi*.

V. 2. Augustus rediit a Galliis mense Februario anno 741. & Roma discesserat mense Septembri anno 738.

V. 13. *Ominibusque*, nempe desiderio secundi ominis.

Digitized by Google

Sic desideriis icta fidelibus
Quærit Patria Cæsarem.
Tutus bos etenim prata perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaque faustitas;
Pacatum volitant per mare navitæ;
Culpari metuit fides:
Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos, & lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.
Quis Parthum paveat, quis gelidum Scytham?
Quis, Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæsare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ?
Condit quisque diem collibus in suis,

Et

V. 17. Hujus quaternionis versus egregii sunt. quam amœnæ sunt imagines! quam suaves dicendi modi! Causas affert, cur Romani ament Augustum, & affabre pingit felicitatem, qua imperium totum perfruebatur. *perambulat*, i. percurrit, vel arat. Tranquille in pratis pascuntur boves.

V. 20. Dacierius ita explicat: bona fides non timet violari, nullo modo culpatur. Sed falso. Hoc sibi vult Horatius, Fides quæ cavet, ne in fraudem impellatur.

V. 22. *Mos*, i. usus, educatio. leges Principis usu accipiebantur, vigebant, & ad harum legum normam juvenum mores componebantur.

V. 23. Felices vocantur Matres, quæ filios habent conjugibus suis similes.

V. 29. Finit dies suos in colendis agris, & maritandæ vite ulmis. Suet. c. 42. ait: „ Magna vero quondam sterilitate, ac difficili remedio, cum venalitias, & lanificarum familias, peregrinosque omnes, exceptis Medicis, & præceptoribus, partemque servitiorum urbe expulisset, & tandem annona convaluit, impetum se cepisse scribit, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod eorum fiducia cultura agrorum cessarat, neque tamen perseverasse, quia certum haberet posse per ambitionem quandoque restitui. Atque ita post hanc rem temperavit, & non minorem aratorum, ac negotiantium, quam populi rationem deduceret „.

Digitized by Google

Et vitem viduas ducit ad arbores :
Hinc ad vina venit lætus, & alteris
Te menſis adhibet Deum.
Te multa prece, te proſequitur mero
Diffuſo pateris : & Laribus tuum
Miſcet nomen, uti Græcia Caſtoris,
Et magni memor Herculis.
Longas o utinam dux bone ferias
Præſtes Heſperiæ : dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum Sol Oceano ſubeſt.

V. 31. Veſpere voluptates menſæ ſuccedunt laboribus ruſticis. *alteris menſis*, i. ſub finem convivii.

V. 32. Dio lib. 51. anno 734 elapſo : „ Decretum eſt, „ inquit, ut in conviviis non modo publicis, ſed privatis „ quoque omnes ipſi libarent, (anno 725) ut Diis im„ mortalibus ex æquo in hymnis adſcriberetur „.

V. 35. Ordo eſt. *uti Græcia memor miſcet Diis nomen Caſtoris & Pollucis.*

V. 38. *Ferias*, i. quietem, pacem.

V. 39. Quotidie hoc petimus a Diis. Cum Sol venit noſtros oculos illuminatum : hoc petimus, cum Nox venit eos clauſum.

CARMEN VI.

HYMNUS AD APOLLINEM.

Dive quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ, Tityoſque raptor
Sen-

Convertit ſe Poeta ad Apollinem in templo. Auguſtus hunc Deum in primis colebat, ei ſtatuam poſuerat apud Actium, & tandem aliquot poſt annis in ſuis ædibus templum conſecravit. hoc Carmine maxime Auguſto obſequitur. Sanado putat eſſe partem Carminis ſecularis, & ab utroque choro fuiſſe recitatum primo feſto die in Campo Martio. Animadverte Lyricam audaciam, ſpiritusque poeti-

Digitized by Google

Senſit, & Trojæ prope Victor altæ
Phthius Achilles,
Cæteris major, tibi miles impar:
Filius quamquam Thetidos marinæ
Dardanas turres quateret tremenda
Cuſpide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulſa cupreſſus Euro,
Procidit late, poſuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non incluſus equo Minervæ
Sacra mentito, male feriatos
Troas, & lætam Priami choreis
Falleret aulam.
Sed palam captis gravis (heu nefas, heu!)
Neſcios fari pueros Achivis

Ure-

ticos. poſt τὸ *Dive* ordo poſtulat, ut legas *Doctor Argeæ*: eſt 24 verſuum parentheſis. Trojæ & Achillis imago Poetæ mentem ita abalienavit, ut nulla prorſus excuſatione dignus videretur, niſi id ea de cauſa effeciſſet, ut nimirum Principi adularetur, qui a Trojanis originem ducebat. Eadem de cauſa repetit idem in Carmine *Phœbe Sylvarumque*. Dacierius negat hunc locum eſſe partem Carminis ſecularis, quia Poeta nuſquam ex ſe loquitur in Carmine ſec. Sed contra Sanado reſpondet in hac Ode Horatium non ſuo nomine locutum, ſed Chori. (vide Carmen ſec. a Sanad. ordinatum).

V. 1. (5.) *Magnæ linguæ*, h. e. linguæ ſuperbæ & arrogantis.

V. 5. (9.) Laudat Achillem.

V. 10. (14.) Hujus verſus numeri ad vivum exprimunt Euri impetum, quo proſternitur Cupreſſus.

V. 13. (17.) Achilles non fuit tam abjecto animo, ut vellet includi equo, & furtim irrumpere in Troas ignavos ſua feſta peragentes.

V. 16. (20.) Fefelliſſet.

V. 17. (21.) Vi aperta irruit in Troas, incendit urbem, & (quod dicere perhorreſcit animus) vitam eripuit pueris, antequam loqui ſcirent, quid? inquam, imo antequam lucem viderent.

Digitized by Google

Ureret flammis etiam latentes
Matris in alvo:
Ni tuis victus, Veneriſque gratæ
Vocibus Divum pater adnuiſſet
Rebus Æneæ potiore ductos
Alite muros,
Doctor Argeæ Fidicen Thaliæ
Phœbe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniæ defende decus Camœnæ,
Levis Agieu.
Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomenque dedit Poetæ.
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ, fugaces
Lyncas & Cervos cohibentis arcu,

Les-

V. 22. (26.) Jupiter promiſiſſet, ut Æneas alio iret ad condendam novam Trojam auſpiciis magis proſperis.

V. 25. (29.) Poeta muſam græcam cum latina conjungit. In ludis ſecularibus canebantur verſus Græci & Latini teſte Zoſimo. Deſiderantur Hymni Græci, qui tunc recitati ſunt.

V. 27. (31.) Deſignat ſuos verſus nomine patriæ regionis. ut dixit alibi *Cea Camœna*, ut ſignificaret Poemata Simonidis. *Calabræ Pierides:* Poemata Ennii.

V. 28. (32.) ἀγυιὰ ſignificat vias urbis, ubi ille Deus habebat aras, & ſtatuas.

V. 29. (35.) Locus poeticus admirabilis. *Spiritus Carminis* eſt quædam ingenii elevatio a natura dono data.

V. 30. (126.) Significat veram & germanam ſcribendorum verſuum rationem, & acre judicium, quod perficitur legendis optimis quibuſque antiquitatis exemplaribus, & ſtili exercitatione.

V. 31. (127.) Virgines nobiles.

V. 33. (129.) Diana orientibus pueris, & educandis præerat. Horatius uſurpavit τὸ *tutela* active & paſſive. hic active.

Digitized by Google

Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum:
Rite Latonæ puerum canentes,
Rite crescentem face noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere menses.
Nupta jam dices: ego Dis amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi Carmen, docilis modorum
Vatis Horati.

V. 35. (131.) Observate diligenter modos versuum, quibus Sappho dedit nomen, & concordes facite vestras voces cantibus meæ citharæ.

V. 38. (134.) Canite ritu sacro hanc Deam, quæ fœcundat agros, quæ accendit in cœlis faces noctis, & regit cursum mensium inæqualis sui luminis vice.

V. 41. (137.) Singularis pro plurali. cum eritis sponsæ, illum diem memoria libenter repetetis, & dicetis singulæ: ego in ludis secularibus Hymnos cecini, quos Horatius dedita opera condidit, ejusque versus non displicuere Divis. ita Sanado.

CARMEN VII.

AD TORQUATUM.

Illum proposita mortis necessitate ad hilaritet, jucundeque vivendum invitat.

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis
Arboribusque comæ.

Mu-

Quo tempore, & qua de causa hoc Carmen confectum sit, latet. Argumentum ab eo non differt, quod inest in Ode *solvitur acris hyems*. In illo Carmine veris descriptio latius patet, & venustior est, in hoc secundo est vividior, & aptior. Illic ad finem detegitur Poetæ mens, hic vero a septimo versu prodit, & usque ad finem sese exerit. Illud est imaginibus refertius, hoc moralibus præceptis cumulatius.

Digitized by Google

Mutat terra vices, & decreſcentia ripas
Flumina præter eunt.
Gratia cum Nymphis, geminiſque ſororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne ſperes monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora miteſcunt Zephyris. Ver proterit æſtas
Interitura, ſimul
Pomifer autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurret iners.
Damna tamen celeres reparant cœleſtia Lunæ:
Nos ubi decidimus,
Quo pius Æneas, quo Tullus dives, & Ancus,
Pulvis, & umbra ſumus.
Quis ſcit, an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Di ſuperi?

Cun-

tius. Ambo ſeorſim ſumta ſingulari ſunt laude digna, conjunctim vero conſiderata ingenii ubertatem denotant. * Ex Ep. 5. lib. 1. colligitur Torquatum divitiarum certaminibus, bonis fortunæ cumulandis, & rebus forenſibus tractandis obnixe operam dare ſolitum. Poeta igitur Amicum hortari hoc Carmine vult, ut propoſita rerum labentium & mortis cogitatione tot inanibus curis animum eximat, & genio indulgeat. *

V. 3. Terra renovatur. *præter*, i. juxta, prope. flumina eunt præter ripas. *decreſcentia*, i. detumentia.

V. 7. Propoſitio Carminis, qua oſtendit, omnia morti obnoxia eſſe.

V. 8. Horæ ſibi invicem ſuccedentes. vel *hora* eſt pro *nox*.

V. 9. Figurate ſumitur a pugna, cui ſimilem facit annum, quo tempeſtates ſe invicem inſequuntur, oppugnant, & decreſcunt. notanda mira dicendi brevitas, & modorum rapiditas, quam apte ſequitur gravitas, & tarditas. *ſimul pomifer:* inde celeritas hyemis quamvis inertis.

V. 13. Viciſſitudines tempeſtatum. cauſa adhibetur pro effectu. *cœleſtia*, i. quæ oriuntur e cœlo.

V. 17. *Summa hodierna dierum* eſt numerus dierum, quos nos hodie in ſummam redactos pronunciamus.

Digitized by Google

Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo.
Quum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit abitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere æharo
Vincula Pirithoo.

V. 19. Ex omnibus bonis, quæ possides, ea solum effugient hæredis aviditatem, quibus tu frueris indulgens genio.

V. 21. Omnes arcessentur ad tribunal Judicum apud Inferos, nulla habita personarum ratione, judicium feretur de cujusvis vitæ ratione, quod sane irrevocabile statim pœna vel præmium sequetur. Veritas rerum palam fiet, & fraudes detegentur. ita Ethnici sentiebant.

CARMEN VIII.

AD C. MARTIUM CENSORINUM.

Immortalitatem penes Poetas esse.

DOnarem pateras, grataque commodus,
Censorine, meis æra sodalibus:

Do-

Excellens Poeta ingenitis opibus affluens par referre semper potest Amicis, a quibus beneficia accepit. Fortasse Horatio munus quoddam maximum Censorinus elargitus est. Vates Carmina pro meritis reddidit. Amicus æquissimo animo esse certe poterat. Optima est Carminis hujus ratio, versus bene tornati. Optandum tamen fuerat, ut Poeta aliquo pacto indolem Herois sui palam faceret, ut aliis coloribus Poesim pingeret, quam quibus in Carmine: *Ne forte credas*. quo anno hæc cecinerit Poeta, ignoramus.

V. 1. *Commodus*, utilis. *τὸ sodalibus* refertur ad *τὸ commodus*. ordo est: *Donarem pateras & æra commodus meis sodalibus*.

Digitized by Google

Donarem tripodas, præmia fortium
Grajorum: neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas:
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non hæc mihi vis: non tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: Carmina possumus
Donare, & pretium dicere muneris.
Non inciſa notis marmora publicis
Per quæ spiritus, & vita redit bonis
Post mortem ducibus, non celeres fugæ,
Rejectæque retrorsum Annibalis minæ,
Non impendia Carthaginis impiæ,
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides: neque,
Si chartæ sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris: Quid foret Iliæ,
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus, & favor, & lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori,
Cœlo Musa beat. Sic Jovis interest

Opta-

V. 5. *Artium*, i. operum poeticorum.
V. 8. Exhibere, repræsentare.
V. 9. Opes, copia, facultas.
V. 12. Æstimare.
V. 14. *Spiritus & vita*, i. spiritus vitalis. ait, potest marmoribus insculpi fuga Annibalis turpiter repulsi, potest referri impia Carthago subdita Romæ; sed hæc monumenta publica non servabunt æternam Scipionum memoriam tam bene, quam Poemata Ennii. soli Apollinis alumni possunt Heroum virtutes digne compensare.
V. 18. Ille Scipio, quem cecinit Ennius, fuit major.

Digitized by Google

Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum Tyndaridæ ſidus ab intimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus. 30

CARMEN IX.

AD MARCUM LOLLIUM.

Ejus nomen ſuis Carminibus ab hominum oblivione conatur vindicare.

NE forte credas interitura, quæ

Lon-

Sublimi ſtilo perſequitur Herois laudes, ſapientis, integri, abſtinentis, fidi in Patriam. Verum quis crederet? iſte Heros erat homo vilis, veterator, avarus, proditor. Eſt ne igitur iſta Poetæ impudens aſſentatio, an injurioſa ſimulatio? neutrum dixeris. Lollius erat verſipellis, eatenus turpitudinem ingenii celaverat, probitatem autem præſetulerat. Nil igitur mirum, ſi Horatium fefellerit, fefellit etiam Auguſtum. Qui aulicis moribus aſſueſcunt, & artibus, hujuſmodi perſonas probe norunt. Nos honeſtatis ſpecie obcæcati thura iſtis hominibus elargimur; verum non fallimur; Virtutem unam, cujus iſti perſonam gerunt, ſpectamus, virtutem, inquam, noſtrarum laudum acceptricem. Tripartita eſt hæc Ode. Condita eſt inter annum 738, quo Lollius Beſſos evertit, & Germanos, & 746, quo Horatius obiit. Primo Poeta laudat verſus ſuos, ſecundo Poeſim univerſe, poſtremo Lollium. Videtur remotius principium petere, quam par eſt. * Niſi forte Lollius veritus, ne quidpiam avaritiæ ſuæ ſuboleret Auguſto in adminiſtrata provincia Amicum Horatium induxerit, ut has ſibi laudes texeret. idcirco, opinor, Poeta multus in eo eſt, ut fidem verſuum ſuorum firmet. *

V. 1. Hæc prima pars 12 verſibus conſtat. duas præjudicatas opiniones, injuſtas & perniciosas Auctoribus oppugnat. Primus error eſt: judicium fertur de Poetæ dignitate ex regione, in qua natus eſt: alter error: Poeta pro nihilo habetur, niſi artem ſuam perfecte calleat.

Digitized by Google

Longe ſonantem natus ad Aufidum,
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor ſocianda chordis:
Non ſi priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæque, & Alcæi minaces,
Steſichorique graves Camœnæ.
Nec ſi quid olim luſit Anacreon,
Delevit ætas: ſpirat adhuc amor,
Vivuntque commiſſi calores
Æoliæ fidibus puellæ.
Non ſola comtos arſit adulteri
Crines, & aurum veſtibus illitum
Mirata, regaleſque cultus,
Et comites, Helene Lacæna,
Primuſve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non ſemel Ilios
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus, Sthenelusque ſolus
Dicenda Muſis prælia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerique primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte: carent quia Vate ſacro.
Paulum ſepultæ diſtat inertiæ

V. 2. Apulia erat olim regio ſylveſtris, in qua nullus Poeta ante Horatium ortus eſt.

V. 3. Ait, ſe ditaſſe linguam eo Poeſeos genere, in quo nondum Romani ſuam exercuerant.

V. 13. Verſus 18 ſequentes ſecundam continent partem. oſtendit, ſine ope Poeſeos præclara facinora obliteratum iri. Ordo eſt: *Non ſola arſit Helene, mirata comtos crines* &c.

V. 24. Matronis Trojanis, & Filiis.

V. 26. Paſſive.

V. 29. Genitivus. *Virtus celata paullum diſtat inertiæ ſepul-*

Celata Virtus, Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi,
Rerumque prudens, & secundis
Temporibus dubiisque rectus,
Vindex avaræ fraudis & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ,
Consulque non unius anni:
Sed quoties bonus atque fidus
Judex honestum prætulit utili,
Rejecit alto dona nocentium
Vultu; & per obstantes catervas
Explicuit sua Victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque letho flagitium timet;
Non ille pro charis Amicis
Aut Patria timidus perire.

pultæ, i. celatæ. Qui Plautum auctorem afferunt, ut probent, sepultam inertiam significare inertiam experrectam, excussam, nec Horatium, nec Plautum intelligunt.

V. 30. Locus Odæ præstantissimus, quo laudatur Lollius. Ex Stoicorum porticu nihil perfectius exiit.

V. 43. *Cæterus* adulatorum suam utilitatem spectantium.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN X.

AD LIGURINUM.

Monet ut ætatis flore utatur.

O Formoſus adhuc, & Veneris muneribus potens,
Inſperata tuæ quum veniet pluma ſuperbiæ:
Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint, comæ,
Nunc & qui color eſt puniceæ flore prior roſæ,
Mutatus, Ligurine, in faciem verterit hiſpidam,
Dices, heu! (quoties te in ſpeculo videris alterum)
Quæ mens eſt hodie, cur eadem non puero fuit?

Q 2 Vel

Qui ſuam formam Narciſſi more demiratur, ille profecto ſtultitia tenetur non ferenda. Hoc vitio laborabat Ligurinus. Ipſe adoleſcens pulcher, totus teres atque rotundus, & factus ad unguem ſtulte ferox erat. Horatius ut ejus animum edomaret, via utitur ſane ſimplici, & vera. Ligurino juveni offert Ligurinum ſenem; & oſtendit, vanam hanc ſpeciem tam indocilem futuram olim prædam voracis temporis. Breviſſima hæc Ode ſtili nobilitate, ſententiarum ſuavitudine, & omnium Charitum genere ornata eſt. Poeta ſaltem 50 ætatis annum agebat, quando eam concinnavit. Hæc eſt ætas dandis moralibus præceptis idonea.

V. 1. *Adhuc*, i. poſt tot amoris mei teſtimonia. Significat pulchritudinem evanidam eſſe. *muneribus*, h. e. juvenili ætate, forma, ſcopulis innocentiæ infeſtis.

V. 2. Non expectata. *Pluma* non afficit formam Liguriní, ſed feritatem. Veteres dicebant, plumam adhæſiſſe alicui rei, ut indicarent, rem evolaſſe. Senſus igitur eſt; cum evolarint, aut effluxerint inopinato ea bona, propter quæ tu nunc ſuperbis.

V. 5. Pro τῷ ſe verterit, verſus fuerit. cum colore mutato facies hiſpida facta fuerit.

Digitized by Google

Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

V. 8. *His animis*, i. mihi ita animato. *incolumes*. feliciter dictum. genæ ferunt signa injuriarum, quas nobis infert senectus.

CARMEN XI.

AD PHYLLIDEM.

Invitat eam ad epulas die natali Mæcenatis.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus: est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis,
Est hederæ vis
Multa, qua crines religata fulges:
Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno,
Cuncta festinat manus: huc & illuc
Cursitant mistæ pueris puellæ:
Sordidum flammæ trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris, quibus advocere
Gaudiis, idus tibi sunt agendæ,
Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit Aprilem:
Jure

Hoc veluti Epistolio invitat Amicam Horatius domum suam epulatum. stilus est simplex, & elegans. Scriptum fortasse anno 728. Hæc Phyllis erat captiva, quæ duobus post annis Xanthiæ juveni alienigenæ nupsit.

V. 6. Ait, se vasa argentea, & pretiosam supellectilem hoc die festo depromturum.

V. 9. Hic domesticus apparatus pictus e natura est. Poeta notum facere vult Mæcenati, quantopere ipse & tota domus in deliciis habeant Patronum suum.

V. 10. Hic & sequens versus mirabiles sunt pedum celeritate & facilitate.

V. 15. Festum Veneris Calendis Aprilibus incipiebat.

Digitized by Google

Jure ſolemnis mihi ſanctiorque
Pene natali proprio, quod ex hac,
Luce Mæcenas meus affluentes
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuæ ſortis juvenem puella
Dives, & laſciva: tenetque grata
Compede vinctum.
Terret ambuſtus Phaethon avaras
Spes: & exemplum grave præbet ales
Pegaſus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem:
Semper ut te digna ſequare: & ultra,
Quam licet, ſperare nefas putando,
Diſparem vites: age, jam meorum
Finis amorum.
(Non enim poſthac alia calebo
Femina) condiſce modos, amanda
Voce quos reddas, minuuntur atræ
Carmine curæ.

V. 17. Quem diem quotannis jure celebro, qui ſacrior mihi eſt, quam natalis meus.

V. 19. Mæcenas erat Romæ, cum Auguſtus ſuſcepit iter in Hiſpaniam.

V. 20. Numerat.

V. 21. Telephus idem eſt, de quo ſermo in Ode 13. lib. 2. & in 19. lib. 3. *petis*, i. amas, conquiris.

V. 22. Hæc verba conjunctim accipienda ſunt. ſignificat, Telephum fuiſſe juvenem ingenuum. *puella*: Telephus captus erat amore Lydiæ, ut vidimus in Ode 14. lib. 1. Sed Chabotius, & Dacierius putant, Poetam hic loqui de Chloe, de qua Ode 24 lib. 1.

V. 25. Carpit Phyllidem, quod Telephum amet utilitatis ſuæ cauſa.

V. 32. Dacierius ait, Phyllidem fuiſſe ultimam Horatii Amicam, & hinc colligit, Poetam 40 ætatis annum præteriiſſe, cum hanc Odem ſcripſit. alii tamen arbitrantur omnium Amicarum poſtremam fuiſſe Glyceram. fortaſſe Horatius blandiri vult Phyllidi, cum dixit, eam fore finem ſuorum amorum.

V. 35. Cantes.

Digitized by Google

CARMEN XII.

AD VIRGILIUM MARONEM.

Illum ad cœnam vocat ea lege, ut ſuam ſecum adferat ſymbolam.

JAm Veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ:
Jam nec prata rigent, nec fluvii ſtrepunt
Hiberna nive turgidi:
Nidum ponit, Ithin flebiliter gemens,
Infelix avis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod male barbaras
Regum eſt ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Cuſtodes ovium carmina fiſtula:
Delectantque Deum, cui pecus, & nigræ
Col-

Iterum ſcribit Virgilio eodem metro, conviviumque proponit animi relaxandi cauſa. Odem omnium Venerum Charitumque genere exornat & opibus, quæ decent Virgilium: venuſtiſſime Ver deſcribit. ſtilus facilis eſt & lenis, & amœnus, ſententiæ Naturæ ſimplicitatem ſapiunt. * Videntur Charites adnuiſſe Horatio *molle* illud & *facetum* quod ipſe aſſerit eas elargitas eſſe Virgilio. (S. I. 10, 44.) Eam texuit ante 735 annum, quo Maro iter in Græciam ſuſcepit paulo ante mortem. Nonnulli ſibi fingunt, hanc Odem ſcriptam ad myropolam quendam Virgilium hominem avarum, fieri ne poterat, ut vilem hunc hominem, ignotumque tanti fecerit, ut tam pulchram Odem ejus cauſa concinnaverit? *

V. 2. Apud Veteres non ſemper dignoſcuntur venti ex parte, qua flant. Thraciam putabant eſſe velut ventorum domicilium, unde modo hic, modo ille exiret. fortaſſe hic agitur de Eteſiis. „ Eteſiæ ſpirant & a bruma, quod „ vocantur Ornithiæ, ſed leniores. „ Plin. lib. 2. ſec. 48.

V. 8. *Regum*. plur. pro ſing.

V. 11. Pana Deum Arcadiæ, quæ eſt provincia in medio Peloponneſo, Laconia ſeptemtrionalis dicta.

Digitized by Google

Colles Arcadiæ placent.
Adduxere sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpitiis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domo.
Verum pone moras, & studium lucri;
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

V. 15. Familiæ plebejæ sibi seligebant Patronum ex magnatibus. *Cliens* accipitur latiori sensu, nempe pro eo, qui viris Principibus obsequium præstat.

V. 17. Duplex est onyx. alius vocatur *alabastrites*, qui venit a Caramania, Persarum provincia, & a montibus Arabiæ, ex quo conflabantur vascula, quibus condebantur balsama. alius hodie vocatur *Cameus*, qui facile in India, & Arabia reperitur. est lævis, venis pellucidis distinctus, & colorem refert unguis humani. de primo genere loquitur Poeta. onyces deinceps vocabantur cujusque materiæ vascula.

V. 18. Post consulatum Opimii anno 633, quo Romani in deliciis habere cœperunt vinum vetus, opus fuit, multiplicari cellas vinarias, quibus plures annos illud servarent. illæ, de quibus sermo est, pertinebant ad Sulpitium, aut fortasse erant in ejus prædio. *Sulpitiis*, pro Sulpitianis.

V. 22. Metaphora. Si hæc societas convivarum tibi grata est, veni, & tuam symbolam confer.

V. 23. *Immunem*, i. manibus vacuis.

V. 24. Hæc verba ad 25 versum referuntur. Virgilius frequentabat nobilium domos, & plurima commoda sibi comparabat.

V. 26. Memor mortis.

Digitized by Google

CARMEN XIII.

AD LYCEN.

Insultat, quod contemnatur a juvenculis.

AUdivere, Lyce, di mea vota, Di
Audivere, Lyce, fis anus, & tamen
Vis formosa videri,
Ludisque & bibis impudens;
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum solicitas. Ille virentis, &
Doctæ psallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim transvolat aridas
Quercus, & refugit, te quia luridi
Dentes, te quia rugæ

Tur-

Hæc Ode probat non semper ingenii comitem esse morum honestatem. In hac elegantissima Ode mirari subest allegorias aptas, castigatam elocutionem, numerosam versuum structuram, metrumque sententiis aptum. In qualibet parte excellentem Poetam noveris, non tamen virum honestum, & probum. Decet ne virum emunctæ naris tam injuriosa dicteria funditare in feminam, quam ipse antea tenero amore prosequebatur? Lyce erat puella, quum Poeta eam ferebat in oculis, nunc vero eadem est ætate provectior. fortasse Horatius annum circiter 40 ætatis agebat. Constat, hanc Lycen fuisse nobilem mulierem Etruscam, forma, & modestia præstantem.

V. 5. Fracto, trementi, molli, lascivo, amoris causa. A. Gellius ait, *infractam vocem*.

V. 6. *Solicitas*, i. vocas ardenti studio. *ille*, subauditur, non te audit, sed excubat &c.

V. 7. Filia Chii.

V. 9. Amor transvolat aridas quercus, quibus est intempestivus; juvenes tantum plantæ cum illo faciunt. vide O. I. 26, 19.

Digitized by Google

Turpant, & capitis nives.
Nec Coæ referant jam tibi purpuræ,
Nec cari lapides tempora, quæ ſemel
Notis condita faſtis
Incluſit volucris dies.
Quo fugit Venus? heu! quo color? heu! decens
Quo motus? Quid habes illius, illius
Quæ ſpirabat amores?
Quæ me ſurpuerat mihi,
Felix poſt Cynaram, notaque, & artium
Gratarum facies? Sed Cynaræ breves
Annos fata dedere
Servatura diu parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen:
Poſſent ut juvenes viſere fervidi,
Multo non ſine riſu,
Dilapſam in cineres facem.

V. 12. Quintil. hanc metaphoram improbat in Oratione ſoluta, non tamen in ligata.

V. 13. Veſtes magnificæ.

V. 15. Faſti ſunt acta publica, in quæ referebantur ea, quæ ſingulis annis fiebant. Illi anni ſecernebantur nomine conſulum. ait: Divitiæ tuæ non tibi reddent annos, qui a tuo natali nobis non ignoto elapſi ſunt.

V. 17. Venuſtas.

V. 22. Ait, *facies nota gratiarum artium* eodem modo, quo alii dixerunt, *notus formæ*, *notus militiæ*, *notus operum*, *præſtans animi*, *pendens animi*, Ellypſis. *facies* (nempe tota corporis externa pars) nota ob præſtantiam gratiarum artium, vel gratarum artium cauſa. antes hoc loco ſunt illi totius oris blanditus, membrorumque molliculi motus, ac deliciæ, quæ oculos ſpectantium pelliciunt. *i vezzi*. Ordo eſt: *O Lyce, felix olim, poſt Cynaram, o nota gratarum artium facies, quid habes illius, quæ ſpirabat* &c. Hoc unum de Cynara certo ſcimus, ſcilicet eam primam ab Horatio amatam fuiſſe, pecuniæ cupidam, & juvenili ætate fato præreptam, eamdemque eſſe, de qua loquitur Propertius in prima Eleg. lib. 4. v. 99.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XIV.

AD AUGUSTUM.

Druſi de Vindelicis, ac præſertim Tiberii de Rhætis Victorias Auguſti auſpiciis ac felicitati adſcribit.

QUæ cura Patrum, quæve Quiritium
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguſte, Virtutes in ævum
Per titulos, memoreſque faſtos
Æternet? o, qua ſol habitabiles
Illuſtrat oras, maxime Principum,
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte poſſes. Milite nam tuo
Druſus Genaunos, implacidum genus,
Brennoſque veloces, & arces
Alpibus impoſitas tremendis

Deje-

Poeta in Ode *Qualem miniſtrum*, in qua de Druſo tantum verba facit, ex parte Auguſto paruit. Tiberius ſane queri merito poterat gloriam omnem Fratri ſuo natu minori adjudicari, cujus & ipſe particeps fuerat. Neutri deeſt Poetæ ingenium. In hac laudat Tiberium, ſecundo quidem loco, ſed tamen magnificentius. Druſus communem habuit laudum honorem cum Claudiæ domus heroe, Tiberius vero cum Auguſto. Ambæ Odæ ſunt inter ſe prope pares, atque adeo geminæ ſententiarum nobilitate, ſublimitate ſtili, & omnigenis Poeſeos opibus. In exordio hujus & in fine laudatur Imperator, cætera Tiberius.

V. 1. Ait, Auguſti merita ſuperare, quidquid effici ab hominibus poſſit ad æternam ejus memoriam. ideſt, nihil aliud abeſſe grato Romanorum animo, quam ut plura pro Auguſto poſſent facere. quid amplius dici poteſt?

V. 5. Periphraſis. O maxime Principum totius orbis terrarum.

Digitized by Google

Dejecit acer, plus vice ſimplici;
Major Neronum mox grave prælium
Commiſit, immaneſque Rhætos
Auſpiciis pepulit ſecundis,
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis:
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auſter, Pleiadum choro
Scindente nubes, impiger hoſtium
Vexare turmas, & frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli,
Quum ſævit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris:
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vaſto diruit impetu;
Primoſque & extremos metendo
Stravit humum ſine cæde victor;

Te

V. 13. Denotat duas res geſtas Druſi in eodem bello.

V. 17. Audax loquendi modus, & totus lyricus pro τῷ *ſpectandus tum, quum magnis ruinis fatigaret*. Secundus verſus mirum in modum nitet. nihil nobilius, nihil vividius paucioribus verbis dici poteſt. Virtutis pondere opprimere fortiſſimos viros, qui vitam potius, quam libertatem amittere ſtatuerunt.

V. 20. Indomitæ vocantur undæ, quia ſive deprimantur, ſive cedant ventorum vi, protinus ſe ſe erigunt.

V. 21. Eximius Poeta eſt eximius pictor, ſuo penicillo omnia exornat. Hæc imago Plejadum, quæ e ſinu maris choream ducentes exeunt, & in cœlum tolluntur findentes nubila, venuſta mehercule eſt, & clara.

V. 24. Per pugnæ æſtum. Fortaſſe Tiberius itinere nocturno adortus eſt improviſo Rhætos in caſtris. ignes noctu in caſtris accendi ſolebant.

V. 25. Magnifica deſcriptio, & grandiloqua.

V. 32. Quantum debet Tiberius ſapientiæ tuorum conſiliorum, virtuti tuarum copiarum, & auſpiciis deorum, qui

in

Te copias, te consilium, & tuos
Præbente Divos: nam tibi, quo die
Portus Alexandria supplex,
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque, & optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, & Indus; te profugus Scythes
Miratur, o tutela præsens
Italiæ, dominæque Romæ:
Te, fontium qui celat origines
Nilusque, & Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus, qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,

Te

in tuis insignibus picti sunt, qui student tuis partibus? Vell. lib. 2. ait: „ Tiberius & Drusus gentes locis tutissi-„ mas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate tru-„ ces, majore cum periculo, quam damno Romani exerci-„ tus, plurimo cum earum sanguine perdomuerunt. „

V. 34. Dies, quo capta est Alexandria, consignatus est fastis jussu Patrum inter imperii festa. Poeta viderat celebrari hoc festum 15 annorum spatio. Cum igitur ait, Tiberii prælium eodem die, quo capta est Alexandria, initum fuisse, de re jam nota loquitur; constat Ægyptum fuisse debellatam anno 724, mense Augusto. sed quo die nos fallit. Dacierius putat 4 Cal. Sept., quod probabile est. Saltem ille fuit dies, quo Cleopatra sibi mortem conscivit, & Augustus Alexandria, & tota Ægypto potitus est.

V. 36. Antonius & Cleopatra in quoddam mausoleum recesserunt, quod mox fuit utriusque sepulchrum.

V. 37. Ab anno 724, quo capta fuit Alexandria usque ad 739, quo Rhæti Devicti sunt, tria lustra interfluxere, i. anni 15.

V. 40. Tribuit, dedit, *peracta imperia* sunt victoriæ Augusti relatæ vel per se, vel per suos legatos.

V. 47. Scatens belluis.

V. 49. De Gallis ait Lucanus: *Felices errore suo, quos ille timorum maximus haud urget lethi metus, errore suo*, i. μετεμψύχωσι.

Digitized by Google

Te non paventis funera Galliæ,
Duræque tellus audit Iberiæ:
Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

CARMEN XV.

AUGUSTO PACIFICO.

PHœbus volentem prælia me loqui,
Vi-

Virtutes bellicæ haud permagni faciendæ sunt in viro Principe, qui ad beandos suos populos natus est. Maxima Augusti laus a Virtutibus pacificis petenda, quarum usu totum orbem terrarum beavit. Quum enim fere nunquam ille bellando abstineret, etiam minimis de causis, ad confirmandum magis magisque inchoatum imperium, tamen, quia in extremis imperii finibus certabatur, Roma, Italia, & proximæ provinciæ dulci pace perfruebantur. Vell. lib. 2. ait. „ Nihil optare a Diis homines, nihil Dii homini„ bus præstare, quod non Augustus Reip., Pop. Rom., ter„ rarum orbi repræsentarit. Finita bella civilia, sepulta „ externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor, „ restituta vis legibus, judiciis auctoritas, Senatui maje„ stas, rediit cultus agris, sacris honos, securitas homini„ bus &c. Et paullo infra ait: „ aberat in ordinandis Asiæ, „ Orientisque rebus Cæsar circumferens terrarum Orbi præ„ sentia sua pacis suæ bona. „ Elapso vero anno 744 Augustus Romam reversus cum Tiberio & Druso clausit Jani Templum tertio & postremo. paulo post hoc carmen editum est. Tot tantæque Virtutes Horatiano Carmine dignæ fuerunt, quod nunquam satis laudaverim. Clarissimus Poeta Rousseau in Ode Fortunæ paucis versibus egregie Horatii mentem assecutus est.

Heros cruels, & sanguinaires,
Cessez de vous ènourgueillir
Des ces lauriers imaginaires,
Que Bellone vous fit cueillir.
En vain le destructeur rapide
De Marc' Antoine, & de Lepide
Rempliſſoit l' univers d' horreurs.
Il n' eut point eu le nom d' Auguſte

Digitized by Google

Victas & urbes, increpuit lyra:
Nec parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem. Tua, Cæsar, ætas
Fruges & agris rettulit uberes:
Et signa nostro restituit Jovi,
Direpta Parthorum superbis
Postibus; & vacuum duellis
Janum Quirini clausit: & ordinem
Rectum, & vaganti frena licentiæ
Injecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes;
Per quas Latinum nomen, & Italæ
Crevere vires, famaque & imperi
Porrecta Majestas ad ortus
Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Cæsare, non furor
Civilis, aut vis exiget otium,
Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.
Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia; non Getæ,
Non Seres, infidive Persæ,

Non

Sans cèt empire heureux, & juste,
Qui fit oublier ses fureurs.

V. 2. Percussit.

V. 10. Ordo est. *injecit frena licentiæ vaganti extra ordinem rectum*. Metaphora sumta a pullis equinis, qui proprio usi arbitrio a recto tramite aberrant, modo destrorsum, modo siniſtrorsum, nisi docta manu ducantur.

V. 11. Eradicavit vitia.

V. 12. Ritus sacri, morum disciplina, scientiarum cultura, corporis exercitationes, commercii libertas jam labefactata fuerant, bellorum civilium causa. Augustus ad pristinum dignitatis splendorem omnia revocavit.

V. 17. Non timebimus bella civilia, nec externa.

V. 20. Serendis dissidiis miseras urbes efficit.

V. 21. Hæc omnia optime congruunt anno 744. Tiberius & Drusus Dacos, & Germanos tandem subjecerunt imperio Romano, ineunte hoc anno. Deinde nulla interjecta mora Jani Templum clausum est.

Digitized by Google

Non Tanaim prope flumen orti.
Noſque & profeſtis lucibus, & ſacris
Inter jocoſi munera Liberi,
Cum prole, matroniſque noſtris,
Rite Deos prius adprecati,
Virtute functos, more Patrum, duces,
Lydis remiſto carmine tibiis,
Trojamque, & Anchiſen, & almæ
Progeniem Veneris canemus.

V. 26. Hæc dulcis animi affectio, quæ ad familiaritatem uſque deſcendit valde jucunda Principi eſſe debebat, cui perſuaſum erat, veram gloriam in conciliandis ſibi ſubditorum populorum animis ſitam eſſe.

V. 30. Modus Lydius erat armoniæ ſpecies aptior lætitiæ, & conviviis.

V. 32. Intelligendus hoc nomine Auguſtus.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI
LYRICORUM CARMINUM
LIBER QUINTUS.

CARMEN I.
AD MÆCENATEM.

Ad bellum Actiacum profecturo comitem se offert.

IBis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula:

Pa-

Hæc est Epistola versibus Lyricis accommodata. Statim ac Mæcenas Octavii classem conscendere jussus est, id palam fecit Horatio, simulque eum sibi comitem itineris minime fore statuit. Vicem hanc vehementer doluit Poeta, qui jam Mæcenatem bello Sicilienſi contra Pompejum comitatus fuerat, ubi putavit sibi pereundum esse ad Palinuri promontorium; & magnopere gavisus fuisset, eadem pericula cum illo subire in eo bello, quod intentos omnium fere mortalium animos ad se trahebat, quodque Romano imperio alterutrum Principem præficere debebat. Fortasse Mæcenas Amicum suum in grave vitæ discrimen vocare noluit; * vel verebatur, ne itineris, bellique laboribus infirma ejus valetudo ingravesceret; vel fidum Amicum Romæ relinquere voluit, ut absens eorum, quæ evenirent in urbe, certior fieret, cum multi essent, qui Antonio furtim studebant. Certe tempore Actiaci belli Mæcenas celeriter Romam venit, ut Lepidi junioris nefaria consilia detegeret, ac reprimeret; fortasse hujusce rei ab Horatio præmonitus fuit. *. Utcumque res sit, Poeta dolorem suum significavit hoc Carmine, in quo veræ Amicitiæ, & abstinentiæ plurima argumenta eluceſcunt. Lucubratum est ineunte anno 723 ante Ver.

V. 2. Naves Antonii excelsæ erant per se, & propter turres ligneas puppibus supereminentes.

Digitized by Google

Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo.
Quid nos? quibus te vita sit superstite
Jucunda; si contra, gravis?
Utrumne jussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles vitos?
Feremus: & te vel per Alpium juga,
Inhospitalem & Caucasum;
Vel Occidentis usque ad ultimum sinum
Forti sequemur pectore.
Roges tuum labore quid juvem meo
Imbellis, ac firmus parum?
Comes minore fam futurus in metu,
Qui major absentes habet.
Ut assidens implumibus pullis avis,
Serpentium allapsus timet
Magis relictis; non, ut adsit, auxili
Latura plus præsentibus.
Libenter hoc, & omne militabitur

V. 9. Subauditur *roges*.

V. 11. Respondet Poeta. amor Mæcenatis vires Horatio animumque reddit: ait, se eum libenter secuturum per loca etiam inaccessa.

V. 12. Inaccessum hyeme & æstate propter immensas nives, & glaciem.

V. 13. Nempe Oceanum Atlanticum, qui alluit occidentales Europæ, Africæque plagas.

V. 15. Timiditas, & tenuis valetudo ineptum efficiebant Horatium bello. Postquam primam objectionem diluit 4 versibus præcedentibus, nunc occurrit secundæ sic: Si ego tibi opem ferre nequeo, saltem meæ valetudinit proderit firmandæ, tecum esse; quæ magis invalescet, abjecta omnium cura, ac timore, quibus absens tuæ salutis causa angerer.

V. 21. Quamvis parata sit ad opitulandum, ut avis magis timet, ne serpentum aggressu pereant pulli, cum abest nido, quam cum nido insidet, quamvis præsentia sua eos non liberet a periculo &c.

Digitized by Google

Bellum in tuæ ſpem gratiæ;
Non ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur mea:
Pecuſve Calabris ante ſidus ſervidum
Lucana mutet paſcuis:
Neque ut ſuperni villa candens Tuſculi
Circæa tangat mœnia.
Satis ſuperque me benignitas tua
Ditavit. haud paravero,
Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam,
Diſcinctus aut perdam ut nepos.

V. 23. His duobus verſibus concludit ea, quæ objectis reſpondet.

V. 25. Hypallage, h. e. ut plures juvenci aratris illigati nitantur.

V. 28. Mutari dicitur res, quæ habetur, re, quæ non habetur. per Hipallagen autem contra. primo modo Poeta dixit *mutare otia divitiis*, *triſtia mitibus*, *Suciatiem domum loricis Iberis*: ſecundo vero, *mutare Lucretilem Lycæo*, *uvam ſtrigili*, *lugubre ſagum punico*; *Lucana Calabris paſcuis*. aliquando ad oſtendendam ſucceſſivam duarum rerum permutationem; *ut mutare quadrata rotundis*; *ima ſummis*.

V. 29. Ordo eſt: *neque ut candens villa tangat circæa Tuſculi ſuperni mœnia*. Villa Tuſculi non eſt villa agri Tuſculani, ut credit Dacierius. Villa Horatii 25 mill. paſſ. & amplius aberat Tuſculo.

V. 33. Sepeliam, condam. Chremes avarus ſenex notus in comœdia Terentii.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN II.

Alfius fœnerator velut artis suæ pertæsus laudat vitam rusticam, sed mox avaritiæ victus ad ingenium, & pristinam vivendi rationem redit.

BEatus ille, qui procul negotiis
(Ut prisca gens mortalium)
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore.
Neque excitatur classico miles truci,
Neque horret iratum mare,
Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine

Aliquot Horatii Odas satiricas vidimus, aliasque postea videbimus. In hac cernere non est cruenta illa tela, quæ percutiendo feriunt, feriendoque lacerant, sed facetissimos sales, qui intimo suaviter animo sese insinuant, ac medentur, nullo autem modo vulnus exasperant. Poeta, ut ostendat, quam ægre avarus a divitiarum cupiditate divellatur, coram nobis sistit fœneratorem, qui tranquillitatem, felicitatemque vitæ rusticæ compertam habens, consilium mit indigno fœnore abstinendi, & rus recedendi ad reliquum vitæ spatium transigendum. Pecunia coacta, negotiorum vinculis solutus inibi est, ut discedat; jam amore ruris excitato sibi videtur agrorum cultura delectari. verum simplicia illa animi sensa, illa tam sana consilia, illæ tam blandæ puræ felicitatis imagines repente evanescunt, & fœnerator adhuc extat, ut antea, miseræ avaritiæ præda. Mirifica est Poetæ solertia. Tam egregium Auctorem loquentem inducit, nominat autem in fine Carminis; Ex re vero tota lectori fructum percipiendum relinquit. Magna suavium rerum series τὴν φαντασίαν mulcet, ac pertentat, eamque velut manu ducit ad inexpectatam fabulæ solutionem, quæ certe perutilia legenti præbet documenta. Hujus Odæ stilus amœnissimus est, dicendi modi elegantissimi, versus suavissimi, eorum structura & ordo facillimus; uno verbo Charites ipsæ loqui videntur.

Altas maritat populos:
Inutilesve falce ramos amputans,
Feliciores inserit:
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges;
Aut pressa puris mella condit amphoris:
Aut tondet infirmas oves:
Vel quum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit:
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpuræ,
Queis muneretur te, Priape, & te, Pater
Sylvane, tutor finium!
Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ:
Queruntur in Sylvis aves:
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.
At quum tonantis annus hibernus Jovis
Imbres, nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc, & hinc multo cane
Apros in obstantes plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,

Pavi-

V. 27. Fontes edunt strepitum, qui somnos conciliet jacendi (v. 23. 24.).

V. 29. Hi duo versus maxime poetici sunt. Quæ imagines! quæ dicendi formæ! qui modi! Latini dicebant *annus* & *tempestas* ad significandam unam ex quatuor anni tempestatibus.

V. 33. Ut ex verbo *eo* conjuncto cum præpositione *cum* aut *trans* fit *comes*, *trames*, ita ab *am*, quod est *circum* & *eo* fit *amos*, *itis*, a Festo definitur furca & pertica aucupalis. retia involvebantur baculis diligenter sane perpolitis, & lævigatis, ut facile excurrerent. plagæ seu laquei habebant arctas maculas; nam earum usus postulabat, ut essent fortes, & fractu difficiles; contra retis maculæ erant laxiores. hinc Poeta dixit *retia rara: densæ plagæ*.

Digitized by Google

Pavidumve leporem, & advenam laqueo gruem,
Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliviſcitur?
Quod ſi pudica mulier in partem juvans
Domum, atque dulces liberos:
(Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pernicis uxor Appuli)
Sacrum vetuſtis extruat lignis focum,
Laſſi ſub adventum viri:
Claudenſque textis cratibus lætum pecus
Diſtenta ſiccet ubera:
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemtas apparet:
Non me Lucrina juverint conchylia.
Magiſve rhombus, aut ſcari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.
Non Afra avis deſcendat in ventrem meum,
Non Attagen Jonius
Jucundior, quam lecta de pinguiſſimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba Lapathi prata amantis, & gravi
Malvæ ſalubres corpori:
Vel agna feſtis cæſa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.

R 3 Has

V. 35. Notanda verſus celeritas per tribrachum & anapæſtos pedes.

V. 41. *Peruſta ſolibus*, i. laborioſa.

V. 49. Sat. 4. lib. 2. ait: *Lucrina peloris*.

V. 50. *Scarus. roſcia*.

V. 51. Procella fluctibus incuſſa cum tonitru. nove dictum putant Grammatici.

V. 53. Gallina Afra.

V. 54. *Aſtagen*, avis. Alexander Myndinus facit hanc avem perdice majorem, picto dorſo, maculoſo, ſed magis rutilo colore, hinc Ariſtophanes ſervos ſtigmaticos in Avibus appellat ἀττάγας. Nos vocamus *Francolino*, o *Beccaccia*.

Digitized by Google

Has inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessas vomerem inversum boves
Collo trahentes languido,
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!
Hæc ut locutus fœnerator Alfius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam;
Quærit Calendis ponere.

V. 67. Columella loquitur de quodam Alfio noto fœneratore, & refert quoddam ejus documentum: Dacierius credit Alfium idibus posuisse fœnori pecuniam, sed vim infert sensui verborum. ex versu 69 patet, Alfium collegisse pecuniam *idibus*, ergo ex versu 70 efficitur, Cal. sequentibus eamdem posuisse.

CARMEN III.

Allii detestatio.

PArentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edat cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc venenum sævit in præcordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?

Ut

Videtur Horatius alimenta acida maxime vitasse. In Ode *nostis in usum* ægerrime adducitur precibus, & conditionibus, ut vinum Falernum aliquantulum acescens bibat. in hac invehitur in quasdam coctas herbas, vel legumina, quibus allium immixtum fuerat, quod ejus stomacho valde obfuit. Id accidit in Mæcenatis mensa. Versus sunt succi, nervorumque plenissimi, modi prope iidem sunt, ac jamborum Tragicorum.

Digitized by Google

Ut Argonautas præter omnes candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum juga
Perunxit hoc Jasonem.
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite:
Nec tantus unquam siderum insedit vapor
Siticulosæ Apuliæ,
Nec tantus humeris efficacis herculis
Inarsit æstuosius.
At, si quid unquam tale concupiveris,
Jocose Mæcenas, precor,
Manum puella suavio opponat tuo,
Extrema & in sponda cubet.

V. 9. Allium vim insitam habet, & calorem. in 6 versibus sequentibus probat ejus vim exemplis, comparationibus autem in 4 postremis.

V. 13. Venenavit certe allio dona, quæ misit Glaucæ vel Creusæ.

V. 15. Apulia ardens canicula æstuante non adeo malignos vapores emisit.

V. 17. (V. ind. *Nessus* .) *efficacis*, i. qui mira patravit.

V. 21. *Puella*, i. Terentia tua uxor.

V. 22. *Sponda* est exterior tori pars, torus autem interior muro proximus erat, vocabaturque pluteus.

CARMEN IV.

In quemdam, qui a Servo Tribunus militum effectus Triumviralis Classis parti erat præficiendus.

LUpis & Agnis quanta sortito obtigit,

Prudenter agendum est cum excellenti quolibet Poeta. Ille enim eodem calamo memoriæ posterorum tradit Achillis gloriam, opprobriumque Thersitis. Usquedum Horatiana Carmina existent, Augusti, Agrippæ, & Mæcenatis laudibus

bus terrarum orbis circumsonabit, sed Canidia suis fortilegiis, Mævius sordibus, Cassius Severus obtrectationibus, & Cassius Nomentanus dissolutis moribus innotescent. His adde Menam, aut Menodorum (si tamen hoc loco res est cum illo) certe Poeta quempiam stultum hominem sale perfricat, qui prospera fortuna insolescebat. Ode. Satirico aceto est refertissima, & felle; versus omnes tam in numeris, quam in verbis acri succo conspersi sunt, & sententiæ nervorum contentione vibratæ. (V. Ind. *Mena*) * Putat Sanado hic non agi de Mena, quia ne verbum quidem de ejus perfidia. Sed si Poeta de hoc vitio locutus esset, tacite objurgasset Octavium, qui eum tam benevole excepit, qui ab eo classem Pompej, & Sardiniam in ditionem accepit. Potuerat Mena ad certum tempus Romæ detineri, & Applam viam mannis percurrere, & sese ostentare. Fortasse etiam Horatius hanc Odem scripsit, cum esset in Classe Octavii in Sicilia, & hortatu Mæcenatis dehortari voluit Octavium a fide Menæ habenda. Hac aut alia fortasse de causa Grammatici huic Carmini hanc inscripionem præfixerunt *Ad Pompejum Menam*. Dacierius Grammaticos tuetur, Sanado vero oppugnat his ferme rationibus, præter superius dicta. Nullus historicus loquitur de tribunatu Menæ. Hac exigua deinde provincia contentus non fuisset Mena, dum supremum imperium in exercitu affectabat, ait interim Acronem errare, qui putat, Menam exercitui præfuisse; nam deseruit Octavium, indigne ferens, nullum sibi proprium esse imperium, sed Sabino se esse subjectum. (Dio. lib. 49.) Deinde Poeta exhibet virum aulicum, qui quotidie frequentet domum Cæsaris, spectaculis interfit, &c. Eo tempore, quo apud Octavium Mena fuit, Romæ diu morari nequivit, interesse ludis, frequenter adire villam suam. His de causis Sanado credit non locutum Horatium de Mena, sed de quodam Liberto Lepidi, qui classi imperavit in Africa. Verum levissima sunt, quæ affert Sanado. Certe Mena classem Pompej profligare non potuisset, nisi aliqua provincia insignitus fuisset; licet Sabino duci subjectus poterat esse Tribunus militum, vel præfectus alicujus navis. deinde cum bellum Siculum diu duravisset, & aliquandiu pugnando abstinuissent utrinque duces, potuerat Mena Romam adire, ludis adesse, &c. deinde Horatius ira aut odio percitus fortasse rem exaggerat, & conjungit ea, quæ variis temporibus Mena egit, cum pax composita fuit inter Pompejum & Octavium, & cum Mena apud Octavium fuit. Scriptum est hoc Carmen inter annum 712 & 718, ut colligitur ex v. 19. *

Te-

Tecum mihi discordia est,
Ibericis peruste funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, sacram metiente te viam
Cum bis trium ulnarum toga,
Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumviralibus,
Præconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit,
Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contemto sedet.

Quid

V. 1. Naturali fatorum necessitate.

V. 3. *Funibus*. Species pro genere. Iberici funes pro funibus robustis. Vapulabant mancipia, & compede vinciebantur, cum terram colere jubebantur.

V. 5. Dio anno 712. lib. 47 ait: *Eos solos, qui arma gerebant, divitiis abundasse*, & anno 715. lib. 48: *in Senatum adscripti sunt permulti non modo e sociis militibusque, & libertinis, sed servi quoque*.

V. 8. Significat, hunc captivum non solum ferre solitum laticlaviam tunicam, sed etiam præcellere velle Tribunis ipsis immensa togæ longitudine; quæ res sane in eum odium omnium conflabat.

V. 11. In viginti-viratu erant Triumviri capitales, qui lites plebejorum judicabant. Illi Magistratus carcerem custodiebant, & puniri jubebant fontes in comitio Columnæ Mœniæ proximo.

V. 12. Præco præibat iis, qui ad supplicium ducebantur, & elata voce eorum crimen declarabat.

V. 14. *Mœnnis*. vox Gallica. *gli ubini*.

V. 15. In primis sedilibus ex 14 cuilibet equiti destinatis. alii erant equites ex ortu tales, alii ex fortuna; *magnus eques, illustris, splendidus* vocabatur eques ex ortu talis. Homo sibi sumebat arroganter præstantia illa nomina, quasi esset magnus eques.

V. 16. Othonem contemnere, ejusque legi oppedere poterat, sed ita dives erat, ut in reditibus, ultra censum le-

ge

Digitized by Google

Quid attinet tot rostra navium gravi
Ærata duci pondere
Contra latrones, atque servilem manum
Hoc tribuno militum? 20

ge Roscia præscriptum, haberet. ita Bentl. Sed Roscellus ait: Mena quoad genus suum non poterat equestri ordini interesse, nisi vi legis Othonis. Indicat igitur Poeta, Menam (si de Mena sermo est) fastu suo velle persuadere cuique, se non vi legis Othonis sedere inter equites, sed potiori de causa.

V. 19. Hoc maxime pertinet ad juniorem Pompejum, ad quem occisis Bruto & Cassio magna mancipiorum vis latronumque confugit, & ejus classem mirum in modum auxit. Ex hoc loco colligitur contra Dacierium hoc Carmen non potuisse scribi aliquot mensibus ante pugnam commissam apud Mylas, anno 718. Octavius utebatur tunc 20000 mancipiorum in classe. 20 *Servorum millia manumisit, & ad remum dedit*; in Oct. c. 16. Suet. Horatius erat tunc apud Mæcenatem. Nonne impudentissime egisset, si appellasset copias Pompej mancipiorum, & latronum turbam eo tempore, quo id exprobrari poterat Octavio?

V. 20. Arbitratur Sanado, hunc libertum creatum esse Tribunum militarem, equitem Romanum, & ducem cujusdam agminis in Triumviratu Octavii, Antonii, & Lepidi.

CARMEN V.

AT (o Deorum quidquid in cœlo regit
Terras, & humanum genus)
Quid

Omni fere ætate hominum credulitas ad artem magicam, sortilegia, incantamenta tanquam ad Scopulos misere impegit. Inventi sunt tam stulti homines, qui herbarum, radicum, aromatum vi mentem humanam ad arbitrium abalienari posse putarunt. Invehitur Horatius in insignem sagam, quæ quemdam Varum in sui amorem pertrahere nitebatur per execrandam potionem, quam illi propinaret. Satirico hoc Carmine Canidiam extra modum proscindit, Varum vero molliter ludum facit. Sententiæ missilibus telis similes sunt, stilus tenuis, idemque concisus, dicendi modi peregregii. Exaratum non fuit ante annum 730, ut videbimus in Carmine *jam jam efficaci*.

Digitized by Google

Quid iſte fert tumultus? & quid omnium
Vultus in unum me truces?
Per liberos te, ſi vocata partubus
Lucina veris adfuit,
Per hoc inane purpuræ decus precor,
Per improbaturum hæc Jovem.
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro bellua?
Ut hæc tremente queſtus ore, conſtitit
Inſignibus raptis puer,
Impubе corpus, quale poſſet impia
Mollire Thracum pectora:
Canidia brevibus implicata viperis
Crines, & incomtum caput
Jubet ſepulchris caprificos erutas,
Jubet cupreſſus funebres,
Et uncta turpis ora ranæ ſanguine,
Plumamque nocturnæ gruis,
Herbaſque, quas Jolcos, atque Iberia

Mit-

V. 1. O rem vere miſerabilem? puer ſe circumveniri videt turba furentium ſagarum, clamitat, ſe nobili genere ortum, bonis fortunæ affluentem, & innocentia morum præditum, eas feminas obteſtatur per illum amorem, quo Matres filios ſuos amant; ad Deorum judicium provocat. Animadvertenda eſt Poetæ ſolertia, qui legentium animos ſuſpenſos detinet hujuſce exordii novitate. ex verſu 12 cognoſcitur, quis ſit talis Tragœdiæ actor, tunc acrior inſurgit indignatio legentium.

V. 5. Si filios peperiſti, ſi vera Mater fuiſti, non per adoptionem. Ille puer decennis circiter credebat veros illos eſſe partus Canidiæ, ſed qui legit, liquido videt id ironice dictum a Poeta, ut in Carmine *jam jam efficaci* videbimus.

V. 7. Prætextæ.

V. 11. Puer Spoliabatur veſtibus, & ornamentis, dum loquebatur, nudumque ſe vidit peractis queſtibus.

V. 17. Ad conficiendum veneficum philtrum apparet caprificum, cupreſſum, rubetæ cruorem, plumam ſtrigis, aconita, oſſa rapta ab ore jejunæ canis.

V. 19. Plumam, & ova nocturnæ ſtrigis uncta Sanguine rubetæ. Strix eſt noctua, veſpertilio.

Digitized by Google

Mittit, venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunæ canis,
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis,
Echinus, aut currens aper;
Abacta nulla Veja conscientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus:
Quo posset infossus puer
Longo die bis terque mutatæ dapis
Inemori spectaculo:
Quum promineret ore, quantum extant aquæ
Suspensa mento corpora:
Exsucca uti medulla, & aridum jecur,
Amoris esset poculum;
Interminato quum semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ.

Non

V. 23. Parari, misceri, & uri jubet magico igne radices cupressinas & siculneas, & ossa eruta e gula canis jejunæ. Ossa a jejuna cane corrosa, & ejus saliva conspersa ad philtra valere plurimum credebantur.

V. 24. *Flammis*, quibus Medea dicitur usa ad domum Creontis & Glaucam ejus filiam concremandam.

V. 25. Sagana, Veja, & Folia erant tres sagæ, quarum ope utebatur Canidia. *Expedita*, i. veste succincta.

V. 27. Horret capillis erectis, ut sunt erecti pili echini, & apri Laurentis.

V. 31. Ingemens in tanto labore perferendo.

V. 32. Infossus erat puer mente tenus, devorabat oculis cibos oblatos, & mutatos pluries in die, ut eius oculis inhærentibus illi dapi semper præsenti, semperque vetitæ, jam languore in nece clausis, hinc posset Philtrum componi ex ejus medullis & hepate inedia arefactis & consumtis.

V. 39. Tò *Semel* refertur ad τὸ *intabuissent*. *interminato*, i. vetito.

Digitized by Google

Non defuiſſe maſculæ libidinis
Ariminenſem Foliam,
Et otioſa credidit Neapolis,
Et omne vicinum Oppidum:
Quæ ſidera excantata voce Theſſala,
Lunamque cœlo deripit.
Hic irreſectum ſæva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit, aut quid tacuit? o rebus meis
Non infideles arbitræ,
Nox, & Diana, quæ ſilentium regis,
Arcana quum fiunt ſacra:
Nunc nunc adeſte: nunc in hoſtiles domos
Iram, atque numen vertite,
Formidoloſæ dum latent ſylvis feræ,
Dulci ſopore languidæ,
Senem quod omnes rideant, adulterum
Latrent ſuburanæ canes,
Nardo perunctum: quale nec perfectius
Meæ elaborarunt manus.

Quid

V. 41. Indomitæ, vehementis. putant aliqui ſignificari mulierem ſubigatricem, unam Tribadum, quæ ἀλίσβω, σκυτίνῳ αἴδοίῳ ὀκτοδακτύλῳ ἀλλήλας τρίβουσιν.

V. 43. Otioſa, vel quod voluptatibus dedita erat, vel quod hujuſmodi incantamentis animum, mentemque intendebat.

V. 47. Rodens pollicis unguem, quem ſuccreſcere patiebatur.

V. 53. In domos adverſariorum meorum.

V. 57. Ulciſcimini indignum ſenem, qui ardet flamma adultera, ſtimulate in eum canes ſuburanas, quæ ejus perfidiam detegant, eumque deridendum præbeant.

V. 59. Canidia repræſentat ſuum infidum ſenem, delibutum unguentis, quæ ipſa ei finxerat manibus ſuis, & miſcuerat, deploratque uſum tam exquiſiti unguenti. quid magis augere poteſt zelotypiam, & rabiem feminæ? credibile eſt, Canidiam dono dediſſe vaſculum nardo plenum Varo, antequam eum haberet de perfidia ſuſpectum.

Digitized by Google

Quid accidit, cur dira barbaræ manus
Venena Medeæ valent,
Quibus ſuperbam fuit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Quum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abſtulit?
Atqui neque herba, nec latens in aſperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Ah ah; ſolutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.
Non uſitatis, Vare, potionibus,
(O multa fleturum caput!)
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marſis redibit vocibus.
Majus parabo, majus infundam tibi
Faſtidienti poculum.
Priuſque cœlum ſidet inferius mari,

Tel-

V. 61. In ſuo magico miniſterio Canidia ſenſit Philtrum, quod Varo propinaverat ad novos amoris ignes extinguendos, irritum fuiſſe: illa ſibi fingit, eum cernere ſuas rivales amplectentem in contemtum magicæ artis, & philtri. Sed pro certo habet, ex Philtro, quod modo ipſa ſtudioſe præparat, primo amoris igne eumdem arſurum erga ſe.

V. 62. Ait Canidia: Cur venena mea licet dira minus valent venenis Medeæ barbaræ? hæc venena certe non ſunt vaſcula nardi dono dati Varo, ſed irrita prima incantamenta.

V. 68. Sibi perſuaſum habet, ſe non deceptam fuiſſe in ſeligendis ad potionem conficiendam radicibus & herbis.

V. 69. Obſcure dictum. dormit in omnium pellicum cubilibus unctis obſivione mei. Pellices Canidiæ unxerant ſuos lectos philtris, ut Varus Canidiam obliviſceretur. Vel potius dictum metaphorice, ut ſignificetur primus amor novo depulſus in Varo.

V. 71. *Solutus* eſt, abiit, vagatur.

V. 76. Sciam te revocare ad me potionibus potentiſſimis, quas omnium Marſorum ſortilegia irritas reddere non poſſunt.

Digitized by Google

Tellure porrecta ſuper:
Quam non amore ſic mei flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub hæc puer, jam non, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias:
Sed dubius, unde rumperet ſilentium,
Miſit Thyeſteas preces.
Venena, magnum fas, nefaſque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira deteſtatio
Nulla expiatur victima.
Quin ubi perire juſſus expiravero,
Nocturnus occurram furor:
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quæ vis Deorum eſt manium:
Et inquietis aſſidens præcordiis,
Pavore ſomnos auferam.
Vos turba vicatim hinc, & hinc ſaxis petens
Contundet obſcœnas anus.
Poſt inſepulta membra different lupi,
Et Eſquilinæ alites.
Neque hoc parentes, heu, mihi ſuperſites
Effugerit ſpectaculum.

V. 83. Ait puer illis Megaris: Veſtra ſortilegia, quibus cœlum, & terram miſceri creditis, non poterunt tamen efficere, ut innocens ſit ſons, & ſons innocens. *Fas & nefas* eſt hic δύναται & ἀδύνατον.

V. 101. Scilicet mei.

CAR-

CARMEN VI.

IN CASSIUM SEVERUM.

Maledico minatur ultionem.

QUid immerentes hospites vexas, canis,
Ignavus adversus lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nam qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
Quæcumque præcedet fera.
Tu, quum timenda voce complesti nemus,
Projectum odoraris cibum.

Ca-

Animadvertenda est hujus Carminis acrimonia. Sub Canis allegoria petitur Cassius Severus, homo humili loco natus, sed celeber Orator, qui suis Orationibus & Satiris nullo habito discrimine personarum, omnium mortalium famam lacerabat. Quapropter in omnium odium veniens in exilium pulsus est in Cretam, & inde in Seriphum. Post minas Horatii credendum, Cassium ab improba hac bonos obtrectandi consuetudine destitisse. Postremis suis annis hoc Poeta scripsit, alii putant scriptum in Mævium, de quo infra.

V. 1. Forte Horatius causam tuendam suscipit aliquorum suorum Amicorum, quos Cassius calumniatus fuerat.

V. 2. Audax Cassius antea conviciis lacessere solebat illustres, & honestos viros, sed tempore, quo Horatius hæc dicebat, maledicis scriptis infames tantum & viles homines insectabatur.

V. 3. Contemnebantur Cassii maledicentis tela, quæ in ipsum tandem retorquebantur.

V. 9. Hoc Verbum *complesti* dignitatem addit versui, cujus pedes & tempora referunt maxime latratus ingentis canis in nemore.

V. 19. Nihil magis probrosum est honesto homini, quam maledicorum hominum silentium numerato emere.

Digitized by Google

Cave, cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua.
Qualis Lycambe spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
An si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

V. 12. Metaphorice.

CARMEN VII.

Ad Romanos bellum civile redintegrantes.

Quo quo scelesti ruitis? ecquid dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis, atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret:

Interjecto illo a Philippica pugna usque ad Actiacam tempore, quo Triumvirorum animi in dies magis diffidebant, Horatius 5 vel 6 Odas de bellis civilibus confecit. Hæc est prima, quæ jam exeunte anno 721 prodiit. stilus ejus nervosus, & animatus est. Proponit Poeta utrique parti gravissima bellorum civilium mala, quæ Patriæ ruinam minabantur. Solertia Poetæ non minus, quam eloquentia enituit. Probe sciebat, tot tantaque Reip. incommoda ex duorum Principum ambitione manare. Præcavet tamen, ne mentem suam prodat. Pendet animi incerto rerum futurarum eventu, & tunc aperte sententiam suam protulit, cum id sine ullo fortunarum suarum detrimento efficere potuit. Ita etiam alias (ut videre est in quibusdam carminibus,) se gessit.

V. 2. Extincto Pompejo. nempe duobus abhinc annis pax arma condiderat.

V. 3. Nulla pugna ante annum 716 inita fuit, quo pacis fœdera cum sexto Pompejo rupta sunt. Sed post annum 716 usque ad 720 ambæ classes conflixerunt, & magna copiarum vis utrinque interiit. Hujusce loci nodum certe non expedient ii, qui hanc Odem anno 716 adscripsunt.

Digitized by Google

Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via:
Sed ut, secundum vota Parthorum, sua
Urbs hæc periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Nunquam, nisi in dispar, feris.
Furor ne cæcos, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date.
Tacent: & albus ora pallor inficit,
Mentesque perculsæ stupent.
Sic est, acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis:
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

V. 7. Antequam Capitolium ascensu superaretur a ponte triumphali in viam Sacram pompa ferebatur, inde ab Amphitheatro in forum Romanum descendebat.

V. 11. Ordo est: *neque hic mos fuit lupis, neque leonibus, qui nunquam feri sunt, nisi in dispar genus.*

V. 13. *Furor, vis acrior,* & *culpa* regunt τὸ *rapit*. videtur Poeta obcæcationem Romanorum tribuere aut nimio furori, quo aguntur, aut infestissimis fatis ingruentibus, aut ultioni Deorum eos infectantium. Verum, ut dixi, solertissime agit in celanda vera dissensionum causa, ne scilicet alterutrum triumvirum maximo malo suo læderet.

V. 17. Post figuram *suspensionem* τῶ παθους plenissimam duas postremas affert causas. Culpam igitur hujusmodi bellorum confert in fatum: *acerba fata*; & in Romulum, qui Remum fratrem occidit, & triste exemplum posteris dedit: *scelus Fraternæ cædis*. Perinde ac si fata compellerent Romanos ad expiandum mutua occisione illud fratricidium. * Mehercule a remotissimo fonte petit veram imminentium malorum causam. animadverte Romulum ab Horatio non nominari. *

CAR-

Digitized by Google

CARMEN VIII.

In anum Libidinoſam.

ROgare longo putidam te ſeculo,
Vires quod enervet meas?
Quum ſit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem ſenectus exaret:
Hietque turpis inter aridas nates
Podex, velut crudæ bovis.
Sed incitat me pectus, & mammæ putres,
Equina quales ubera:
Venterque mollis, & femur tumentibus
Exile ſuris additum;
Eſto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum:

Putant nonnulli hanc Odem in Gratidiam confectam eſſe. Si vere hæc dicerent, iſti eſſent illi jambi, quos delere pollicitus fuerat. Sed illorum ſententia nullo nititur fundamento, Præſertim cum Gratidia non eſſet nobilis femina, cum contra hæc anus, de qua ſermo eſt, ſuos Majores Conſules, & Prætores jactet. Fortaſſe eſt Lyce, de qua Od. 3. lib. 4. Alii putant eſſe Canidiam, de qua ſupra & infra dictum. Argumentum e trivio petitum eleganter pertractatur. Egregius pictor argui poteſt de re perperam ſuſcepta, quam pingere aggreditur, non de picta.

V. 2. Ut tecum rem habeam uſque ad enervandas prorſus vires.

V. 5. Macras, ſiccas.

V. 6. Soluta alvo laborantis. hinc dixit *turpis podex*. Dacierius vertit: *que a le devoyement*.

V. 7. Capit amore. *ἱμειρώς*. *putres*, i. vietæ, pendulæ.

V. 9. *Mollis*, i. qui totus rugoſus eſt, qui pellibus conſtat. *femur*, i. coxas.

V. 10. Cruribus.

V. 11. Dives, nobilis. *funus*. Salſe dictum & acriter. perinde ac ſi cogitandum illi eſſet de funeris apparatu.

V. 12. Videbantur ducere pompam funebrem, quia præmittebantur.

Digitized by Google

Nec ſit marita, quæ rotundioribus
Onuſta baccis ambulet.
Quid? quod libelli ſtoici inter ſericos
Jacere pulvillos amant?
Illiterati num minus nervi rigent?
Minuſve languet faſcinum?
Quod ut ſuperbo provoces ab inguine,
Ore adlaborandum eſt tibi.

V. 14. margaritæ rotundæ pluris æſtimantur, *ambulet*, ſe circum oſtentet incedendo.

V. 15. Fingit ſibi objici ab hac femina: pro nihilo putas ne, me lecto ſtratam molli, ac divite præ manibus habere ſemper libros ſtoicorum? quaſi illa ſcientiæ cauſa in ſui amorem Horatium pertrahere vellet. *. Sed putarem, hanc non eſſe anus illius objectionem, ſed potius, Horatium velle feminam deridendam nobis præbere: quaſi dicat: ridete: illa tenet manu ſtoicos libros inter luxuriæ, & mollitiei delicias. ſubauditur poſtea: *ſed licet docta ſis, num* &c. *

17. Ait, velut occurrens objectioni, feminis eruditionis pretio non eſſe emendum amorem; ſæpius, & melius indoctam amari, quam doctam.

V. 18. Hic verſus pendet a duobus ſequentibus, & in fine ponendum punctum interrogationis. Rogat hanc anum Poeta, utrum ametur minus femina indocta; & addit inſuper; Nonne vides, neminem amore flagrare poſſe, & ad te comprimendam deſcendere, licet nihil intentatum relinquas, & utaris etiam ore fellebri, ut amoris ignes accendas: τὸ *faſcinum* ſignificat incantamentum, & etiam quidquid incantamenta ſolvere poteſt; & quia fere ad id efficiendum adhibebatur neſcio quid figuram virilis membri præſeferens, dicebatur etiam faſſinum mentula. Res illa tali figura prædita collo infantium ſuſpendebatur.

V. 19. *Superbo*, i. quod te contemnit, faſtidit, dedignatur. ita S. II. 6, 77 ait: *dente ſuperbo*.

V. 20. Indicat obſcœnos hujus anus fellantis conatus,

CAR-

Digitized by Google

CARMEN IX.

AD MÆCENATEM.

Actiacæ Victoriæ primordia celebrat.

QUando repoſtum Cæcubum ad feſtas dapes
Victore lætus Cæſare,
Tecum ſub alta (ſic Jovi placitum) domo,
Beate Mæcenas, bibam,
Sonante miſtum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis barbarum?

(V. Ind. *Actium* .) Felicibus pugnæ Actiacæ primordiis auditis a timore ad ſpem deducti ſunt hominum animi, qui una cum fortuna Octavio ſtudebant . jam quiſque eorum ſummæ victoriæ nuncio audiendo inhiabant . Horatius moræ impatiens lætitiam ſuam teſtatur, nec finem pugnæ expectat. * Scripſit hanc Odem Mæcenati, qui circa Actium procul dubio eam legendam præbuit Octavio, ut Poeta optaverat. argumentum Principi placere debuerat, in primis autem ſolertia, qua pertractatum eſt . ſplendent in ea colores varii ſententiarumque lumina . *

V. 3. Domo tua magnifica in eſquilino colle ædificata.

V. 5. Sanado ita locum explicat. Symphoniam indicat, & concentum lyræ, & tibiarum. Lyra dabat ſonum tono Dorio, tibiæ vero tono Phrygio . dum lyra & tibiæ invicem concinunt, edent jucundum concentum . quoniam vero utriuſque modi ſonus conjunctus cacophoniam parit, cum valde differat inter utrumque, credendum, idem Carmen ſonari lyra & tibiis, ſed intelligendum τὸ *miſtum* : finge ſonum lyræ inchoari tono *Alamire minoris*, & inde, ut fit, aſſurgere in tonum *Alamire majoris* : Tunc tibiæ recipiunt tonum *Alamire minoris* . jam vero terminus primi toni eſt principium alterius, ideoque ambo toni in unum conjunguntur veluti punctum muſicum . Sic Carmen, quod vocant Itali *aria* commune eſt lyræ, & tibiis . lege Ptolemæum lib. 2. c. 11. Videbis modum Dorium eundem eſſe ac tonum *Alamire minoris*, & modum Phrygium eundem

ac

Digitized by Google

Ut nuper, actus quum freto Neptunius
Dux fugit ustis navibus,
Minatus urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus (eheu! posteri negabitis)
Emancipatus feminæ,
Fert vallum, & arma miles, & spadonibus
Servire rugosis potest?
Interque signa turpe militaria
Sol aspicit conopeum.

Ad

ac tonum *Alamire majoris*, qui duo modi seu toni certe diversi sunt. lege Appendicem de Veterum armonia ad hodiernam comparata in fine Ed. Ptolemæi anno 1662. * Sed si consules encyclopędiam in articulis de Musica, sonis, modis, &c. colliges, longe diversam esse modorum, seu tonorum rationem in veteri Musica, atque in recenti, nec quicquam hac super re affirmari posse. juxta Ptolemęum videtur intersesse intervallum toni inter Dorium & Phrygium. Phrygium esse v. g. Musicam vocem, vel sonum *mi*, Dorium vero *re*. In Odis, quę constabant strophis, antistrophis, & Epodis, strophe canebatur modo Dorio in *C-sol-ut*, Antistrophe Phrygio in *D-la-re*, Epodus Lydio in *E-si-mi*. Sed cum plerique doceant vocum sonorumque modos consistere in tota vocum, sonorumque serie, quę in aliis acutior, in aliis gravior est, fortasse Horatius significat, se dicturum Carmen lyra modo Dorio, i. graviori voce; & sono lyrę; quod Carmen eodem tempore Męcenas dicat acutiori voce, & sono tibiarum, ita tamen, ut concentus aliquis enascatur. Vidimus in Carmine prime lib. 4. v. 22. verba fieri de Carmine misto lyra, tibia, & fistula. si hæc tria Musica instrumenta tres diversos tonos edidissent, similes nostris, profecto consonare non potuissent apte. Credendum igitur tibiam edidisse sonos acutiores, lyram graviores, ita tamen ut gratum modulamen efficerent. * Opportune loquitur de bello Sicilienſi (v. Ind. *Octavius*, & *Sextus Pompejus*).

V. 13. Milites Romani præter arma ferebant quosdam palos ad palationem construendam.

V. 16. Tabernaculum, quo Matronæ præsertim Alexandriæ circumdabant thalamum, atque utebantur ad avertendas Muscas, & culices, quibus abundabat Ægyptus causa propinqui maris, & stagnantis Nili. Itali vocant *Moscheto*.

Digitized by Google

Ad hoc frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Cæsarem:
Hostiliumque navium portu latent
Puppes siniſtrorsum citæ:
Io triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactas boves:
Io triumphe, nec Jugurtino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africanum, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terra marique victus hostis, Punico
Lugubre mutavit sagum:

V. 17. Hi quatuor versus sequentes animadvertendi sunt præcipue ob rerum historiam. ordo est. *Galli frementes ad hoc spectaculum*. (V. Ind. *Aminthas*). * Rosellus reprehendit τὸ *ad hoc*, ejusque auctorem Bentlejum. Sed ipse cum legat sic: *Sol aspicit Conopeum ad hunc frementes*, & sic vertat: Sol videt Conopeum, quod est vexilli instar militi Romano, vim profecto infert textui.

V. 19. *Puppes hostilium navium citæ siniſtrorsum latent in portu. puppes navium hostilium*, pro naves hostiles; & *citæ* pro actæ, motæ a *cieo*. (V. Ind. *Actium*).

V. 21. *Senatus sancivit, ut feriæ essent eo die, quo victoriæ nuncius adlatus est*. Dio lib. 50. * Horatius non modo hoc edictum præsensit, verum etiam Octavio decernendum esse triumphum ait; vel ex se, vel Mæcenatis hortatu hæc dixit ad monendos Patres de hac re efficienda *. *Aureos currus*. erat triumphalis currus rotundus, similis turri, fere eburneus, & superne auratus.

V. 22. Injuges, quæ nondum tulerant jugum.

V. 23. Ordo est. *non reportasti ex bello Jugurtino Ducem Octavio parem*.

V. 25. Scipionem Africanum Æmilianum, qui funditus evertit Carthaginem. Quemadmodum magnifici tumuli plurimum valent ad servandam illustrium virorum memoriam; ita Carthago locum tenet tumuli ad memoriam Scipionis æternandam, & donec sermo erit de ruinis hujus superbæ urbis, sermo quoque erit de Scipionis victoriis. (V. Ind. *Scipio*).

V. 27. (V. Ind. *Octavius*.) *punico*, i. Phœnicio. exuit vestes purpureas, & induit lugubres. Sagum erat Chlamis militaris.

Digitized by Google

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
Ventis iturum non ſuis,
Excitatus aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc puer ſcyphos,
Et Chia vina, aut Lesbia,
Vel quod fluentem nauſeam coerceat,
Metire nobis Cæcubum.
Curam, metumque Cæſaris rerum juvat
Dulci Lyæo ſolvere.

V. 30. *Non ſuis*, i. adverſis.
V. 34. Referuntur ad τὸ *metire*, non ad τὸ *affer*.

CARMEN X.

AD MÆVIUM.

Ipſi naufragium imprecatur.

MAla ſoluta navis exit alite,
Ferens olentem Mævium.

Ut

Unus eorum eſt Mævius, quos famæ ludibrio protulit Natura. Duo maximi ejus ætatis Poetæ ad poſteros vel remotiſſimos hujus Mævii nomen tranſmiſerunt. Verum hujuſmodi immortalitas tanti eſt, quanti æterna oblivio. Hoc nomen in proverbium abiit ad ſignificandum miſerum verſificatorem, & ſordidum hominem. Latet, quomodo Mævius Virgilium & Horatium pupugerit. An cum ambobus illis Latini Parnaſſi Coriphœis auſus eſt ſe conferre? an verſus in eos ſcribere? Utcumque res ſit, ejus culpa inulta atque impunita non abiit. Virgilius unum tantum verbum de Mævio fecit, quod tamen acerrimæ Satiræ inſtar eſt. ait enim Ecloga 3. v. 90. *Qui Barium non odit, amet tua carmina, Mævi*. Barius erat peſſimus Poeta eorum temporum. dicitur Barius in Cappadocia e vita emigraſſe. Horatius Mævium aperta vi infectatur, eum diris omnibus devovet.

V. 2. Solæ ſordes in cauſa eſſe non poterant, cur Mævius naufragaret. Dii ingentia crimina maximo ſupplicio mul-

Digitized by Google

Ut horridis utrumque verberes latus,
Auſter, memento flatibus.
Niger rudentes Eurus, inverſo mari,
Fractoſque remos differat.
Inſurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.
Nec ſidus atra nocte amicum appareat,
Qua triſtis Orion cadit.
Quietiore nec feratur æquore,
Quam Graja victorum manus:
Quum Pallas uſto vertit iram ab Ilio
In impiam Ajacis ratem.
O quantus inſtat navitis ſudor tuis,
Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis ejulatio,
Preces & averſum ad Jovem:
Jonius udo quum remugiens ſinus
Noto carinam ruperit.
Opima quod ſi præda curvo littore
Porrecta mergos juveris;

Li-

multant. Mævii pus eſt fortaſſe convicium ab immodicis impudicitiis derivatum; vel indicat inanem & ridiculam ingenii oſtentationem, viliſſimam invidiam, furorem ad diſcindendam illuſtrium Auctorum famam converſum. Quæ quidem Horatius palam minime facit, utpote ſatis nota. Forſitan etiam Poetica bilis intumeſcens rem plus æquo exaggeravit.

V. 6. Diſtrahat, diverſos ferat.

V. 15. Non ſatis habet Mævium onerare imprecationibus, eas non fore irritas maxime confidit. Præterea ſibi fingit eum cernere cum procellis colluctantem, & hujuſmodi ſpectaculo delectatur. Inſuper ne cadaver quidem hujus infelicis quieſcere ſinit; optat enim, ut rapacibus avibus pabulum objiciatur. Indigna ſane res eſſet, in hominem invehi, cui ſordes tantum objici poſſint.

V. 21. Patet hinc, Mævium fuiſſe corpore pingui, ideoque odorem gravem, & non ferendum emittere ſolitum. Fortaſſe Horatius hinc innuit victimas, quæ ſaginabantur, antequam Diis mactarentur; fortaſſe etiam ſpectat ſpolia, quæ dux ex hoſte refert, quæque dicebantur opima.

Digitized by Google

Libidinoſus immolabitur caper,
Et agna tempeſtatibus.

V. 23. Immolare vult Caprum, quia Mævius teterrimum odorem exhalabat; addendo inſuper τὸ *libidinoſus* denotat fœtorem Mævii a diſſolutis moribus effluere.

CARMEN XI.

AD PETTIUM.

Se amore captum, non eſſe ad verſus faciendos idoneum.

PEtti, nihil me, ſicut antea, juvat
Scribere verſiculos amore perculſum gravi,
Amore, qui me, præter omnes expetit
Mollibus in pueris, aut in puellis urere.
Hic tertius december, ex quo deſtiti
Inachia furere, Sylvis honorem decutit.
Heu

Queritur, ſe amore carere non poſſe, ſe modo puerum, modo puellam adamare, fruſtra ſibi conſilia dantibus Amicis, ſe amori veteri mederi non poſſe, niſi novi ſubeat vices. Hinc elegantер exponit, quæ ſtulte egerit Inachiæ amore captum. Hoc ſane eſt germanum hujus Odæ argumentum, quod cum Scaliger non animadvertiſſet, eam tamquam inſuavem, & impolitam contempſit. aliquanto poſt duodecimam hæc concinnata eſt. Poeta erat adhuc juvenis. Caſaubonus & Torrentius ſecundos quoſque verſus in duos diſtraxerunt. Bentlejus, quem libenter ſequimur, reſtituit metrum, quod ineſt in vetuſtiſſimis & optimis editionibus.

V. 2. Amor vehemens voluptatem ſcribendorum verſuum illi auferebat.

V. 3. Ante omnes.

V. 5. Ait tres annos effluxiſſe, unde deſtitit ab amanda Inachia, & ſtatim Lyciſci igne uri. Notandus ſingularis dicendi modus. *amor expetit me urere in pueris.*

V. 6. Hæc Inachia fuit inter primos Horatii ignes. de illa loquitur etiam in ſequenti Ode.

Digitized by Google

Heu me, per urbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui! conviviorum ut pœnitet!
In queis amantem & languor, & silentium
Arguit, & latere petitus imo spiritus.
Contra ne luxum nihil valere candidum
Pauperis ingenium? querebar adplorans tibi,
Simul calentis inverecundus Deus
Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quod si meis inæstuet præcordiis,
Libera bilis, ut hæc ingrata ventis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia;
Desinet imparibus certare submotus pudor.

Ubi

V. 7. Non pudebat Horatium, sui amoris famam per totam urbem pertinere, sed notum esse omnibus, quidquid ipse egerit, & quam crudeliter secum actum fuerit ab hac meretrice.

V. 9. Hoc generatim dicitur. difficilius amorem abdes mensæ assidens, quam alibi. *arguit* præsens. languor & silentium signa amoris sunt.

V. 10. Ad vivum exprimit naturam suspicionum, quas fovet animo, alitque quilibet Amans. Efficiuntur enim illæ ex cupiditate, quæ cum omnes animi facultates occupet, idcirco ex intimo cordis imi sensu eliciuntur.

V. 12. Simili genere nati.

V. 13. *Calentis* vino. *inverecundus*, qui facit *inverecundos*.

V. 14. Non invitus arcana detegebat sua Horatius. Mos erat is apud convivas, ut se invicem interrogarent de suæ quisque Amicæ nomine, comitate, vel feritate, modo clara voce, modo ad aures submissa. (Od. 23. lib. 1.)

V. 15. Subaudiuntur prius hæc verba: *ego tibi dicebam*.

V. 16. Bilis, quæ sese exerit nulla habita adjunctorum ratione. *fomenta* sunt querelæ, luctus, suspiria, silentium, hujusmodi amans animi morbo alimenta præbet, & novas vires.

V. 18. *Pudor submotus desinet certare imparibus*, i. pudor ita submovebitur, ut desinat. Vexatus amans non sibi pudendum putat cedere dominam rivalibus indignis, sed certare cum illis. vel sensus est: me pudebit meæ imbecillitatis, nec amplius amabo feminam, quæ me mutuo, parique amore prosequi neget. Videtur primus sensus aptior.

Digitized by Google

Ubi hæc ſeverus te palam laudaveram,
Juſſus abire domum, ferebar incerto pede
Ad non amicos (heu) mihi poſtes, & (heu)
Limina dura, quibus lumbos & infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitia, Amor Lyciſci me tenet,
Unde expedire non amicorum queant
Libera conſilia, non contumeliæ graves,
Sed alius ardor aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

V. 19. Iratus. *laudaveram*, i. pronunciaveram.

V. 20. Horatius exibat domo Pettii, ut domum ſuam recederet, ſed pedes ei non parebant; ubi gradum unum moverat domum verſus, duos vel tres referebat Inachiæ domum verſus.

V. 23. Pueri effeminatiſſimi. Ille juvenis nimia cura ſervandæ formæ tenebatur, & perpoliendæ cutis, & voluptatum omnium cupiditate. debuerat Horatius tot ſumtibus faciendis pecuniam ſuppeditare. hinc dolet. Lyciſci nomen fortaſſe fictum deducitur a Lyco, qui ab Alcæo amatus fuit.

CARMEN XII.

In anum fœdam, quæ eum ſolicitabat.

QUid tibi vis mulier nigris digniſſima barris? Mu-

In hac Ode depravatos Poetæ mores elegans & vividum ingenium æqua temperatione compenſat. Superior Ode tribus fere annis poſt dimiſſam Inachiam ſcripta eſt. hæc igitur illi præceſſit, nam Inachiam hic deperit. non invehitur in Gratidiam, ſed in quamdam aliam feminam impudicam, quæ Poetam ſolicitabat.

V. 1. Quidam Romæ erant, qui vocabantur *Barri*. Verum hoc loco ſignificantur elephantes. Barritus eſt clamor Elephantum. Mulier, cui ſcribebat Horatius erat fœtida, graveolens, pinguis corporis mole, & horrida; ideo non ab hominibus, ſed ab Elephantibus expetenda & conquirenda erat,

Digitized by Google

Munera cur mihi, quidve tabellas
Mittis, nec firmo juveni, neque naris obesæ?
Namque sagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis:
Quam canis acer, ubi lateat sus.
Quis sudor vietis, & quam malus undique membris
Crescit odor, quum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare; neque illi
Jam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili; jamque subando
Tenta, cubilia, tectaque rumpit.

Vel

erat, qui sunt forma truces, odore graves, mole terribiles, ut eos describit Orosius cap. 1. lib. 4. Fortasse hoc tritum erat proverbium, cum sermo erat de femina fœda.

V. 2. Anus muneribus sibi conciliabant amasios. *tabellæ* sunt amatoriæ Epistolæ, quæ in tabellis exarabantur, in quibus alteram rescribebat mittendam Epistolam amasius, qui eas acceperat. Harum tabularum folia erant lignea, vel duo, vel tria, vel quinque, vel plura. appellabantur vel *Dyptycha* vel *triptycha*, vel *penteptycha*, vel *polyptycha*. hinc *putelica* seu Epistolæ amatoriæ.

V. 3. In amatoriis certaminibus. *obesæ*, i. nasi clausi; qui nullum percipit odorem.

V. 5. Polypus est glans naso adhærens, quæ si tangatur fœtorem horribilem parit. (v. S. I. 3, 40.)

V. 7. *Vietis*, i. languidis, enervatis.

V. 8. Expedito, depromto.

V. 9. Hic loquitur in tertia persona.

V. 10. Fucus qui constat alba terra, quæ solvebatur aceto. humiditas adversatur huic fuco.

V. 10. „ Duæ sunt crocodilorum species, alii sunt aqua-„ tici, alii terrestres. intestina terrestrium immundo nido-„ re farcta crocodileam vocant, quæ illita ex oleo ciprino „ molestias in facie enascentes tollit, ex aqua vero mor-„ bos omnes, quorum natura serpit in facie nitoremque „ reddit: lentigines tollit, ac varos, & omnes maculas. Plin. lib. 28. c. 8. *Subare* & *crissare* est mulierum, *cevere* virorum in re Venerea.

V. 12. *Tenta*, i. penem. alii conjungunt *cubilia tenta* explicantque lectos tensos vi funium & fasciolarum. quod verius dicantur agitatione rumpi, quam mentula, quæ fasti-

Vel mea quum ſævis agitat facundia verbis,
Inachia langues minus, ac me.
Inachiam ter nocte potes, mihi ſemper ad unum
Mollis opus. Pereat male, quæ te
Lesbia quærenti taurum, moſtravit inertem;
Quum mihi Cous adeſſet Amyntas:
Cujus in indomito conſtantior inguine nervus,
Quam nova collibus arbor inhæret:
Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Qui properabantur? tibi nempe,
Ne foret æquales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier ſua, quam te.
O ego non felix, quam tu fugis, ut paver acres
Agna lupos, capreæque leones.

ſtidio relangueſcere putatur. *tecta*, i. coopertoria lecti, ſtragula, ut ait vetus Interpres, vel tabulatum, ut Dacierius.

V. 13. Si retinetur *quum* pro τῷ *quam*, opus eſt communiter accipere τὸ *quis ſudor vietis*. *Sævis*, i. rabioſis, furioſis. *agitat*, i. objurgat. cum inducat anum laſcivam loquentem utitur obſcœnis verbis.

V. 14. *Langues* pene. ſenſus eſt: indicas te uri magis amore Inachiæ, quam mei.

V. 15. *Potes*, ſcilicet permolere.

V. 16. *Mollis*, i. languidus.

V. 17. Lesbia lena, conciliatricula. *taurum*, i. hominem robuſtum.

V. 18. Eſſet præſto, in promtu. paratus ad parendum mihi, ad indulgendum meo genio.

V. 20. Æquiſſima comparatio. penitius enim radices agit arbor nova, uſque dum vetus facta fuerit.

V. 24. *Quam te* diligit mulier tua. hæc femina zelotypia uritur, & exprobrat Horatio perfidiam, & ingratum animum.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XIII.

AD AMICUM.

Vitæ moleſtias vino, cantu, & amicorum alloquiis eſſe mitigandas.

HOrrida tempeſtas cœlum contraxit, & imbres,
Niveſque deducunt Jovem,
Nunc mare, nunc Syluæ
Treicio Aquilone ſonant. rapiamus, Amice,
Occaſionem de die:
Dumque virent genua,
Et decet, obducta ſolvatur fronte ſenectus.
Tu vina Torquato move
Conſule preſſa meo.
Cætera mitte loqui: Deus hæc fortaſſe benigna
Reducet in ſedem vice.
Nunc & Achæmenio

Per-

Solatur Poeta Amicum, cui fortaſſe triſtis nuncius de minus proſpera fortunæ vice adlatus; hortaturque, ut curas voluptatibus temperet. Philoſophiæ Epicureæ præceptis utitur; utque eâ magis confirmet, auctorem adhibet Chironem, quem ea tradentem inducit tanta gravitate, quanta ex tripode Apollo pronunciabat Oracula. lepide & ingenioſe id egit, quemadmodum etiam in Ode *Albus ut obſcuro*: ut vidimus. hujus Carminis dies nos latet.

V. 1. Cum nubes coeunt videtur cœlum coarctari, contra vero latius patet, quum illæ diſſipantur.

V. 4. Occaſio voluptatis cito evolat, opus eſt eam avide arripere, ſecus elabitur.

V. 7. Frons obducta eſt ex triſtitia. *ſolvatur*, i. amandetur.

V. 10. *Cætera*, i. quidquid turbare poſſit noſtram voluptatem.

V. 12. Ab Achæmene Perſarum rege.

Digitized by Google

Perfundi nardo juvat, & fide Cyllenea
Levare duris pectora
Solicitudinibus:
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
Invicte mortalis, Dea
Nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina,
Lubricus & Simois.
Unde tibi reditum curto subtemine Parcæ
Rupere, nec mater domum
Cærula te revehet:
Illic omne malum vino, cantuque levato,
Deformis agrimoniæ, ac
Dulcibus alloquiis.

V. 16. *Grandi*. hæc vox quandoque dignitatem denotat animi.

V. 17. Invicte puer, qui mortalis natus ex matre licet immortali.

V. 22. Parcæ obstiterunt redeunti Achilli, quia curtum est subtemen ejus, quia subtemen vitæ ejus breve est. in tela sunt stamina, i. *l'ordimento*, & *subtemina*, i. *la trama*. stamina sunt fila recta in opere textorio, & stabilia per pectinem transmissa, quibus alia, quæ subtemina dicuntur, interjiciuntur. hoc loco subtemen est filum quodlibet.

CARMEN XIV.

Phrynes amorem causam esse, quamobrem promissos jambos non absolvat.

MOllis inertia cur tantam diffuderit imis

Obli-

Mæcenati Poeta Jambos promiserat, & jam eos inchoaverat, sed cum fere semper amotibus suis distineretur, nunquam opus ad umbilicum perducebat. exprobranti illi sæpius ignaviam, tandem scripsit Poeta, sibi non defidiam, sed Deum omnium potentissimum obstare, quominus Jambos

Digitized by Google

Oblivionem sensibus,
Pocula Lethæos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,
Candide Mæcenas, occidis sæpe rogando.
Deus Deus nam me vetat,
Incœptos, olim promissum Carmen, iambos,
Ad umbilicum adducere.

bos absolveret; eum amoris experientia doctum scire, nihil aliud cogitari posse, cum amor ad certamen vocat. Tacitæ deinde occurrens objectioni, ait, amorem neque augeri, neque imminui pro generis & virtutis ratione; libertam æque ac Principem feminam amari solere. * Dacierius putat illud conditum fuisse, antequam Mæcenas Terentiam in matrimonium duceret. Sed quo anno? an antequam Augustus Liviam, anno circiter 716? nondum Poeta a Mæcenate cognoscebatur. In hoc Carmine vero ostendit, se quam familiarissime agere cum Mæcenate. Cum Poeta nusquam canat Augusti, & Liviæ nuptias, quia nondum scribere versus cœperat, sic pariter credendum, Mæcenatem habuisse uxorem Liciniam ante annum 716, vel 717, quo amicus factus est Mæcenatis Horatius; aliter enim de hujusmodi nuptiis verba fecisset in suis Carminibus. Justus Lipsius in com. ad lib. 1. Ann. Tac. ait, totam hanc Odem pertinere ad quendam Bathyllum Alexandrinum Pantomimum, in cujus amorem teste Tacito effundebatur Mæcenas. Sed ut ego arbitror indicat Poeta Bathyllum & Terentiam.

V. 1. His verbis fortasse Mæcenas objurgabat Horatium indicans Amorem. perinde ac si penes Poetam foret, se se ab hoc veluti sopore excitare. Quod quidem æquo animo pati Poeta nequit.

V. 4. Avide hauserim.

V. 5. Tu qui es tam justus, & æquus, quomodo hoc a me petere potes?

V. 7. Videtur hoc Poema, quod longum esse debuerat, non esse jambos, quos contra Canidiam scripserat.

V. 8. Umbilici erant quædam ornamenta aurea, vel eburnea, quæ præfigebantur extremis baculis, quibus pelles exaratæ volvebantur; & quia id fiebat scripto prorsus libro: hinc dictum est *ad umbilicum adducere*, pro perficere. Non vocantur hæc ornamenta umbilici, quod similia essent umbilico, ut aliqui rentur, sed umbilicus significat, quid-

Non aliter Samio dicunt arſiſſe Bathyllo
Anacreonta Teium:
Qui perſæpe cava teſtudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipſe miſer. quod ſi non pulchrior ignis
Accendit obſeſſam Ilion,
Gaudè ſorte tua: me libertina, neque uno
Contenta Phryne macerat.

quidquid in medio protuberat. Cum hoc tandem obſoleviſſet, nomen umbilici inditum eſt iis ornatibus aureis, aut eburneis, qui figebantur in mediis libri integumentis, ut hodiè in veterum librorum tergo ligneo, ac pellito multa clavorum trabalium capita ænea extant.

V. 9. * Callide hac comparatione objicit Mæcenati amorem Bathylli; ut ſit ſenſus: ſicut Anacreon adamabat Bathyllum ſuum, ſic tu tuum, *Ureris ipſe miſer*. *

V. 12. Neglecto metro. Nam Anacreon ſpectabat tantummodo ſyllabarum numerum, nil cogitans de ordinandis pedibus. adhibebat enim Jambum aut Trochæum pro Spondæo, aut Spondæum pro Jambo. Copulabat etiam ſæpe verſus diverſo metro confectos. Nonnulli hoc vitio decepti aliquot ejus Odas aliis Poetis adſcripſerunt, indignum rati, pedum normam negligi ab optimo Poeta.

V. 13. *Ureris*, i. cum tu ſentias amoris ignes, indulgere deberes iis, qui pari amoris igne flagrant. *Quod ſi*. Mæcenas reſpondere poterat: verum eſt, amo, ſed uxorem nobilem, & formoſam, tu vero libertam: cui Poeta: amor libertæ non minus vexat amantem virum, quam Reginæ. particula *ſi* non eſt dubitantis, ſed affirmantis. * Hactenus Dacierius. hic locus nodo Gordiano implicitus eſt, de induſtria Horatius ſubobſcure loquitur, veritus, ne Patronum lædat; ſic nodum ſolvere poſſe videor. Quod ſi non Batyllus, ſed amor Terentiæ, qua Helena pulchrior non fuit, te urit, *gaude ſorte tua*, i. tu felix es, qui tam nobilem feminam, pulchramque amas, eamque tibi devinctam agnoſcis; cum contra ego conſumor igne libertinæ Phrynes, quæ non uno contenta eſt. Sed amor par eſt in utroque. Vide curioſam felicitatem Poetæ in ſcribendo. * . fac animadvertas præſertim hunc dicendi modum. Si ignis qui accendit Trojam, tuo non erat pulchrior; quaſi diceret, ſi Helena, quæ fuit cauſa Trojani incendii, non erat tam pulchra, quam eſt tua Licinia, qua totus ureris.

V. 16. In hac tantum Ode eſt ſermo de Phryne.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XV.

AD NEÆRAM.

Non servatam ab ea fidem conqueritur.

NOx erat, & cœlo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera,
Quum tu magnorum numen læsura Deorum
In verba jurabas mea,
Arctius atque hedera procera adstringitur ilex,
Lentis adhærens brachiis:
Dum pecori lupus, & nautis infestus Orion

Hæc Ode simplicissima est, & tota quanta est, τὸ πάθος. Videtur animus ipse sine oris internuncio loqui. Scripta fuit multo ante 16tam libri tertii. Neæra juraverat, se amaturam semper Horatium, sed fidem deseruit. Horatius affirmat se ulturum injuriam, & quæsiturum aliam in amore parem; Neæræ formam non talem esse, ut vincat offensionem, licet ipsa doleat de illata injuria. Deinde convertit se ad rivalem; aitque, tu quamvis pulcherrimus, ditissimusque sis, & μετεμψύχωσιν noris, tamen lugebis brevi te repente desertum a Neæra, quæ alio transferet amorem suum, & ego tunc ridebo mala tua.

V. 1. Est amantium omnia rerum adjuncta memorare, quæ voluptatem aliqua ex parte attigerunt. Hæc quoque persequitur Poeta ad improbandam magis magisque Neæræ perfidiam; hinc memorat, noctem & lunam sacramentorum testes fuisse.

V. 4. Conceptis verbis jurabas. Eadem, quæ quis juraverat, alter postea repetebat, ideoque uterque hoc sacramento se obligabat, ut si alteruter fidem unquam desereret, se diris omnibus in jurejurando pronunciatis devotum sciret. qui prior jurabat, dicebatur *præire verbis*. luculentum jurisjurandi exemplum videbis in act. 5. Rud. in Plauto.

V. 5. Ut magis Neęrę memoriam exciter, ait, eam jurasse inter amplexus. hac imagine suavissima rem magis ad vivum exprimit. Tanquam in tabula videbis hanc puellam Horatii collo suspensam sacramenta repetere. *atque*, i. quam.

V. 6. *Brachiis*, i. suis. ablativus. *lentis*, i. tenacibus.

Digitized by Google

Turbaret hibernum mare,
Intonsoſque agitaret Apollinis aura capillos;
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute, Neæra!
Nam ſi quid in Flacco viri eſt,
Non feret aſſiduas potiori te dare noctes,
Et quæret iratus parem.
Nec ſemel offenſæ cedet conſtantia formæ,
Si certus intrarit dolor.
At tu, quicumque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo:
Sis pecore & multa dives tellure, licebit,
Tibique Pactolus fluat;
Nec te Pythagoræ fallant arcana renati;

For-

V. 9. Elegantiſſime, & poetice dictum. quaſi dicat, uſque dum Apollo erit Deus.

V. 11. Licet amaſium amare ceſſet mulier, tamen maxime dolet, cum idem ad aliam ſe transfert. Fortaſſe mutuus hic amor poſthac conciliatus eſt. videtur enim hujus amoris vinculum tenaciſſimum fuiſſe, quum ille Odem 14. lib. 3. exaravit.

V. 12. Si vires ſunt in Flacco.

V. 13. Feliciori.

V. 14. *Parem*, i. aliam, reſponſuram amori.

V. 15. *Offenſæ* active. *formæ*, quę me offendit.

V. 16. Non ſubauditur *me*. alioquin particula *ſi* deſtrueret *tò quæret iratus parem*. non ea eſt mens Horatii, ut levet minas, quas Neęrę intentat, imo vult eas aggravare. ait igitur Neęrę formam non ſatis virium habituram ad vincendam offenſionem, qua ipſe afficitur ex fide relicta; etiamſi illa vere doleat, ſe Poetę injuriam feciſſe. ſubauditur igitur *te*.

V. 17. Poeta noverat hunc rivalem, quem ponit nobis ob oculos. Eſt hic modus dicendi, quo utebantur veteres Latini, cum aliquem nominare nolebant, aut diſſimulabant, ſe eum noſcere.

V. 18. ἐναγγικῶς. faſtum denotat.

V. 19. *Licebit* pro *licet*.

V. 21. Licet non ignores μετεμψύχωσιν Pythagorę, qui pluries natus eſt.

Digitized by Google

Formaque vincas Nirea:
Heu translatos alio mærebis amores:
Aſt ego viciſſim riſero.

V. 22. Tria conjungit, quę ad amorem conciliandum plurimum valent: nempe vividam mentis vim, formam, & divitias. Nireus erat omnium Græcorum pulcherrimus, poſt Achillem. Vir formoſior Nireo negotium faceſſebat Horatio, qui certe pulcher non erat.

V. 23. Mœrore conficieris, cum videbis eam repente alterius amore flagrantem, violata fide, & ego tunc ridebo ultor mala tua.

CARMEN XVI.

AD POPULUM ROMANUM.

Phocæorum exemplo Romam deſerendam eſſe, quam Deorum ira bellis civilibus lacerandam objicit.

ALtera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis & ipſa Roma viribus ruit,

(V. Ind. *Actium*) Horatius, quem Mæcenas in Actium iturus Romæ reliquerat, cum terribili rerum facie commotus infinitas propemodum animo præſentiret cædes, & incendia, hanc Odem edidit, ut Romanos ad deſerendam urbem, & inſulas fortunatas petendas, ubi Diis faventibus beate vivere liceret, hortaretur. De avaritia & ambitione utriuſque Principis ne verbum quidem. A remotiori fonte petit horum malorum principium, nempe ab ira Deorum, qui Remi mortem ulciſci volunt, ut jam dixit in Ode *Quo quo ſceleſti*. Addit etiam Phocæorum exemplum, qui ad evitanda belli incommoda ultro regionem ſuam deſtituerunt. Videtur jam Poeta non conſilia dare, ſed velut Deorum interpres mandata denunciare. Poetico ſpiritu afflatus animi ſui ſenſa verborum vi roborat, figurarum audacia extollit, numerorum armonia permulcet, deſcriptionum varietate, & ſpecie mirifice exornat. Torrentius judicat, hanc Odem ſcriptam fuiſſe belli Siculi tempore; ſed conſilium, quod Poeta Romanis dat, inutile fuiſſet eo tempore, quo Tyrrhenum & Siculum mare claſſe Pompej clauſum erat.

Digitized by Google

Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Hetrusca Porsenæ manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Novisve rebus infidelis Allobrox,
Nec sera cærulea domuit Germania pube,
Parentibusve abominatus Annibal:
Impia perdemus devoti sanguinis ætas:
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus (heu) cineres insistet victor, & urbem
Eques sonante verberabit ungula:
Quæque carent ventis, & solibus, ossa Quirini
(Nefas videre) dissipabit insolens.
Forte quod expediat, communiter, aut melior pars
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia, Phocæorum
Velut profugit execrata civitas;
Agros atque Lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit & rapacibus lupis:
Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus;
Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
Ratem occupare quid moremur alite?
Sed juremus in hæc: simul imis saxa renarint
Vadis levata, nec redire sit nefas:
Nec conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Marina laverit cacumina:
In mare ceu celsus procurrerit Apenninus;

No-

V. 6. Allobrox infidelis in rebus novis aut novandis.
V. 7. Passive. *parentibus* nostris.
V. 11. Ægyptii, Daci, aliique populi, qui erant in exercitu Antonii.
V. 15. Quod bene vertat.
V. 18. Quæ sacramentis validissimis fidem suam obstrinxit.
V. 24. Altissimi montes ultro se se excutient, & hinc projicient in mare.

Digitized by Google

Novave monstra junxerit libidine
Mirus amor; juvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur & Columba Miluo:
Credula nec ravos timeant armenta Leones:
Ametve salsa lævis hircus æquora.
Hæc, & quæ poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis execrata civitas:
Aut pars indocili melior grege, mollis & exspes
Intaminata perprimant cubilia.
Vos, quibus est Virtus, muliebrem tollite luctum,
Hetrusca præter & volate littora:
Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
Petamus arva, divites & insulas:
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea:
Germinat & nunquam fallentis termes olivæ,
Suamque pulla ficus ornat arborem.
Mella cava manant ex ilice; montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic injussæ veniunt ad mulctra capellæ:
Refertque tenta grex amicus ubera:
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,

V. 33. Flavo-rubeus est color Leonis.

V. 35. *Hæc*, i. sacramenta

V. 36. *Exècrata*, i. quæ pronunciavit adjectis quibusque imprecationibus.

V. 37. *Indocili grege*, i. plebe vili, inconsulta.

V. 39. *Vos* sapientes, animosi.

V. 42. (V. Ind. *Insulæ fortunatæ*.) Dicterius putat, indicari duas illas parvas insulas circa Andalusiam. Sed quomodo tanta civium Romanorum multitudo illic contineri potuisset? Præterea in tuto ne esse potuissent, & a bellorum civilium furore remoti?

V. 45. Termes est palmæ vel olivæ ramus adhuc trunco adhærens; appellatur spadix, si trunco evellatur una cum suis opibus.

V. 49. Mulctrum est vas, cui lac infunditur.

V. 51. Cum de bonis egerit, quæ tellus illa ultro fert, persequitur mala, quorum est eadem immunis. hic locus Veneres omnes & Charites sapit.

Digitized by Google

Neque intumescit alta viperis humus:
Pluraque felices mirabimur, ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque rege temperante Cœlitum.
Non huc Argoo contingit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem:
Non huc Sidonii torserunt cornua nautæ,
Laboriosa nec cohors Ulissei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem æstuosa torret impotentia,
Jupiter illa piæ secrevit littora genti,
Ut inquinavit ære tempus aureum,
Ærea dehinc ferro duravit secula, quorum
Piis secunda vate me detur fuga.

V. 53. Τὸ *felices* refertur ad insulas illas, quæ fortunatæ vocantur.

V. 54. Vehementes imbres telluris stercus sensim abripiunt, contra dulces pluviæ paulatim se terræ insinuantes fertilitatem afferunt.

V. 59. Phœnices lucri causa, insignes ob commercia, & perfidiam. *cornua* sunt antennarum extremæ partes. per Synecdochen pro *naves*.

V. 62. In hac voce *æstuosa* mirabilis inest ἀνάργυια.

V. 64. Mores hominum depravati hanc temporum varietatem induxere. Nos seculum perosi, quo vivimus, nostrorum Patrum ætatem desideramus, ut nostri Patres Avorum optarunt. Hinc Poetæ in 4 ætates tempus omne divisêrunt, & ingeniosis variisque commentis exornarunt.

V. 66. *Quorum* seculorum devitatio fiat, quæ secula ferrea pii possunt effugere mea prædictione, & consilio de fortunatis insulis petendis. Suam auctoritatem interponit, se declarat Apollinis numine afflatum, ut hactenus dicta magis magisque Romanis persuadeat.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XVII.

Veniam ἱκετικῶς a Canidia petit, cujus artem contempserat.

JAm jam efficaci do manus scientiæ
Supplex, & oro regna per Proserpinæ,
Per & Dianæ non movenda Numina
Per atque libros Carminum valentium
Refixa cœlo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro solve, solve turbinem.
Movit Nepotem Telephus Nereium,

In

Si Canidia in Medearum, Circium, aliarumque sagarum insignium ordinem cooptata est, gratiam maximam Horatio habet. iterum illa in scenam prodit, verum multo magnificentius, quam antea. In ea artis vis plane cognoscitur, potentia formidatur; non est amplius illa venefica femina, est certe Dea, quæ suo subdit imperio hanc rerum universitatem; jam illi vota fiunt, illi sacra. Canidia his supplicis adversarii precibus ferocius insolescens formidolosissima ultricis iræ tela in eum conjicere parat. Sed nugæ meræ. Hinc illæ submissiones, illinc minæ eo acriorem satiram repræsentant, quo solertius & callidius simulationis larva obnubuntur. hoc Carmen est ejusdem fere indolis atque τὸ *Ate o Deorum*, si stilum spectes, sed istud tamen multo est acrius, & acutius. ait, v. 23. capillos suos jam esse omines albos. Canescere cœpit anno 730. igitur hoc Carmen postponendum τῷ *Herculis ritu*.

V. 1. Metaphora sumta a bello, ubi catenis vinciuntur captivorum manus.

V. 3. Orion, Niobes, & Actæon testes sunt, quantopere Dianæ ira timenda sit.

V. 7. Retro actum. *solve*. subauditur *habena*, in sensu physico, aut *effectu*, in sensu morali. Propertius & Martialis de quodam instrumento, quod dicitur *Rhombus*, loquuntur. Theocritus, & Lucianus eum æreum faciunt, & Ovidius loris obvolutis circumactum. Idem erat ac turbo.

V. 8. Postquam per quidquid sacri est in arte magica, Canidiam exoravit, ut iram molliret, confugit ad exempla

Achi-

Digitized by Google

In quem ſuperbus ordinarat agmina
Myſorum, & in quem tela acuta torſerat:
Luxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectora;
Poſtquam relictis mœnibus rex procidit
Heu! pervicacis ad pedes Achillei,
Setoſa duris exuere pellibus
Laborioſi remiges Ulyſſei
Volente Circe membra: tunc mens, & ſonus
Relapſus, atque notus in vultus honor.
Dedi ſatis ſuperque pœnarum tibi,
Amata nautis multum & inſtitoribus:
Fugit juventus, & verecundus color
Reliquit oſſa pelle amicta lurida:

Tuis

Achillis, & Circes. Ille lanceæ ſcobem in vulneribus Telepho inflictis poſuit, ut ea ſanaret; & Priamo conceſſit corpus Hectoris; hæc vero precante Ulyſſe ad priſtinam humanam formam ejus ſocios reſtituit, quos in ſues verterat.

V. 11. Figurate. loquitur de luctu, ad indicandum funebrem omnem apparatum, qui novem dies perdurabat. animadverte acrem Horatii ſalem. Achilles, ille heros implacabilis tandem flectitur, ſaga vero nullas audit preces. ridiculam ſane comparationem dedita opera inſtitutam!

V. 18. Receptus, recuperatus verborum ſonus, & ratio ab Ulyſſis ſociis humanam formam recipientibus.

V. 19. Ironice ſignificat Canidiæ, ſe multum fuiſſe ejus efaſcinationibus vexatum: verum, quod riſum maxime movet, tribuit ejus veneficio ſuam canitiem.

V. 20. Mercatoribus maritimis. inſtitores autem ſunt, qui a mercatore negotiationi alicui præponuntur, quales ſunt ii, quos negotiatores tabernis ſuis ſolent præponere, vel quibus merces aliquas vendendas committunt; dicti ab inſiſtendo, eo quod negotio inſiſtunt. Poetæ fere ſemper accipiunt inſtitorem pro eo, qui venditor eſt mercium delicatarum, & cui veſtiarii, & lintearii dant veſtem circumferendam. Cum vero multi fuerint ex hoc hominum genere divites, Meretrices ad eos potius, quam ad nobiles viros adhæreſcebant.

V. 22. Subauditur *me*.

Digitized by Google

Tuis capillus albus est odoribus:
Nullum ab labore me reclinat otium:
Urget diem nox, & dies noctem: neque est
Levare tenta spiritu præcordia.
Ergo negatum, vincor, ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina;
Caputque marsa dissilire nenia.
Quid amplius vis? o mare, o terra! ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Virens in Ætna flamma; tu, donec cinis
Injuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quæ finis? ecquod me manet stipendium?
Effare? jussas cum fide pœnas luam:
Paratus expiare, seu poposceris
Centum juvencis, sive mendaci lyra
Voles sonari: tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum:
Infamis Helenæ Castor offensus vice,
Fraterque magni Castoris, victi prece
Ademta vati reddidere lumina.

Et

V. 23. Venenum aliquando per odores communicatur.

V. 24. Ne momento quidem temporis quiesco.

V. 26. Oppressa, ita ut suffocari me putem.

V. 27. Quod negaveram, fateri cogor, Sabinorum, & Marsorum sortilegia posse subvertere corda & rationem.

V. 30. Exclamatio miserabilis, vivida, & inopinata, sed eodem tempore jocosa. notandum satiricum acetum.

V. 35. Vox Satirica. Vocat Canidiam venenorum officinam.

V. 36. Quod supplicium me manet.

V. 39. Eleganter dictum & poetice. derisio vim sumit. ait Canidiæ, se paratum esse ad eam colendam tanquam Deam; & sacrum faciendum, nempe Hecatombem. *mendaci*. ambigue dictum. inquit, lyram suam esse mendacem; ergo mendax est, etiam quando Canidiam laudat, nedum quando vituperat.

V. 42. Propter convicia in Helenam a Stesichoro conjecta. (V. Ind. *Stesichorus*)

Digitized by Google

Et tu (potes nam) ſolve me dementia,
O nec paternis obſoleta ſordibus,
Neque in ſepulchris pauperum prudens anus
Novendiales diſſipare pulveres.
Tibi hoſpitale pectus, & puræ manus:
Tuuſque venter Partumejus, & tuo
Cruo-

V. 46. Taxat Canidiam tanquam ab illegitimo conjugio ortam. O tu ortum ducis caſtum, purum, intemeratum. Ironice. tu non es una ex illis vetulis ſagis, quæ ſolerter effodiunt cineres pauperum e ſepulchris novem diebus poſt eorum mortem. tu nunquam fuiſti crudelis, nec tuæ manus fœdatæ ſanguine puerorum, quos occidiſti. ironiam vides. *obſoleta.* inquinata.

V. 47. *Prudens*, i. ſciens.

V. 48. Servius explicans hunc verſum lib. 5. Æn. *præteres ſi nona diem* &c. ait, viri cujuslibet demortui cadaver cuſtodiri ſolitum 7 dierum ſpatio, octavo autem die cremari, nono ſepeliri, additque Horatium id ſignificaſſe, cum dixit: *novendiales pulveres*. iſta hujus loci explicatio licet ab Acrone improbata, tamen a multis doctis viris accepta eſt. Verum pace tantorum virorum credendum eſt, talem ritum pertinere ad viros nobiles, & divites, non autem ad pauperum funera, de quibus loquitur Poeta.

V. 49. Salſe, jocus in ambiguo. ad ſuum cor multis receſſum præbebat Canidia: en ſenſus verus, ſed latens; illa pietate movebatur erga inſontes: en ſenſus falſus, ſed apertus.

V. 50. * Bentlejus cum aliis ita legit. *Tuuſque venter Pactumejus:* putatque Pactumejum eſſe nomen infantis ſuppoſiti. *venter* autem pro filio, qui eſt in ventre, poſitum. cum enim fama eſſet, Canidiam anum effœtam ſibi Pactumejum ſuppoſuiſſe, Horatius ironice eam laudans inquit: revera Pactumejus eſt partus tui ventris. in veteri lapide apud Gruterum pag. 430. n. 1. legitur *Sexto Licinio Pactumejo Alexandro*. ita Bentlejus. Sed *venter* accipi poteſt pro filio, qui eſt in ventre, non autem pro filio jam nato, cui etiam nomen jam inditum ſit. niſi forte ita ſentiendum: revera Pactumejus ille fuit in ventre tuo! ironice, quemadmodum etiam in ſequenti verſu; ideoque injuria Dacierius Bentlejum improbat. Non enim falſa obſtetrix lavabat pannos cruore Canidiæ rubros ex partu, ſed cruore puerorum occiſorum. Dacierius ex veteribus codicibus le-

Digitized by Google

Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcumque fortis exsilis puerpera.

legit *Partumejus*; quasi dicat: tuus venter ita facile parit, perinde ac si mejat. Sed nusquam reperies *Partumejus*: sed *submejulus*, qui in lectulo mingit, apud Marc. Empir. c. 26. ad finem. nisi forte dicatur Horatius novam vocem excogitasse. Praeterea ita tolleretur ironia: aperte enim derideretur Canidia tanquam Scortum obscoenum hoc nomine facilis & indolentis partus. alii legunt *tuusque venter Partum ejus*: *& tuo* &c. verum quis tunc nodum solvere queat? ubi verbum? nisi forte ita legendum fuerit: *Tuusque venter: partum ejus, & tuo* &c. ita ut ordo sit: *& venter* (subauditur autem *est*, ut in versu praecedenti) *tuus*, (non simulatus & suppositicius) *& obstetrix lavit partum ejus* (i. ventris) *& pannos* &c. Sed versus claudicaret, nisi forte ultima syllaba τὸ *Partum* corripienda esset, quod tamen raro invenies. Horatius quarto loco semper jambum posuit. Ego fateor me allatis sententiis acquiescere non posse; arbitror hoc loco lacunam extitisse, & τὸ *Partum ejus* esse verba alicujus Grammatici, qui forte in margine de more locum paucis explicaverit ita: v. g. *denotat partum ejus*, quae verba *Partum ejus* per exscriptorem textui tandem irrepserint, vel consulto a rudi quopiam emendatore tanquam in suum locum in lacunam veteris Codicis conjecta. *

V. 52. *Exsilis*. hoc verbo significantur vires Canidiae a partu firmae, integrae, robustae, nec more aliarum puerperarum debilitatae, quae vix e lecto surgere possunt. *

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XVIII.

CANIDIÆ RESPONSIO.

Respondet Canidia Horatio, se nunquam illi placatam fore.

QUid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et Esquilini Pontifex venefici
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderit superasse Pelignas anus,
Velociusque miscuisse toxicum?

Sed

Palinodia, quam cecinit Horatius, jam simulata Canidiam ira inflammavit, quæ propterea, se vehementer ulturam novas contumelias juravit. Poeta, se clarius ostendere non posse, quam parvi hujusmodi minas penderet, judicavit, quam si easdem in publicum proferret, perinde ac si Canidia ipsa ita responderet. In eo maxime sita est Poetæ callliditas, quod Canidia ne verbum quidem de iis facit, quæ sibi exprobrata fuerant in Ode *At o Deorum*, quippe quæ statuisset silere de re tam nota, quæ nullo modo purgari queat.

V. 2. Magnifici sunt hi duo versus; verborum sententiarumque vi cothurnum redolent. salum proprie est mare agitatum.

V. 4. *Cotyttia* vulgando ridenda proposueris. Cotys erat Dea impudicitiæ. hæc non præerat sagis, sed quia in hujusmodi incantamentis licentia inerat, ita falsæ Canidiæ veneficia Cotyttia vocat.

V. 6. Tanquam si esses Pontifex.

V. 8. Ego ne frustra magico magisterio Pelignas anus superabo? ex tribus sagis prima erat ex Vejentum regione, altera ex Senonum. Pelignas autem anus superaverat, quia velocius toxicum miscuerat. Scythæ & alii populi venenabant sagittarum aculeos.

Digitized by Google

Sed tardiora fata te votis manent,
Ingrata miſero vita ducenda eſt in hoc,
Novis ut uſque ſuppetas laboribus.
Optat quietem Pelopis infidi pater,
Egens benignæ Tantalus ſemper dapis:
Optat Prometheus obligatus aliti:
Optat ſupremo collocare Sisyphus
In monte ſaxum: ſed vetant leges Jovis.
Voles modo altis deſilire turribus,
Modo enſe pectus Norico recludere:
Fruſtraque vincla gutturi innectes tuo,
Faſtidioſa triſtis ægrimonia
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques.
Meæque terra cedet inſolentiæ.
An, quæ movere cereas imagines,
Ut ipſe noſti curioſus, & polo
Deripere Lunam vocibus poſſim meis,
Poſſim crematos excitare mortuos,
Deſiderique temperare pocula:
Plorem artis in te nil valentis exitum?

V. 10. Τὸ *Velocius* videbatur Horatio minari promptam necem. Tuum crimen, ait Canidia, longioribus tormentis dignum eſt; volo te vitam in triſtitia ducere, ut quotidie mori videaris; mors, quam hodie times, a te optabitur, & venire negabit.

V. 23. Potentiæ inuſitatæ.

V. 25. Horatius exploraverat ea, quæ Canidia egerat in monte Eſquilino dum in domo Mæcenatis erat; vel fateri Canidiam cogit ea, quæ ipſe commentus fuerat ad invidiam feminæ conflandam. τὸ *curioſus* accipi etiam poteſt pro τῷ ſtudioſus artis magicæ.

V. 28. Phyltra componere.

V. 29. *An plorem exitum artis nihil valentis in te? poſſum* &c. dicar inutiliter agere, dum in te artem meam experiri volo?

CAR-

Digitized by Google

CARMEN SECULARE.

Pro imperii Romani incolumitate.

PPhœbe, Sylvarumque potens Diana,
Luci-

Horatium ad canendos ludos seculares elegit Augustus. Hoc sibi mandatum Poeta ea ingenii vi perfecit, qua tantopere pollebat. Hoc unum reliquum est sacrorum rituum monumentum, qui in illo festo servabantur. Tres dies festi antea certo temporis spatio inter se disjuncti in unum tandem cohæserunt festum, quod tres dies noctesque durabat. Vocabantur ludi Tarentini, ludi seculares, ludi Apollinares. Quidam Valesius Valesius, qui rure vivebat in Sabinorum regione prope Eretam duos filios habuit, & filiam unicam, qui postea contagio obnoxii fuere. Deorum Penatum jussu cum Filiis ad locum quemdam vocatum Terentum in Tiberim Pater descendit, aquam ex flumine desumtam in ara Plutonis ac Proserpinæ calefecit, bibendamque præbuit filiis, qui statim ad pristinam valetudinem redacti sunt. Ille pro tanto beneficio accepto sacra ibidem fecit, ludos celebravit, & lectisternia per tres noctes, &, ut facti memoria staret, se vocari jussit *Manium Valesium*, *Terentinum*. *Manium* a *Manibus*, *Valesium* a *Valendo* pro Filiorum salute restituta, *Terentinum* a loco. (Val. Max. lib. 2. c. 4.). Anno 245, i. anno uno post Regum expulsionem pestis totam urbem pervasit. P. Valerius Poplicola in eadem ara sacra fecit Plutoni, ac Proserpinæ, tum pestis cessavit. 60 annis post, i. anno 305 iterata sunt eadem sacrificia Sacerdotum Sibyllinorum jussu, additis ritibus a libris Sibyllinis præscriptis. Tunc edictum fuit, ut hoc festum quolibet seculo ageretur. Hinc ludi seculares. Secundi belli Punici tempore instituti sunt ludi Apollinares in laudem Apollinis & Latonæ. Celebrabantur quotannis, sed anno seculari una cum secularibus. Mittebantur in provincias feciales, ut populos arcesserent Romam ad videndum festum, quod nemo viventium viderat; nec amplius visurus esset. Distribuebantur in populum quædam grana, & res lustrales. Noctu litabatur Plutoni, Proserpinæ, Parcis, Ilithyiæ, Telluri; & die Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, & Geniis. Vigiliæ agebantur, & supplicationes.

In

Digitized by Google

Lucidum cœli decus, o colendi
Semper, & culti, date, quæ præcamur
Tempore ſacro:
Quo Sibyllini monuere verſus
Virgines lectas, puerosque caſtos,

In pulvinaribus collocabantur Deorum ſtatuæ, quibus adponebantur exquiſitiſſimæ dapes. Tribus his diebus canebantur tria Cantica diverſa teſte Zoſimo, & populo varia ſpectacula exhibebantur. Primo die in Campo Martio, altero in Capitolio, tertio in Monte Palatino. Primi ludi ſeculares anno 245 editi ſunt, ſecundi anno 305, tertii anno 505, quarti anno 605, & quinti anno, quo juſſit Auguſtus, 737. Ex verſu 69 colligi poteſt hoc Carmen ſcriptum fuiſſe prope elapſo Aprile, quo Pali vota ſundebantur pro ſervando grege, vel meſſis tempore, teſte Zoſimo, hi ludi fiebant. A græcis Latini petiere hoc Carmen lyricum. Hoc Horatii Carmen eſt quidem omnium quotquot a Latinis factitata ſunt, antiquiſſimum, ſed unicum non eſt. Claudianus, Terentius Maurus, Auſonius, & Martianus Capella multa ediderunt. Ex verſu 35 (83) & (134) colligitur lunæ creſcentis tempore hos ludos exhiberi ſolitos.

V. 1. (41) Poſtremo die uterque Chorus in Templum Apollinis Palatini conveniebat, ut hanc quartam partem Poematis caneret. Poeta in hunc locum miram reſervavit eruditionem, copiam, ſuavitatemque verborum, ac ſententiarum, quidquid denique maxime ad Poeticum opus perficiendum conferre poteſt. Quatuor notanda ſunt, quibus uſus eſt Poeta in variandis Canticis. Primum Apollini ſoli ille dicat, in altero Apollini Dianam conjungit, in tertio dictis addit alios Deos, qui feſti participes erant. In primo & tertio eodem uſus eſt metro, verum locus communis diverſus inter utrumque ad ſatietatem evitandam interjectus eſt. Varia erat recitandi ratio. In primo uterque Chorus una concinit, in cæteris modo ſejungitur, modo conjungitur, ita tamen ut uterque in principio tertii ſimul recitet, ſeorſim vero in principio ſecundi. Varium eſt etiam canticorum genus. Prima & poſtrema pars ſunt Hymni, ſed ab altera parte ſeparantur, quæ eſt Ode, & ambo Hymni ſunt nominis & naturæ diverſæ. Ita rem narrat Sanado.

V. 6. (54) Pueri & puellæ in feſto canentes ingenui eſſe debebant, & nobiles, verum etiam *patrimi* & *matrimi*, i.

qui

Dis, quibus ſeptem placuere colles,
Dicere Carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis, & celas, aliuſque, & idem
Naſceris; poſſis nihil urbe Roma
Viſere majus.
Rite maturos aperire partus,
Lenis Ilithyia, tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genetyllis:
Diva producas ſobolem, patrumque
Proſperes decreta ſuper jugandis
Feminis, proliſque novæ feraci
Lege marita:
Certus undenos decies per annos

Orbis

qui parentes vivos haberent, & nati eſſent ex conjugio contracto hoc ritu, quem vocabant *confarreationem*. Erat autem hujuſmodi. Sacerdos Diis molam offerebat, quam ipſe minutatim in capite Victimæ frangebat. Hoc matrimonium diſſolvi non poterat.

V. 9. (57.) Variis nominibus Apollinem vocabant pueri, veriti, ne illud omitterent, quod eidem foret cariſſimum. *Alme ſol*, *Apollo*, *augur*; *decorus arcu*, *acceptus novem Camœnis*. Puellæ vero Dianam: *Ilithyia*, *Lucina*, *Genetyllis*, *ſiderum regina*, *Diana*, *Luna*. hi quatuor verſus propoſitionem univerſam continent, quæ in ſequentibus expeditur. Ilithyia ab ἐλεύθειν venire, oriri. Genetyllis a γένεσις, i. nativitas.

V. 19. (67) Marita feminas lege tenaci novæ prolis, i. vi novæ legis, quæ favet illis. (Vid. Ind. *Octavius*).

V. 21. (69) Ante Auguſti ætatem ſeculum erat centum annorum curſus, ut Valerius Antias, Feſtus Pompejus, Varro, T. Livius aſſerunt. Zoſimus, qui refert Sibyllæ oraculum ait: „ Sed cum longiſſimum venerit hominibus „ vitæ tempus ad annorum centeſimum curſum means εἰς „ ἐτέων ἑκατόνταδα κύκλον ὁδεύσας, Ludi ſeculares quinto editi „ a veteri conſuetudine deſcivere. „ Auguſtus cum Reip. intereſſe putaret horum ludorum celebrationem, Sacerdotes a Sibyllis conſilium petere juſſit, quo tandem tempore elabentis ſeculi edendi eſſent. Cum ii animadverterent anno

705

Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totieſque grata,
Nocte frequentes.
Voſque veraces cecinisse Parcæ
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum
Terminus ſervet, bona jam peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum, pecoriſque tellus

V 2 Spi-

705 ſub Julio Cæſare omiſſos fuiſſe; errorem celare ſtatuerunt, veriti, ne calamitatum, quæ Remp. bellis civilibus vexavere, culpa omnis in ſe conferretur. jam vero, cum ipſi libros Sibyllinos cuſtodirent, non ſatis compertum erat apud cæteros, quis annus ſtatus eſſet, a quo ludorum ſecularium tempus deſumendum eſſet. Præterea non ſatis conſtabat, de eorum ludorum die, quo primum ab urbe condita celebrati fuerunt. Sacerdotes in tanta ſententiarum varietate Auguſto obſequi ſe poſſe ſperarunt, affirmantes, annum Secularem neceſſario in annum 737 incidere. In lucem emiſere quaſdam librorum Sibyllinorum interpretationes, in quibus ex Sibyllæ verbis oſtenderunt, ſeculum ex 110 annis conſtare. (Petav. lib. 2. de cognit. temp. c. 76.) Locum ipſi quindecim-viri attulere, quem notavimus, ſed in locum ἑκατόνταδε vel ἑκατοστὸν ſubſtituerunt ἑκατόνδεκα. Eorumdem auctoritas maxima apud ſuperſtitioſum populum mendacium in veritatis locum ſuffecit nemine repugnante. nemini enim libri Sibyllini legendi tradebantur, propoſita pœna. Auguſtus lubentiſſime videns, ad ſuam ætatem hos ludos a diis reſervatos fuiſſe, gratum errorem propugnavit, edicta quoque pronunciavit, quæ Pontificum conſilium comprobarent. Horatius ſive hiſce rebus fidem adhiberet, ſive adulari vellet Principi, in cæterorum ſententiam ivit, præcipue cum Auguſti juſſu Carmen ſeculare ſcribere inſtituiſſet, quod coram eodem, & Sacerdotibus canendum erat. Hæc omnia congruunt iis, quæ dixit Cenſorinus c. 17. Vide Taſinum in libro de anno veterum Romanorum ſeculari.

V. 23. (71) Nox ſerena, & frigidula, & faces accenſæ in templis & plateis publicis, & hortis dignitatem & ſplendorem ludis conciliabant.

V. 29. (77) Orat Deos, ut peſtem & famem averruncent. hic locus luculentiſſimus eſt. Quid venuſtius, quam hæc imago terræ, quæ Cererem ſpicis coronat, ut copiam indicet meſſis?

Digitized by Google

Spicea donet Cererem corona,
Nutriant fœtus & aquæ salubres,
Et Jovis auræ.
Condito mitis, placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo,
Siderum regina bicornis audi
Luna puellas:
Roma si vestrum est opus, iliæque
Littus Etruscum tenuere turmæ,
Jussa pars mutare lares, & urbem
Sospite cursu:
Cui per ardentem sine fraude Trojam
Castus Æneas patriæ superstes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis.
Di probos mores docili juventæ,
Di senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date remque, prolemque, Et decus omne.
Quique vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisæ, Veneriscque sanguis,
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.
Jam mari terraque manus potentes

Me-

V. 35. (83) In novilunio canebatur hoc Poema.

V. 37. (85) *Iliæ*, i. Trojanæ. loquitur de adventu Æneæ in Italiam.

V. 41. (89) *Cui*, i. parti Trojanorum dedit Æneas plura bona, quam quæ ipsi reliquerant.

V. 49. (97) Augustus ludis intererat, sacra Jovi, Apollini, Dianæ faciebat. his 12 versibus mirifice Augustum laudat.

V. 51. (99.) *Prior*, i. potius, prius. *τὸ bellans* opponitur *τῷ lenis*. nempe Augustus *lenis imperet prior se ipso bellante*. ut significet Augustus imperet potius parcendo hostibus subjectis, quam debellando armatos. * ita subtiliter Sanado. ego vero puto *τὸ bellante* referri ad hostem & pendere a *τῷ* prior. *.

Digitized by Google

Medus, Albanaſque timet ſecures:
Jam Scythæ reſponſa petunt, ſuperbi
Nuper & Indi.
Jam fides, & pax, & honor, pudorque
Priſcus, & neglecta redire virtus,
Audet; apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur & fulgente Decorus arcu
Phœbus, acceptuſque novem Camœnis,
Qui ſalutari levat arte feſſos
Corporis artus,
Si Palatinas videt æquus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in luſtrum, meliuſque ſemper
Proroget ævum.
Quæque Aventinum tenet, Algidumque
Quindecim Diana preces virorum
Curet, & votis puerorum amicas
Adplicet aures.
Hæc Jovem ſentire, deoſque cunctos,

V. 54. (103) *Secures*, i. Romanam potentiam. Albani Romam translati ſunt a Tullo Hoſtilio.

V. 56. (105) (V. Ind. *Octavius*).

V. 57. (106) Legibus ſuis mores conformare voleba t imperavit, ut ludi modeſte, & religioſe ederentur, vetuit pueros & puellas prodire ſeorſim a parentibus.

V. 61. (110) In his 40 verſibus conjungit 4 Apollinis virtutes, divinationem, jaculandi ſcientiam, muſicem, medicinam.

V. 65. (114) XI anni elapſi ſunt, unde Auguſtus conſtrui juſſerat Apollinis Palatini templum.

V. 67. (116) Quinto quoque anno & in ludis ſecularibus luſtrum, ſive expiatio fiebat, ritus ſpecies.

V. 68. (117) *Ævum*, i. ſeculum.

V. 70. (119) (V. Ind. *Libri Sibyllini*).

V. 73. (123) Nos Reip. nomine lecti, ut duobus Choris recitemus laudes Apollinis, & Dianæ, ſentimus vota noſtra exaudiri, & in noſtras domos ſpem dulcem, & certam reportamus, fore ut Jupiter, & omnes Dii ita in nos affecti ſint, ut, quæ rogavimus, conceſſuri ſint.

Digitized by Google

Spem bonam, certamque domum reporto
Doctus & Phœbi chorus & Dianæ 75
dicere laudes.

POLY-

Digitized by Google

POLYMETRUM SATURNINUM.

PROLOGUS.

ODi profanum vulgus, & arceo,
Favete linguis, carmina non prius
Audita Musarum Sacerdos,
Virginibus puerisque canto.

ALTERA PARS.

Dive quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ, Tityosque raptor
Sensit, & Trojæ prope victor altæ
Phthius Achilles,
Cæteris major, tibi miles impar:
Filius quamquam Thetidos marinæ
Dardanus turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non inclusus equo Minervæ
Sacra mentito, male seriatos
Troas, & lætam Priami choreis
Falleret aulam:
Sed palam captis gravis (heu nefas, heu!)
Nescios fari pueros Achivis

Hoc est Carmen seculare a Patre Sanadone ordinatum. constat ex aliquot Odis, & Odarum partibus, ut videre est infra in Tabula Cronologica.

V. 1. *Propositæ argumenti dignitate Poeta animos ad audiendum comparat.*

V. 5. *Hoc Hymno rogat Apollinem Chorus uterque, ut seculare Carmen probet, ac tueatur.*

Digitized by Google

Uſeret flammis, etiam latentes
Matris in alvo:
Ni tuis victus, Veneriſque gratæ
Vocibus Divum Pater adnuiſſet
Rebus Æneæ potiore ductos
Alite muros.
Doctor Argeæ fidicen Thaliæ,
Phoebe, qui Xantho lævis amne crines,
Dauniæ defende decus Camœnæ,
Levis Agieu.

PARS TERTIA.

Dianam teneræ dicite Virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium,
Latonamque ſupremo
Dilectam penitus Jovi.
Vos lætam fluviis & nemorum coma,
Quæcumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erimanthi
Sylvis, aut viridis Gragi.
Vos Tempe totidem tollite laudibus
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Inſignemque pharetra,
Fraternaque humerum lyra.
Hic bellum lacrymoſum: Hæc miſeram Famem
Peſtemque a populo, & Principe Cæſare in
Per-

V. 33. *Hortantur ſe mutuo pueri, & puellæ ad celebrandas Apollinis, & Dianæ laudes. Hunc verſum Chorus puerorum canit.*

V. 34. *Chorus Puellarum.*

V. 35. 36. *Chorus uterque.*

V. 37. *Hunc quaternionem canit Chorus puerorum.*

V. 41. *Hunc quaternionem canit Chorus puellarum.*

V. 45. Τὸ Hic bellum lacrymoſum *canit Chorus puerorum*; τὸ hæc miſeram famem, peſtemque, *chorus puellarum.*

V. 46. A populo *&c. hunc & duos ſequentes verſus canit chorus uterque.*

Digitized by Google

Perſas, atque Britannos
Veſtra motus aget prece.

PARS QUARTA.

Phœbe, Sylvarumque potens Diana,
Lucidum cœli decus, colendi
Semper, & culti, date, quæ precamur
Tempore ſacro:
Quo Sibyllini monuere verſus
Virgines lectas, puerosque caſtos
Diis, quibus ſeptem placuere colles,
Dicere Carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis, & celas, aliuſque, & idem
Naſceris, poſſis nihil urbe Roma
Viſere majus.
Rite maturos aperire partus,
Lenis Ilithyia, tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genetyllis:
Diva, producas ſobolem, Patrumque
Proſperes decreta ſuper jugandis
Feminis, proliſque novæ feraci
Lege marita:
Certus undenos decies per annos
Orbis, ut cantus, referatque ludos
Ter die claro, totieſque grata
Nocte frequentes.
Voſque veraces cecinisſe Parcæ,

Quod

V. 49. *Pæan ad Apollinem & Dianam. Preces pro imperii & Imperatoris incolumitate. Chorus uterque hunc & proxime ſequentem quaternionem cantat.*

V. 57. *Hunc quaternionem canit Chorus puerorum.*

V. 61. *Hunc & ſequentem quaternionem canit chorus puellarum.*

V. 69. *Hunc & duos ſequentes quaterniones canit Chorus uterque.*

Digitized by Google

Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum
Terminus ſervet, bona jam peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum, pecoriſque tellus
Spicea donet Cererem corona,
Nutriant fœtus, & aquæ ſalubres,
Et Jovis auræ.
Condito mitis, placiduſque telo
Supplices audi pueros Apollo:
Siderum Regina bicornis audi
Luna puellas:
Roma ſi veſtrum eſt opus, Iliæque
Littus Etruſcum tenuere turmæ,
Juſſa pars mutare Lares, & urbem
Soſpite curſu,
Cui per ardentem ſine fraude Trojam
Cœſtus Æneas patriæ ſuperſtes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis.
Di probos mores docili juventæ,
Di ſenectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date remque, prolem-
que, Et decus omne.
Quique vos bobus veneratur albis
Charus Anchiſæ, Veneriſque ſanguis
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hoſtem.
Jam mari terraque manus potentes
Medus, Albanaſque timet ſecures:
Jam Scythæ reſponſa petunt, ſuperbi
Nuper & Indi.
Jam fides, & pax, & honor, pudorque
Pri-

V. 81. 82. *Chorus puerorum.*
V. 83. 84. *Chorus puellarum.*
V. 85. *Hunc & quinque ſequentes quaterniones canit Chorus uterque.*
V. 109. *Hunc & ſequentem quaternionem canit Chorus Puerorum.*

Digitized by Google

Priſcus; & neglecta redire virtus
Audet: apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur & fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptuſque novem Camœnis,
Qui ſalutari levat arte feſſos
Corporis artus,
Si Palatinas videt æquus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in luſtrum, meliuſque ſemper
Proroget ævum.
Quæque Aventinum tenet Algidumque
Quindecim Diana preces virorum
Curet, & Votis puerorum amicas
Adplicet aures.
Hæc Jovem ſentire, Deoſque cunctos,
Spem bonam, certamque domum reporto
Doctus & Phœbi chorus & Dianæ
Dicere laudes.

EPILOGUS.

Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomenque dedit Poetæ.
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ, fugaces
Lyncas, & Cervos cohibentis arcu,
Lesbium ſervate pedem, meique
Pollicis ictum,
Rite Latonæ puerum canentes
Rite creſcentem face noctilucam,
Proſperam frugum, celeremque pronos

Vol-

V. 117. *Hunc quaternionem canit Chorus Puellarum.*
V. 121. *Hunc quaternionem canit Chorus uterque.*
V. 125. *Ad pueros & puellas. Admonet Poeta, ut ſuperiora carmina vite recitent.*

Digitized by Google

Volvere menſes.
Nupta jam dices. Ego diis amicum,
Seculo feſtas referente luces,
Reddidi Carmen, docilis modorum
Vatis Horati.

Finis Libri Quinti Carminum.

Digitized by Google

Bentlejus putat Satiras primo libro comprehenſas ſcripſiſſe Horatium anno ætatis ſuæ 26, 27, 28, & Lib. 2. Satiras anno 31, 32, 33. Epodon librum anno 34, 35. Librum primum Odarum anno 36, 37, 38. Secundum 40, & 41. Tertium anno 42, 43. Epiſtolarum librum primum anno 46, 47. Librum quartum Odarum, Carmenque ſeculare anno 49, 50. Librum ſecundum Epiſtolarum & artem Poeticam nulli certo tempori idem Bentlejus aſſignavit.

TABULA CHRONOLOGICA

ODARUM HORATII

A P. Sanadone inſtituta,

Odæ compoſitæ inter annum ab U. C. 714 & 720, nempe 25, & 31 Horatii nati.

LIBER PRIMUS.

		Lib.	Od.
1	MÆcenas atavis	I.	1.
2	Vides ut alta	I.	10.
3	Solvitur acris hyems	I.	4.
4	O ſæpe mecum	II.	7.
5	Mercuri, nam te	III.	11.
6	Laudabunt alii	I.	7.
7	Lydia, dic per omnes	I.	9.
8	Lupis & Agnis	V.	4.
9	Nullam, Vare, ſacra	I.	19.
10	Horrida tempeſtas	V.	13.
11	Bacchum in remotis	II.	19.
12	Mercuri facunde Nepos	I.	11.
13	Diffugere nives	IV.	7.
14	Vile potabis	I.	21.

Digitized by Google

15	Natis in usum	I.	28.
16	Montium custos	III.	22.
17	Festo quid potius die	III.	28.
18	Faune Nympharum	III.	18.
19	Angustam Amici	III.	2.
20	Intactis opulentior	III.	24.

LIBER SECUNDUS.

Odæ compositæ inter an. 720, & 726 ab U. C. nempe inter 31 & 37 Horatii nati

1	Quem tu Melpomene	Lib. IV.	Od. 3.
2	Cœlo supinas	III.	23.
3	Parcus Deorum	I.	35.
4	Inclusam Danaem	III.	16.
5	O fons Bandusiæ	III.	13.
6	Quo quo scelesti	V.	7.
7	Tu ne quæsieris	I.	12.
8	O nata mecum	III.	21.
9	Pastor cum traheret	I.	16.
10	Persicos odi	I.	39.
11	Albus ut obscuro	I.	8.
12	Ibis Liburnis	V.	1.
13	Altera jam teritur	V.	16.
14	Quando repostum	V.	9.
15	Nunc est bibendum	I.	38.
16	Quid fles, Asterie,	III.	7.
17	Motum ex Metello	II.	1.
18	Scriberis Vario	I.	6.
19	Audivere, Lyce,	IV.	13.
20	Quo me, Bacche, rapis	III.	25.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

Odæ compoſitæ inter an. 726, *&* 732. *ab U. C. nempe inter* 37, *&* 43 *Horatii nati.*

1	Delicta Majorum	Lib. III.	Od. 6.
2	O Navis, referent	I.	15.
3	Quid dedicatum poſcit	I.	32.
4	Parentis olim	V.	3.
5	Jam ſatis terris	I.	2.
6	O Diva, gratum	I.	36.
7	Icci, beatis	I.	30.
8	Eſt mihi nonum	IV.	11.
9	Æquam memento	II.	3.
10	Rectius vives	II.	10.
11	Nolis longa feræ	II.	12.
12	Nullus argento	II.	2.
13	Non uſitata	II.	20.
14	Quantum diſtet	III.	19.
15	Quis deſiderio	I.	25.
16	Jam pauca aratro	II.	15.
17	Et thure & fidibus	I.	37.
18	Herculis ritu	III.	14.
19	Muſis amicus	I.	27.
20	Quem virum aut heroa	I.	13.

LIBER QUARTUS.

Odæ compoſitæ inter an. 732, *&* 738 *ab U. C. nempe inter* 43, *&* 49 *Horatii nati.*

1	Donarem pateras	Lib. IV.	Od. 8.
2	Vixi puellis	III.	26.
3	Septimi Gades	II.	6.
4	Te maris & terræ	I.	29.
5	Integer vitæ	I.	23.

Digitized by Google

6	Juſtum ac tenacem	III.	3.
7	Mala ſoluta	V.	10.
8	Tyrrhena Regum	III.	29.
9	Impios parræ	III.	27.
10	Ille & nefaſto	II.	13.
11	Jam veris comites	IV.	12.
12	Non ſemper imbres	II.	9.
13	Martiis cælebs	III.	8.
14	Quid bellicoſus	II.	11.
15	Sic te Diva potens	I.	3.
16	Cœlo Tonantem	III.	5.
17	O Venus regina	I.	31.
18	Cur me querelis	II.	17.
19	Poſcimur. ſi quid	I.	33.
20	Odi profanum	III.	1.
	Dive, quem proles	IV.	6.
	Dianam teneræ	I.	22.
	Phœbe ſylvarumque	V.	19.
	Spiritum Phœbus	IV.	6, 29.

LIBER QUINTUS.

Odæ compoſitæ inter an. 738, *&* 745 *ab U. C. nempe inter an.* 49, *&* 56 *Horatii nati.*

1	Beatus ille	Lib. V.	Od. 2.
2	O formoſus adhuc	IV.	10.
3	O matre pulchra	I.	17.
4	Otium Divos	II.	16.
5	Æli vetuſto	III.	17.
6	Non ebur, neque	II.	18.
7	Velox amœnum	I.	18.
8	At (o Deorum	V.	5.
9	Jam jam efficaci	V.	17.
10	Quid obſeratis	V.	18.
11	Ne forte credas	IV.	9.
12	Pindarum quiſquis	IV.	2.

Digitized by Google

13	Ehen fugaces	II.	14.
14	Quid immerentes	V.	6.
15	Regum timendorum	III.	1.
16	Divis orte bonis	IV.	5.
17	Qualem Miniſtrum	IV.	4.
18	Quæ cura Patrum	IV.	14.
19	Deſcende cœlo	III.	4.
20	Phœbus volentem	IV.	15.
21	Exegi monumentum	III.	30.

Notandum eſt Sanadonem præter locos quoſdam Odarum & Satirarum prætermiſiſſe integras Odas 5. 14. 20. 24. 26. 34. Lib. I. & 4. 5. 8. Lib. II. & 9. 10. 12. 15. 19. 20. Lib. III. & 1. Lib. IV. & 8. 11. 12. 14. 15. Lib. V.

FINIS TOMI PRIMI.

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 7. lin. 23. seorsim	seorsum
11. l. 12. *aeris*	*acris*
48. l. 20. O. II. 27.	O. 27. lib. 2.
54. l. 10. conditum	creditum
69. l. 21. sunt	sint
71. l. 37. *ἀμίσσε*	*ἀμίσσω*
73. l. 30. miti	mitti
82. l. 5. privati	privata
120. l. 5. plectro, dura	plecto dura
125. l. 5. comparati	comparari
136. l. 24. satyricum	satiricum
137. l. 14. pulmenta	pulpamenta
181. l. 5. probe	prope
287. l. 38. uti	ubi
301. l. 2. textuĩ	in textum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google